IO. CASPARIS POSNERI PROFESSORIS IENENSIS ELOQUENTIA...

Johann Caspar Posner

Digitized by Google

6
7-e
19

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
5 C
12

Bibliotheca
Coll. Rom.
Societ. Jesu

22-e-32

Digitized by Google

Digitized by Google

PROFESSORIS IENENSIS

HOC EST

SCRIPTORVM PALAM PROPOSITORVM

NEC NON

ORATIONVM ALLOCVTIONVMQVE

ET

INSCRIPTIONVM QVARVNDAM

SICVT CONCINNIS INVENTIONIBVS ITA REBVS COPIOSISSIMIS AC PLERARVMQVE SCIENTIARVM ET ARTIVM DOCTRINIS REFERTA

ACCEDVNT ET EA QVAE OCCASIONE

DICTA VEL SCRIPTA AB AVCTORE FVERVNT CVN ARGVMENTORVM AC RERVM INDICIBVS.

Bibl: Soc: Coll: Rom: Soc: Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IENAE

LITERIS HELLERIANIS.
cIɔ Iɔ CC XVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMIS

PRINCIPIBVS

AC

DOMINIS

ACADEMIAE HVIVS

CONSERVATORIBVS

PIIS

MAGNANIMIS

AC SEMPER FELICIBVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ERNESTINAE FAMILIAE

DVCIBVS SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE AC GVESTPHALIAE, LANDGRAVIIS THVRINGIAE, MARCHIONIBVS MISNIAE, PRINCIPVM DIGNITATE COMITIBVS HENNEBERGIAE COMITIBVS MARCAE ET RAVENSBERGAE, CERTOQVE RESPECTV SAYNAE AC VVITTGENSTEINII, NEC NON RAVENSTEINII ET PARTIM TONNAE DYNASTIS

VNI QVOQVE IPSORVM MAIESTATIS CAESAREAE ET SACRI ROMANI IMPERII SVMMO TORMENTORVM PRAEFECTO AC RELIQVA.

Digitized by Google

DOMINIS MEIS

AC

PRINCIPIBVS

CLEMENTISSIMIS

SALVTEM

ET GLORIAM

TANTIS HEROIBVS DIGNAM

Digitized by Google

SERENISSIMI DVCES

DOMINI CLEMENTISSIMI

QVae Veſtris hucusque auſpiciis, in hoc, non eruditionis tantum, ſed bonitatis potiſſimum Veſtrae theatro, pro obeundi muneris ratione, aut ore a me prolata, aut literis conſignata ſunt; haec in conſpectum nunc Veſtrum, licet oculis Veſtris votisque inferiora, quod prodeant, haud inclementer feretis. Bono omine illa, ſub temporis, tota vita proſperrimi, ac prae aliis feſti, exortum,

Digitized by Google

tum, prelo ſubiici edique ſunt coepta: quo ſacrorum emendatorum memoria, a Germaniae, & omnis Europae populis, religionis optimae partes ſecutis, repeti, ac ſollemniter conſecrari debebat. Hoc igitur ipſo monebar: vt ab opera iſta, diebus tam candidis atque auſpicatis ſuſcepta, tum Deo ter optimo atque maximo, tanquam religionis & ſalutis auctori; tum etiam Vobis, ceu veritatis pietatisque, a Veſtris maioribus reſtitutae, propugnatoribus, grates debitas laudesque dicendi, materiam iuxta & cauſam arceſſerem. Dei quippe Veſtrumque eſt beneficium: quod diuinae apud nos aedes, ſuggeſtusque & arae, ac ſeruatoris ipſius oracula & myſteria, nullis errorum ſuperſtitionumque ſordibus inquinata; ſed intemerata

rata adhuc & ſancta ſeruentur: ac nouis quotidie ornamentis & auctibus, in athenaeo hoc Veſtro; cuius ancile & fulcrum, religio, ex conditoris maximi, Ioannis Friderici magnanimi, inſtituto, Veſtroque ipſorum deſiderio, eſſe debet; magis magisque amplificentur. Singularis inſuper illa, ac prae ceteris luculenta, Veſtri aduerſus religionem ſtudii & affectus ſignificatio: qua ducenteſimum eius natalem; non ob vim numerorum arcanam, a Chaldaeis, Aegyptiisque ac Graecis confictam; ſed ob regum & principum Ebraeorum exempla, Dei aeterni legibus approbata; ſacris ritibus atque plauſibus celebrari, octobri atque nouembri proximo decreuiſtis: vt ingrato obliteraretur ſilentio, aut praeconiis iuſtis defraudaretur;

tur; data occaſione tam commoda ac ſollemni, neutiquam a me committendum, putaui. Sicut autem religionis hanc Veſtrae integritatem & conſtantiam, vna cum ceteris Heroum tantorum meritis ac virtutibus, omnes agnoſcunt & ſuſpiciunt: ſic induſtriae meae haec monumenta; quae ne laterent amplius, & inter alias chartas perirent, ſuis amici monitis atque precibus effecerunt; haud alio comparata ſunt: quam vt ornamentorum Veſtrorum ac dotium fama, tam per aetatis praeſentis, quam per omnis poſteritatis memoriam, quantum in me poſitum foret, diſſeminaretur. Nam quid caeſarum, regumque ac electorum, & principum, quorum Vos ſanguis & portio eſtis, res geſtae ac laudes, ſcriptis his & orationibus

celebratae, niſi originis Veſtrae, dignitatisque & famae ſplendorem? quid faſces atque honores academici, niſi Veſtram, in hoc ornando moderandoque lyceo, benignitatem & prudentiam? quid ſemeſtres ac eruditae docentium operae, niſi Veſtram denuo, pro re literaria, curam ac prouidentiam? quid huic ſimiliter libro inſerta, edicta ac leges, niſi Nutriciorum ſummorum ſapientiam & iuſtitiam? quid poſita a me, viris celebribus ac eximiis, monumenta, niſi vrbis & academiae Veſtrae magnitudinem: in quam ea, iſtorum doctrina ac induſtria, a Vobis ſimiliter excitata, viginti & aliquot annis ſurrexit: ſignificare ac loqui dicantur? Veſtram inſuper pietatem ac fidem, Deo & Chriſto probatam, & a me antea praedica-

tam, vel dicta & ſcripta ſecularia, per auctoritatem videlicet Veſtram, ſecundis literatorum auribus oculisque excepta, haud obſcure oſtendunt, viuisque ac poſteris admirandam proponunt. Vt iam agnoſci in Vobis, & aliquo modo conſpici, Maieſtatis, ex virtutibus factisque egregiis aeſtimandae, ſpecies poſſit: quam ab honore ac reuerentia genitam; & a pudore ac metu, ceu comitibus, cinctam; in medio coelo ſedere, Deorumque ac coelitum ora in ſe conuertere, vates latini & graeci comminiſcuntur. Quod exiſtimationis & gloriae genus, cum optato imperio, atque omnium rerum ſucceſſu, ſicut proprium Vobis, Domini, ac perpetuum eſſe, precor: ita Vobis praecipue, meos in praeſenti labores, contentionemque, in impo-

po-

poſitae mihi prouinciae partibus, cum fructu aliquo academiae atque ciuium, geſtis, probari; & obſcura per ſe ac ignobilia eloquentiae, in his Athenis exertae, ſpecimina, ſiue, vt appellantur alias, argumenta, NOMINVM poſthac VESTRORVM luminibus illuſtrari; pro inſita Vobis virtute, & clementia incredibili; quam, ad aliorum exemplum, etiam mihi ſpondeo; permittetis.

NOMINIBVS VESTRIS
SERENISSIMIS

Ienae, Nonis
Aprilibus, A. S.
cIↄ IↄccxvIII.

SVBIECTISSIMVS SERVVS

IO. CASPAR POSNER.

ELENCHVS ARGVMENTORVM PRIMI ORDINIS QVAE SVNT SCRIPTORVM INVITANTIVM

I. Ad orationem panegyricam, Imperatoris Ioſephi auſpicio ſacram.

II. Ad panegyricum funebrem, quo Boruſſorum Reginae, atque Electricis Brandenburgicae, Sophiae Charlottae, memoria colebatur.

III. Ad orationem panegyricam, Principi Arauſionenſi, Friderico Ludouico, die IX. cal. dec. A. cIↄIↄ ccvII nato, habitam.

IV. Ad panegyricum funebrem, Domini Friderici, Regis Boruſſiae, & Electoris Brandenburgici, manibus ſacrum.

V. Ad orationem panegyricam, Domini Georgii Ludouici, Ducis Brunſuicenſis ac Luneburgenſis, ſacri Romani imperii Electoris, natalibus ſacram.

VI. Ad orationem panegyricam, eiusdem Georgii Ludouici, magnae Britanniae, Franciae ac Hiberniae Regis, & Romani imperii Electoris, Regali auſpicio dedicatam.

VII. Ad ſermonem panegyricum, in diui Georgii Erneſti, Iuuentutis Principis Saxo-Meiningenſis, funere recitatum.

VIII. Ad orationem Domini Guilielmi Henrici, Iuuentutis Principis Saxo-Iſennacenſis, ac in Academia Ienenſi Rectoris magnificentisſimi, natalibus dictam.

IX. Ad orationem, qua Domini Ioannis Guilielmi, Ducis Saxo-Iſennacenſis, & patriae Patris, dies natalis celebrabatur.

X. Ad orationem panegyricam, Domini Erneſti Auguſti, iuuentutis Principis Saxo-Vinarienſis, virtutibus atque ſtudiis, in Academia Ienenſi, dicatam.

XI. Ad iuſta ſuprema, diuo Bernhardo, Duci Saxo-Meiningenſi, ſoluenda.

XII. Ad orationem panegyricam, nati Principis Saxo-Iſennacenſis, Caroli Guilielmi, auſpicio ſacram.

XIII. Ad orationem funebrem, diuae Chriſtinae, Ducis Saxoniae, a Marchionibus Badenſibus & Hochbergenſibus ortae, manibus dictam.

XIV. Ad panegyricum funebrem, diui Ioannis Guilielmi, Ducis ac Principis Saxo-

Gothani, nec non ducis bellici ac herois, memoriae ſacrum.

XV. Ad orationem funebrem, diuae Chriſtinae Iulianae, ex Marchionum Badenſium familia ortae, nuptae Ducis Saxo-Iſennacenſis, virtuti ac gloriae conſecratam.

XVI. Ad orationem ſolennem, honori vltimo diui Chriſtiani, Ducis Saxo-Eiſenbergenſis, dicatam.

XVII. Ad orationem Teutonicam, in auſpicatisſimas nuptias Domini Ioannis Guilielmi, Ducis Saxo-Iſennacenſis, ac Dominae Magdalenae Sibyllae, a Ducibus Saxo-Weiſſenfelſenſibus procreatae, habitum.

XVIII. Ad orationem, in Domini Erneſti Auguſti, Ducis ac Principis Saxo-Vinarienſis, ex peregrinatione, reditu, dictam.

XIX. Ad panegyricum, Domini Guilielmi Erneſti, Ducis Saxo-Vinarienſis, natalibus ſacrum.

XX. Ad cerimonias funebres, diuae Dorotheae Mariae, Ducis Saxo-Meiningenſis, honori ſupremo, inſtituendas.

XXI. Ad panegyricum, Domini Mauritii Guilielmi, Ducis Saxo-Zizenſis, natalibus ſacrum.

XXII. Ad panegyricum Germanicum, Domini Auguſti Guilielmi, Ducis Brunſuicen-

ſis ac Luneburgenſis, natalibus dictum.
XXIII. Ad orationem panegyricam, ſacris iugalibus Domini Erneſti Auguſti, Ducis Saxo-Vinarienſis, & Dominae Guilielminae Eleonorae, Principum Anhaltinorum propaginis, conſecratam.
XXIV. Ad panegyricum Germanicum, die natali Domini Friderici, Ducis Saxo-Gothani, habendum.
XXV. Ad orationem Germanicam, Domini Ioannis Guilielmi, Ducis Saxo-Iſennacenſis, ortui ſacrum.
XXVI. Ad orationem Germanicam, Dominae Aemiliae Iulianae, nuptae Comitis Suartzburgo-Rudolſtadienſis, a Comitibus Barbienſibus genitae, honori vltimo dictam.
XXVII. Ad panegyricum Teutonicum, Domini Alberti Antonii, quatuor S. R. I. Comitum, atque Comitis Suartzburgo-Rudolſtadienſis, manibus dedicatum.
XXVIII. Ad panegyricum funebrem, Samuelis Strykii, Iureconſulti Halenſis, memoriae conſecratum.
XXIX. Ad orationem, qua Profeſſores Theologi duo, Michael Foertſchius, & Ioannes Franciſcus Buddeus, excipiebantur.
XXX. Ad orationem funebrem, Chri-

ſtophori Henrici Loeberi, Orlamundanorum praeſulis, honori dicatam.

XXXI. Ad panegyricum, Domini Ludouici, Principis primogeniti Haſſo-Darmſtadienſis, origini ſacrum.

XXXII. Ad orationem, Domini Friderici Auguſti, nati principis Naſſouiae, die natali habitam.

XXXIII. Ad orationem funebrem, Dominae Henriettae Sophiae, nuptae Ducis Saxo-Hilperhuſanae, ex Principibus Waldeccenſibus natae, honori vltimo dedicatam.

XXXIV. Ad cerimonias funebres diuae Iohannettae, nuptae Ducis Saxo-Iſennacenſis, a Comitibus Saynae ac VVittgenſteinii procreatae.

SECVNDI ORDINIS
ARGVMENTA
IN AVSPICIIS REGIMINIS ACADEMICI

I. Domini Guilielmi Henrici, Iuuentutis Principis Saxo-Iſennacenſis, ceu Rectoris magnificentiſſimi.

II. Guilielmi Hieronymi Bruckneri, ICti & antecesſoris, atque iurium profeſſoris ordinarii.

III. Ioannis Hadriani Sleuogtii, medicinae

Doctoris, ac profeſſoris ordinarii, medicique prouincialis.

IV. Ioannis Iacobi Mulleri, iuris Doctoris, nec non logicae profeſſoris ordinarii.

V. Adriani Beieri, ICti & anteceſſoris, ac iurium profeſſoris ordinarii.

VI. Georgii VVolffgangi VVedelii, conſiliarii atq; archiatri Saxonici, nec non Doctoris & profeſſoris medici ordinarii.

VII. Georgii Alberti Hambergeri, phyſicae & mathematum profeſſoris ordinarii, alumnorumque Ducalium ephori.

VIII. Michaelis Foertſchii, theologiae Doctoris ac profeſſoris primarii, nec non ordinis ſui Senioris.

IX. Ioannis Bernhardi Friſii, ICti, a conſiliis aulae ſynedriique Ducalis, nec non anteceſſoris, & iurium profeſſoris ordinarii.

X. Ioannis Hadriani Sleuogtii, medicinae Doctoris ac profeſſoris ordinarii, phyſicique prouincialis.

XI. Ioannis Georgii Mulleri, poeſeos profeſſoris ordinarii.

XII. Ioannis Franciſci Buddei, theologiae Doctoris & profeſſoris ordinarii.

XIII. Ioannis Philippi Sleuogtii, ICti, conſiliarii Saxonici, nec non anteceſſoris, ac iurium profeſſoris ordinarii, & in ſuo collegio Senioris.

XIV.

XIV. Georgii VVolffgangi VVedelii, conſiliarii atque archiatri Saxonici, Doctorisque ac profeſſoris medici.

XV. Ioannis Caſparis Poſneri, eloquentiae Profeſſoris ordinarii.

XVI. Michaelis Foertſchii, theologiae Doctoris ac profeſſoris ordinarii.

XVII. Chriſtiani VVilduogelii, ICti, conſiliariique intimi, nec non anteceſſoris ac profeſſoris ordinarii.

XVIII. Ioannis Hadriani Sleuogtii, medicinae Doctoris ac profeſſoris ordinarii, medicique prouincialis.

XIX. Burcardi Gotthelffi Struuii, iuris Doctoris, hiſtoriarumque profeſſoris ordinarii.

XX. Ioannis Franciſci Buddei, theologiae Doctoris ac profeſſoris ordinarii.

XXI. Guilielmi Hieronymi Bruckneri, ICti atque anteceſſoris, nec non iurium profeſſoris ordinarii.

XXII. Ioannis Adolphi VVedelii, medicinae Doctoris ac profeſſoris ordinarii, phyſicique prouincialis.

XXIII. Ioannis Iacobi Syrbii, philoſophiae primae & rationalis profeſſoris ordinarii.

XXIV. Ioannis Andreae Danzii, theologiae Doctoris, huiusque, & linguarum orientalium profeſſoris ordinarii.

XXV. Ioannis Bernhardi Friſii, aulae ſy-

nedriique Ducalis conſiliarii, itemque anteceſſoris, ac in prouinciali curia, & ſcabinorum collegio, adſeſſoris.

XXVI. Georgii VVolffgangi VVedelii, conſiliarii atque archiatri Ducalis, nec non medicinae Doctoris ac profeſſoris ordinarii.

XXVII. Ioannis Reinhardi Ruſii, linguarum orientalium profeſſoris ordinarii.

XXVIII. Michaelis Foertſchii, theologiae Doctoris & profeſſoris ordinarii.

XXIX. Ioannis Chriſtiani Schroeteri, ICti, & iurium profeſſoris ordinarii, inque prouinciali curia, & ſcabinorum collegio, adſeſſoris.

XXX. Ioannis Hadriani Sleuogtii, medicinae Doctoris ac profeſſoris ordinarii, phyſicique prouincialis.

XXXI. In renunciationem priuatam Magiſtri Caroli Ludouici Hahnii, diaconi Longoſaliſſani.

XXXII. In honores philoſophicos, M. Carolo Ludouico Hoheiſelio, Gedanenſi, priuatim collatos.

XXXIII. In honores ſimiles, M. Ioanni Henrico Thamero, Aquisgranenſi, ſimili modo tributos.

XXXIV. In gradum Doctoris philoſophi, quem Dauid Richterus, Guſtrouienſis Mecklenburgicus, priuatim coſequebatur.

XXXV. In Magiſtri philoſophi dignitatem, Auguſtino Gerdeſio, Stargardienſi Pomerano, in collegii conclaui delatam.

XXXVI. In honores Doctoris philoſophi, Ioanni Andreae Pfefferkornio, Cruciburgenſi Thuringo, in iudicii academici conclaui tributos.

XXXVII. In Magiſtri inſignia, quibus Iacobus Iohanſenius, Regiomontanus Boruſſus, in conclaui iam dicto, ornatus eſt.

XXXVIII. In dignitatem ſimilem, ſimiliter impetratam, M. Chriſtiani Guttheri, Regiomontani Boruſſi.

XXXIX. In honores ſimiles M. Chriſtophori Crameri, Schiffenburgenſis Boruſſi.

XL. In renunciationem priuatam M. Coeleſtini Conradi Neufeldi, Regiomontani Boruſſi.

XLI. Inuitatio ad magiſterii actum ſolennem.

XLII. Promulgatio renunciationis priuatae.

XLIII. Ad publicam Magiſtorum creationem inuitatio.

XLIV. Inuitatio ſimilis.

ARGVMENTA
TERTII ORDINIS
QVIBVS
DENVNCIABANTVR
PRAELECTIONES SEMESTRES

I. Aeſtiuae, A. MDCXCVI.

II. Hibernae, A. MDCXCVI.
III. Hibernae, A. MDCCI.
IV. Aeſtiuae, A. MDCCII.
V. Hibernae, A. MDCCII.
VI. Aeſtiuae, A. MDCCIII.
VII. Hibernae, A MDCCIII.
VIII. Aeſtiuae, A. MDCCIV.
IX. Hibernae, A. MDCCIV.
X. Aeſtiuae, A. MDCCV.
XI. Hibernae, A. MDCCV.
XII. Aeſtiuae, A. MDCCVI.
XIII. Hibernae, A. MDCCVI.
XIV. Aeſtiuae, A. MDCCVII.
XV. Hibernae, A. MDCCVII.
XVI. Aeſtiuae, A. MDCCVIII.
XVII. Hibernae, A. MDCCVIII.
XVIII. Aeſtiuae, A. MDCCIX.
XIX. Hibernae, A. MDCCIX.
XX. Aeſtiuae, A. MDCCX.
XXI. Hibernae, A. MDCCX.
XXII. Aeſtiuae, A. MDCCXI.
XXIII. Hibernae, A. MDCCXI.
XXIV. Aeſtiuae, A. MDCCXII.
XXV. Hibernae, A. MDCCXII.
XXVI. Aeſtiuae, A MDCCXIII.
XXVII. Hibernae, A. MDCCXIII.
XXVIII. Aeſtiuae, A. MDCCXIV.
XXIX. Hibernae, A. MDCCXIV.
XXX. Aeſtiuae A. MDCCXV.
XXXI. Hibernae, A. MDCCXV.

XXXII. Aeſtiuae, A. M D CCXVI.
XXXIII. Hibernae, A. M D CCXVI.
XXXIV. Aeſtiuae, A. M D CCXVII.
XXXV. Hibernae, A. M D CCXVII.
XXXVI. Auctoris, proluſio auſpicalis de Phoenice.

QVARTI ORDINIS ARGVMENTA SIVE EDICTA ET SCRIPTA POENALIA.

I. Programma, quo edictum Ducale, aduerſus duella & iniurias, promulgatur.
II. Adhortatio ad poenitentiae & ieiunii ſacra, pie colenda.
III. Interdictum aduerſus clamores graſſationesque nocturnas.
IV. Contra turbas, in vrbe & pagis, ſacris praeſertim temporibus, datas.
V. Programma, de compotationum, tubarumque ac tympanorum abuſu, diebus praecipue ſanctis, vitando.
VI. Interdictum aduerſus clamatores moleſtos, & profanos in templis ſpatiatores.
VII. Dehortatio a nundinarum turbatione, & abuſu vocabuli VIVAT!
VIII. Prohibitio tum aliorum clamorum,

tum illorum praeſertim, quibus vox VIVAT! improbe vſurpatur.

IX. Venationum atque ſcloporum prohibitio.

X. Interdictum ſimile.

XI. Programma, quo Patris patriae interdicta, aduerſus venationes ciuium, & inſtrumentorum bellicorum, ignitique pulueris vſurpationem, in notitiam aliorum eduntur.

XII. Interdictum aduerſus nundinarum abuſus.

XIII. Argumenti eiusdem programma.

XIV. Dehortatio a militum oppidanorum vexatione.

XV. Dehortatio a nuptiarum turbatione.

XVI. Edictum, de fructibus tam hortorum, quam vinearum, haud rapiendis, arboribusque & vitibus non perdendis.

XVII. Interdictum aduerſus lignorum ereptionem, & bombardarum abuſum.

XVIII. Interdictum aduerſus ſcripta famoſa.

XIX. Programma, quo patriae Patris edictum, de nocturnis circuitoribus, promulgatur.

XX. Interdictum, aduerſus facum ardentium, lignorumque accenſorum abuſum.

XXI. Dehortatio a militum atque ciuium prouocatione.

XXII. Edictum, de nominibus apud Rectorem academiae profitendis.

XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII. Citationum, quas vocant, formulae.

XXIX, XXX, XXXI, XXXII, XXXIII, XXXIV, XXXV, XXXVI. Proſcriptionum elogia.

XXXVII. Leges ciuium academiae Ienenſis, a minus latinis nuperius expurgatae.

ARGVMENTA
QVINTI ORDINIS
IN
EXEQVIIS

I. Fridemanni Bechmanni, theologiae Doctoris, ac profeſſoris primarii, & academiae Senioris.

II. Ioannis Probſtii, sereniſſimi Ducis Gothani, in rebus aerarii, conſultoris.

III. Adolphi Chriſtiani Schelhaſii, iuris Doctoris, & in iudicio aulico aduocati.

IV. Ioannis Bielkii, oppidanae reipublicae conſulis, ac bibliopolae.

V. Iuſti a Soden, eiusdem reipublicae conſulis.

VI. Caroli Caſſae, linguarum exoticarum profeſſoris.

VII.

VII. Erneſti Henrici VVedelii, Doctoris ac profeſſoris medici, ciuitatisque Ienenſis, & prouinciarum Dornburgenſium atque Burgelenſium phyſici.

VIII. Ioachimi Seekii, iuris Doctoris, inque prouinciali curia aduocati ordinarii, & in oppidano ſenatu, ſyndici.

IX. Friderici Kromeyeri, rationibus militiae ac Ienenſis prouinciae, vt & lignorum, quae Sala fluuio deuehuntur, praefecti.

X. Ioannis Matthiae Bieleri, iuris Doctoris, reipublicae Ienenſis conſiliarii, inque prouinciali curia aduocati ordinarii, atque curſuum publicorum magiſtri.

XI. Ioannis Ottonis Horſtii, medicinae Doctoris, nec non conſiliarii & archiatri Saxo-Iſennacenſis.

XII. Adami Vateri, poligraphi.

XIII. Caroli Dauidis Roſtii, iurium Doctorandi.

XIV. Ieremiae Stoepleri, in curia aulica Ienenſi procuratoris.

XV. Adriani Beieri, Iureconſulti & anteceſſoris, ac pandectarum profeſſoris ordinarii, inque prouinciali curia adſeſſoris.

XVI. Eliae Caſparis Iudelii, medicinae Doctoris, reique publicae oppidanae phyſici.

XVII.

XVII. Ioannis Martini Greſſii, iudicis oppidani.
XIIX. Ioannis Theophili Laurentii, Doctoris medici.
XIX. Georgii Alberti Hambergeri, rerum mathematicarum & naturalium profeſſoris ordinarii, & alumnorum Ducalium inſpectoris.
XX. Ioannis Heimreichii, medicinae Doctoris, conſulisque vicarii, ac praetoris.
XXI. Ioannis Iacobi Mulleri, iuris Doctoris, nec non ethices ac politices profesſoris ordinarii, ſuoque in ordine Senioris.
XXII. Georgii Adami Noezelii, cenſitoris Ienenſis.
XXIII. Ioannis Martini Hofmanni, medicinae Doctoris.
XXIV. Vlrici Marbachii, iuris Doctoris, cauſarumque patroni.
XXV. Fratrum duorum, vna demortuorum, M. VVilhelmi Seyfridii, P. L. C. & Gabrielis Seyfridii, iuris cultoris, Norimbergenſium.
XXVI. M. Ioannis Michaelis Ruckeri, VVernicenſis Rotenburgici, ad Tubarim.
XXVII. M. Georgii Thermenii, VVeſtermannenſis Sueci.
XXVIII. M. Ioannis Iuſti Stephani, Marburgenſis Haſſi.

XXIX. M. Caroli Friderici Buddei, Anclamienſis Pomerani.

XXX. VVilhelmi Kreuſleri, gladiaturae magiſtri.

XXXI. Friderici Kreuſleri, artis eiusdem magiſtri.

XXXII. Ioannis Meieri, ciuis ac bibliopolae.

SEXTI ORDINIS
ARGVMENTA
HOC EST
ORATIONES ALLOCVTIONESQVE

I. Oratio, in exequiis diui Bernhardi, Ducis Saxo-Meiningenſis, die VI Iunii, A. MDCCVI, Senatus academici nomine, ab auctore habita.

II. Oratio funebris, diuae Dorotheae Mariae, nuptae Ducis ac Principis Meiningenſis, memoriae, Senatus academici nomine, ab auctore dicata.

III. Panegyricus funebris, Samuelis Strykii, Regis Boruſſiae, atque Electoris Brandenburgici, a conſiliis intimis, & in Halenſi academia profeſſoris primarii, & Facultatis Iuridicae praeſidis ordinarii, honori ſupremo, a Ioanne Henrico de Heſſ-

Heſſlet, Equite Thuringo, in templo academiae recitatus.

IV. Oratio, de bono tranquillitatis academicae, in magiſtratus, a ſe accepti, auſpiciis, die VI Febr. A. M D CCX ab auctore dicta.

V. Oratio de praeſenti regiminis academici ſtatu, die VII Aug. A. M D CCX, ab auctore, cum faſces tunc academicos ſucceſſori traderet, recitata.

VI. Oratio de origine cerimoniarum, in creandis Magiſtris vſitatarum, die XX Dec. A. M D CCVII, in ſolenni magiſterii actu, habita.

VII. Oratio, qua Magiſtrorum dignitas, ex ipſo illorum nomine, contra eorum oſores defenditur, in actu magiſterii publico, die XIII Dec. A. M D CCXIV dicta.

VIII. Oratio de eloquentia medici, A. M D CCVII, die XVI Aprilis, cum medicinae Doctorem, Hermannum Fridericum Teichmeyerum, in conclaui collegii, Magiſtrum crearet, ab auctore habita.

IX. Oratio, de facultate dicendi, theologis atque ſacerdotibus congruente, A. M D CCVII, die XVI Iulii, cum Ioannem Hedenium, eccleſiae Holmienſis, in Suecia, ad diuam Vlrici Eleonorae aedem, diaco-

conum, Magiſtrum renunciaret, ab auctore dicta.

X. Oratio, de Germanis, a barbariei macula liberandis, A. CIↃ IↃCCXIII, die XXI decembris; cum argumenti iſtius quaeſtio a Magiſtro nouello proponeretur, ab auctore, in templo collegii, recitata.

XI. Oratio, de literarum Germanicarum originibus, qua auctor ſimiliter quaeſtionem, A. CIↃ IↃCCXVII, D. XVIII martii, a Magiſtro allatam, de more ſoluebat.

XII. Auctoris reſponſio ad petitionem brabeutae, A. CIↃ IↃCCXV, D. XXV Februarii, cum Decani officium gereret, recitata.

XIII. Auctoris allocutio ad Senatum, cum A. CIↃ IↃCCX, die feſto, qui trium Regum dicitur, ad munia Prorectoris deligeretur.

XIV. Allocutio ad eundem, cum noui Prorectoris electionem, A. CIↃ IↃCCX, die ſacro Mariae, Eliſabetham cognatam viſitantis, indiceret.

XV. Allocutio, die eadem, de Prorectore tunc deſignato, ad Patres academiae inſtituta.

XVI. Sermo, ad conuictores Ducales, de ipſorum profectibus explorandis, paulo poſt habitus.

XVII. Sermo ad Prorectorem ac Senatores, cum ad ſuſcipiendas magiſtratus academicij partes, A. CIↃ IↃCCXVIII, die ſollemni,

ni, a tribus Regibus nomen ſortito, rurſus deſignaretur.

XVIII. Sermo auctoris, cum recens vocatum matheſeos profeſſorem ordinarium, anno eodem, die XXII Februarii, in ſenatum introduceret.

XIX. Allocutio apodemica, ad Dn. Nicolaum Chriſtophorum, S. R. I. Equitem, & Liberum Baronem de Lyncker, ad auſpicanda conſiliarii aulici, in laudato Imperio, munia, IIX Id. Iunii, A. CIↃ IↃCC VII, Iena digredientem, Senatus Iuridici nomine, inſtituta.

XX. Auctoris Allocutio apodemica ad M. Fridericum Gotthelfum Gotterum, ordini Philoſophorum adſcriptum, Cal. Octobr. CIↃ IↃCC XI, ad Rectoris Eiſenbergenſis munia capeſſenda, hinc abeuntem.

XXI. Allocutio gratulatoria, ad Georgium Balthaſarem Reichardum, Gothanum, ſummos in philoſophia honores, XII Cal. Nouembr. CIↃ IↃCC VI indeptum.

XXII. Ad Gotterum laudatum, de vxoris Pilati ſomnio diſputantem, fauſta auctoris acclamatio.

XXIII. Eiusdem generis acclamatio ad Andream Rinnebergium, Nordhuſanum, de infauſtis theſauri, prope patibulum vrbis

 Ienae,

Ienae, ſcrutatoribus diſputantem, Calend. Iul. cIↄ Iↄcc XVI ſcripta.

ARGVMENTA
ORDINIS SEPTIMI

I. Inſcriptio, qua auctoris oratio ſecularis, cum programmate, Viro illuſtri, Georgio Wolfgango Wedelio, dedicatur.

II. Programma ſeculare, de Thuringorum religione, D. XXXI Octobris, cIↄ Iↄcc XVII, propoſitum.

III. Oratio ſecularis, de emendationis ſacrorum, a Luthero ſuſceptae, diuinitate, in ſeculi a reformata religione ſecundi ſollemnibus, die III Nou. cIↄ Iↄcc XVII, Academiae Ienenſis nomine dicta.

IV. Programma, de victa a Luthero barbarie, quo priuata renunciatio Magiſtrorum duorum, Andreae Langenſee, Lindauienſis Acroniani, & Iacobi Friderici Thyſii, Hildeſienſis, die V Nouembris, cIↄ Iↄcc XVII publicabatur.

V. Programma ſimile, de Ienenſis collegii aede, a Dominicanorum inſcitia atque ſuperſtitionibus liberata; cum Magiſterii candidatus, Fridericus Alexander Künholdus, Gothanus, Doctor philoſophus, in con-

conclaui iudicii academici, eſſet creatus, in lucem emiſſum.

VI. Programma, de pontificum Romanorum tirannide, ante Lutherum, in magiſtratus exerta, in auſpicio magiſtratus aeſtiui, ab auctore gerendi, Domin. V poſt Epiph. cIↄ Iↄcc XVIII, editum.

VII. Oratio, in regiminis huius initiis, die X Februarii cIↄ Iↄcc XVIII, ab auctore habita, qua Modeſtorum in academia Ordo, prae ficta Dominicanorum humilitate, commendabatur.

VIII. Reſponſio ad Profeſſorum Francofurtenſium literas, quibus illi, Ienenſis academiae Patres ad ſacra ipſorum ſecularia inuitabant, Die X Aprilis, cIↄ Iↄcc VI ſcripta.

IX. Reſponſio ſimilis, ad Lipſienſis academiae Senatores, ſollemnia ſua ſecularia pari modo ſignificantes, menſe Nouemb. cIↄ Iↄcc IX, Senatus Ienenſis nomine concinnata.

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

(o)

Digitized by Google

INDEX RERVM.

A

AAron, vatum ſacrorum princeps, 850
Abderitae, Democriti cultores, 930
Abenesra, de Chriſti imagine, 255
Abrahamus, ſepulchri ſui conditor, 597
Abſtinentia a cibis & potu, 434
Abuſus verbi *Viuat!* proſcriptus, 456
Academia della Cruſca, 357
Halenſis, quando condita, 791
Ienenſis Collegium, ſuperſtitionis quondam & ignorantiae ſeptum, 946. quem in finem conſtituta, 523. ab omine ſiniſtro liberata, 50. eius facies, 466. Rectores eius magnificentiſſimi, 149. ſeqq ſtatus ipſius felicior, 797
Pariſienſis, 146. gradibus celebrata, 308
Acade-

Academiae veterum, in barbarorum praedam cedentes, 432. vnde nomen ſortitae, 221. honeſtatis & artium officinae, 217. Anglorum & Batauorum, 779. quo tempore ad hodiernam felicitatem ac gloriam euectae, 822. earum ſcopus praecipus, 217, 799. copia earum, felicitatis cauſa, 337. ſeq.
Academici ſedentes, 806. noſtri ſeculi, 362
Academicus ſedere iuſſus, 806
Achilles, a Chirone inſtitutus, 161
Ackeri M. Ioan. Henrici oratio parentalis, diuis Ioannis Guilielmi, Principis Iſennacenſis, manibus ſacra, 67. Oratio gratulatoria, nouo Theologorum pari ſacra, 128
Actiones pulchrae, venerabiles & magnos reddunt, 45. profanorum, quanti ſint pretii, 232
Actionum condimentum, 204
Adhortatio veterum ad ſilentium & attentionem, 372
Aditus ad ſapientiam, quomodo parandus, 344
Adlocutio ad alumnos Ducales, 885
Admetus, Apollinis amicus, 190. a mortis metu immunis, 672
Admonitio paterna ad Iuuenes ſtudioſos, 482
Aduenientium profectus in ſtudiis explorandi, 511.

Aegri, omni felicitatis fructu carentes, 368.
hiſtoriarum lectione a morbis deſperatiſſimis conualeſcentes, 225
Aegyptii, alios pro barbaris habentes, 867
Oſſa hominis in conuiuia inferentes, 597
Chemiae inuentores, 204. periuros grauiter punientes, 208
Aegyptus, Mercurii regnum, 335
Aemilia Iuliana, Comes, veterum Sabinorum fidei aemula, 115. 117
Aeneas, vota faciens, 919
Aequitas in contractibus colenda, 513
Aër infamis, a coelo Ienenſi auerſus, 369
Aeſculapius, primus medicamentorum inuentor, 240
Aetas, admiratione digna, 562. tenera, ſpei plena, 546. quibus rebus imbuenda, 344
Aetatis grauis ac honorificae exemplum, 562
Affectus, actionum peruerſarum cauſae, 800 an radicitus ſint extirpandi, ib. intellectui officientes, 806
Affirmatio religioſa, 209
Agenoria, ad agendum homines incitans, 346
Ageſilaus, de ciuium cultura rogatus, 366
Agri non depopulandi, 517
Agricultura, cum animae nutrientis virtute comparata, 347
Agrippinae Romanorum celebres, 59
Albericus Bononienſis, praeceptori ſimilis, 781

Alberti, principes Oldenburgici, 114
Albertus Antonius, Schwarzburgicus Comes, 115. ſeqq.
Albertus M. princeps in Germania rerum logicarum ſcriptor, 401. ob mathematica ſtudia & inuenta, magiae & veneficii reus, 391
Alchymiſtae, tabulam Smaragdinam laudantes, 354
Alexander M. ab Ariſtotele inſtitutus, 161
Alexander Seuerus, iuſtitiae exemplum ſtatuens, 189
Alexandri M. hiſtoria, ſanitati vtilis, 225
Alphonſus, Arragoniae Rex, quid in votis habuerit, 201
Alphonſus, Hiſpaniae & Siciliae Rex, 225
Ambitio literatorum honeſta, flammae aſſimilata, 205
Ambroſius, Theodoſio laudatus, 129
Ammianus Marcellinus, 867
Amor erga ſuperiores, 179. omnia vincens, exemplo illuſtratus, 287
Amsdorfius Nic. 524
Anacharſis, Scytha, barbarus, 868
Anatomicus cum magiſtratu comparatus, 187
Anaxagoras de niue quid ſtatuat, 358
Anaxarchus, Alexandri M. aſſentator, 276
Andronicus, tirannus, 650

Angli, Anglo-Saxonum ſocietati atque imperio aliquando adſueti, 28
Anglia, inſigne anatomicorum theatrum, 630
Anglia, Scotia & Hibernia in vnum reipublicae corpus coniunctae, 27
Angues, medicamentis plurimis apti, 241. Cutem quotannis exuunt, 241
Anguis, corniculae ouo incluſus, 240. ſeq. quid in veterum praeſagiis portendat, 341
Anima hominum, quibus praedita ſit facultatibus, 347. In ſtatu poſt mortem deſcripta, 34. eius partes duae, 367
Animae defunctorum, diuinitatis ſplendore illuſtratae, 615
Animaduerſiones olim minores, in maxima ſcelera conſtitutae, 284
Animantes, ſponte ad cibum properantes, 417
Animus, ab importuna natura, ad honeſtatis ſtudia traducendus, 177. quibus remediis ad ſanitatem reducendus, 350
Animorum remedium, 364
Annus nouus, ipſo principio memorabilis, 55
Annorum ſuperiorum felicitas & gloria, 27
Antichriſtus praedictus, 927. 951
Antiquitates Iudaeorum & Chriſtianorum inter ſe comparatae, 295
Apes, cum opificibus Athenienſium comparatae, 360

Apollo

Apollo, Muſarum praeſes, infinitis elogiis cohoneſtatus, 190. duplex paſtoris pedum gerens, 192
Arauſionenſium Princeps, 16
Archimedes, mathematicus ſummus, 806
Ariſtoteles, Alexandri M. praeceptor, 345
Arreſti iniuncti formula, 489
Artaxerxis ad Hyſtam, Helleſponti praefectum, epiſtola, 169
Artes bonae, virtutis & prudentiae ſemina, 370. inter ſe comparatae, 341. Ciceroni duae, 304
Artes ſapientiae cum medicinae praeſidiis comparatae, 350
Artium & diſciplinarum ordo qualis expediat, 391. Officinae earum, vnde meliori ſint apparatu inſtructae, 822
Artifices, inſtitutione opus habentes, 46
Aſanegi quales fuerint, 360
Aſclepius, ex rhetore medicus, 854
Aſpaſiae Phocenſium celebres, 54
Aſtronomiae vſus in principibus, 148
Athenaea complura, a maioribus inſtituta, ope Regia ſeruata, 20
Athenienſium lex ſingularis, 261
Attalus, Pergami monarcha, 170
Attentio ad eam adhortatio, 372
Attoniti in magnis caſibus, 32
Auaritia, curiae peſtis, 640

Auentinus Ioan. hiſtoriarum conditor, 388
Auguſtus, reſponſa reddendi auctor, 185. cius circa leges auctoritas, 185. elogium, 168
Auguſtus Guilielmus, Brunſuicenſium & Luneburgenſium Dux, in ſacris natalibus celebratus, 96
Auguſti menſis auſpicia, Saxoniae exoptata, 104
Auguſtini de corporis humani conditione ſententia, 656
Auguſtiniani, Lutherum ſollicitantes, 933
Auium & ferarum perſecutio prohibita, 457
Aurum, non tam aurum, quam corporis incolumitas, 368
Auri fames quando magis inualuerit, 174
Aureum ſeculum, 174
Auſtria, antiqua ſtirpe nobilis, 69

B

Bacchanalia, legibus prohibita, 515
Badenſium, marchionum familia, 96
Βάρβαρ, βαρβαρόφωνοι, 506
Barbari vox, quid deſignet, 863. ſeqq.
Barbari, graece primum dicere conati, 865
Barbariae regio deſerta, inculta, 865

Barba-

Barbaries in academiis deteſtanda, 335. ſeq. Germanis obiecta, 376. an ab his aliena, 863
Barbariſmus, quibus obiectus, 866
Barbarorum nomine quinam veniant, 864
Barbienſes Comites, 113
Bardi, Germanorum veterum ſacerdotes, 376
Barditus, concentus genus, 386
Bartholini, linguarum peritia celebres, 902
Baſilius Valentinus, chemicorum principiorum auctor, 203
Bebius, litis deciſionem differens, 640
Beccherus Ioan. Ioach. 902
Bechmanni Fridem. Theologi Ienenſis, elogium funebre, 523. ſeqq.
Beieri Adriani, ICti Ienenſis, elogium funebre, 620
Belli & pacis negotia, philoſophiae ope, feliciora, 163
Belgium, peregrinantibus commodum, 559. inſigne anatomicorum theatrum, 600
Bellica ars, cum iraſcentis potentia comparata, 347
Beneficiorum veterum memoria recolenda, 26
Benomotapanorum regum inſignia, imagine expreſſa, 165
Bernhardi M. progenies, ad dignitatis Electoralis culmen euecta, mox ad regnum totius Britanniae delecta, 22

Bernhardi Ducis elogia, 50. merita in Academiam Ienenſem, 51
Bernhardi, Ducis Saxo-Meiningenſis, elogium funebre, 735. oratio funebris in eundem, ibid.
Bernhardus Dux, ſenectute, viuis Saxoniae Ducibus maior, 33. 40
Berolinum, Regiis inſtitutis ſplendidum, 20
Bibendi licentia proſcripta, 446
Bibliotheca Vinarienſis ſplendidiſſima, 85
Bielckii Io. bibliopolae Ienenſis, elogium funebre, 552. ſeqq.
Bieleri Io. Matth. I. V. D. & reipubl. Ienenſ. conſil. &c. Elogium funebre, 589
Bombardae prohibitae, 516
Bona laboribus propoſita, 346
Bonis & malis inopinatis quanta vis iuſſit, 886
Bonitas, cur ei ſit ſtudendum, 168
Bonifacius, magni apud Thuringos nominis epiſcopus, 917.
Bonifacius III. poteſtatis pontificiae auctor, 952
Bonum tranquillitatis academicae, 799
Bonus corporis habitus cunctis bonis praeſtantior, 368
Bonus nemo caſu exiſtit, 397
Borrichius Olaus, linguarum peritiſſimus, 902

Boruſſia

Boruſſia, ad regni faſtigium euecta, 15. In eam artificia Gallorum traducta, 19
Brandemburgicae domus merita, 29
Britannicarum rerum viciſſitudo, 28
Britannorum concordia inaudita, 29. gaudium, 30
Brunnemannus, in Strykio renatus, 779
Brunſuicenſes, augusti quid ſuo in Principe agnoſcentes, 98. eorum domus ad Britannici regni faſtigium prouiſa, 29
Brutus, totius ſol Aſiae, 544
Bruxillus, philoſophus, ad obitum promtus, 127
Buddeus Io. Franciſcus, Theologiae Doctor ac Profeſſor conſtitutus, 127. Academiae Pro-Rector, 194. ſeq. 230
Eiusdem concio funebris in obitum diuae Ducis Meining Mariae Dorotheae, 90
Buddei M. Caroli Friderici elogium funebre 709
Buddei Car. Franc. panegyricus in nuptias sereniſſimorum Principum Saxo-Vinarienſium, 105
Burcardus IV, Oldenburgicae familiae ſucceſſor, 114

C

Caecilius, ſacrae eloquentiae inimicus, 856. ſeq.

Caeſar

Caeſar Iulius, de optimo mortis genere quid ſenſerit, 549. eius ſancitum de ſenatoribus electis, 155
Caeſares quidam, philoſophorum oſores, 162
Caeſares medici, 170
Caſſao Car. Theolog. D. & LL. exot. Prof. Ien. Elogium funebre, 561. ſeqq.
Calor ſolaris quid in generatione hominis efficiat, 412
Camerarii iudicium de litterarum ductibus hodiernis, 877
Capacitas ſupra aetatem, 38
Capita tria collo tenus inter ſe connexa, 353
Captiuus, in caſtra hoſtium rediturus, perfidus, 214
Caput pulchrum, cerebro ac mente priuatum, 373
Cardinales, in noui electione pontificis, parum ſaepe religionis memores, 213
Carlowizius Nicol. Miſniae praeſul, gradu philoſophico ornatus, 843
Carmina Bardorum quem ad vſum tranſlata, 385
Carolus M. chriſtianis fauens, 180. ob templa concelebratus, 74. primus patrii ſermonis grammaticam exorſus, 381. eius fauor in academiam Pariſienſem, 146. pietas, 236. prouidentia circa diſciplinas in Germania amplificandas, 377. 380. 403. inſti-

inſtitutum, viros eruditos & claros ad ſubeunda docendi officia, deuocandi, 841
Carolus Guſtauus, Suecorum Rex, glorioſiſſimae memoriae, 96
Caroli V ſcriptum ad academiam Vindobonenſem, 315
Carolus, Romanor. Imperator ſalutatus, 325
Carolus Wilhelmus, princeps natus Iſenacenſis, 53
Caſtimonia legibus praecepta, 514
Caſtrum Coburgicum an principum natalibus fatale, 758. ſeq.
Catelli, morbis humani corporis comparati, 657
Catilina Ienenſis, 496
Cato de Theologia quid ſenſerit, 126
Characteres Gothici, germanicis ſubſtituti, 875. Teutonum ante Graiorum literas num extiterint, 382. ſolennes, ac tituli quando orti, 823
Charondas de bonarum artium ſtudiis, earumque neceſſitate, 348
Chaſii, iuſſa imperantium ad nutum exequentes, 157
Celſus, latinorum Hippocrates, & medicorum Tullius, 852
Chemica ars quantum ſplendoris conſecuta, 202
Chemicorum principia in memoriam reuocata, 203
Chemni-

Chemnitius Mart. veritatis vltor, 918
Ceres, leges & ſtatuta tuliſſe mortalibus, ficta, 40
Cerimonia Ebraeorum, in magiſtratus auſpiciis adhibita, 237. Cerimoniae antiquae, arcani quid exprimentes, 199. pleraeque vnde profectae, 918.
Cerimoniae honorum academicorum vnde profectae, 824. quanta earum vis atque exiſtimatio, 824. priſcae & ſanctae quid ſignificent, 615
Cerea lumina, in veterum exequiis adhibita, 615
Cibi ſale conditi, quid denotent, 205
Cicero, quantum ad rempublicam momenti in ſtudiis poſuerit, 375. quo nomine ICti auctoritatem deſignet, 795
Cimon Athenienſis, 33
Citatio publica peremtoria, 485. ſimilis, 490 alia, 486
Citationis formula, in fugitiuos tres, 488. alia e carcere fugitiui & furti rei, 490
Ciues academici, cum auribus comparati, 485. cum militibus, ibid.
Ciuis, quis optimus ac honeſtiſſimus, 431. vnde fieri quis poſſit egregius, 370
Ciuitas, cum corpore humano comparata, 187. literata, quantum de Rectore ſuo ſibi polliceatur, 38

Ciuitates

Ciuitates quam ob cauſam maxime ſint conſtitutae, 167
Ciuium munus magiſtratui praeſtandum, 157 eorum ſtatus, quantum philoſophiae praeſidiis iuuetur, 161
Chirurgorum filii, iudicibus imitandi, 167
Clamores & boatus barbarici legibus prohibiti, 516
Clamores contentionesque nocturnae, 489
Claua Herculis, oleo madida, a poëtis ficta, 283
Clerici, an reipublicae praeeſſe debeant, 194
Chlodouaeus, Francorum rex, 916
Cranzius, Lutherum hortatus, 933
Crates Thebanus, vbi habere ſe patriam, ſtatuerit, 699
Chriſtus, magiſtratus ciuilis vindex, 277
Chriſtiani M. Daniae regis, amor in academiam Hafnienſem, 146
Chriſtiani, quibus modis a pontificiis afflicti, 99. arctiſſimo omnes cognationis vinculo coniuncti, 699. eorum fata mutabilia, 672. religio circa iuramenta, 207
Chriſtianus, Dux Saxoniae, glorioſae memoriae, 72. eius religio, 73. pietas in excitandis reparandisque templis, 74
Chriſtina, diui Friderici, Ducis Saxo-Gothani vidua, 58. ſuorum ciuium &

egenorum mater, 62. virtutes eius atque elogia, 69
Chriſtina Iuliana, mater patriae, nato feliciter principe gauiſa, 35. maiorum gloria celebrata, 69. elogia eius reliqua, 68. 78
Chryſippus, tranquillitatis, inter philoſophandum, gaudio fruitur, 806
Codrus Athenienſium, 66
Coena ſacra, an ab Ebraeis ſit deriuanda, 296
Cognitionis humanae faſtigium, in quo ponendum, 387
Columnae & ludi olympiaci, Romanis olim ſolennes, 767 Hermetis in Aegypto, 355
Comites Schwarzburgici quas res geſſerint, 118. ſeq. eorum hodie ſucceſſor, 120
Comitum Palatinorum iura, a quo ſcripta, 315
Commercium cum peregrinis principibus neceſſarium, 81
Comparationes arithmeticae, 173. ſeq.
Compotationes prohibitae, 442. 446
Conclauia quaedam, proteruiae theatra, 443
Concordia exemplo illuſtrata, 77. ſocietatis vinculum, 250
Conſenſio procerum ordinumque, apud Britannos rara, 29

Conſiliarii, cum oculis comparati, 189
Conſtans nihil inter homines, 138
Conſtantinus M. ob diuina aedificia celebratus, 74. primus chriſtianorum caeſar, 237. eius effigies, nummis aureis expresſa, 238
Conſtantius Imperator, 243
Conſtitutiones, quando innumerae introductae, 181
Contentiones ac pugnae interdictae, 429
Continentia Scipionis, 231
Contrahendi ratio in permutatione rerum poſita, 174
Conuerſio rerum inexpectata, 610. piis exoptata, 672
Coſae ſocii, quae fata tulerint, 158
Corollae myrteas, flabellorum vſum praeſtantes, 265
Corona pontificis Romani triplex, 954
Coronae ac ſceptra, cum coelibum ornamentis ac veſtibus commutata, 965. Iſraelitarum, 89
Cornu venaticum, prohibitum, 456
Corpora, quid ſine mente, 266
Creontis Sophoclei effatum, 159
Crypto-Caluiniani, quantum mali academiae Ienenſi intulerint, 126
Cunaeus Petrus, quanti nominis, 902
Curaei Sileſii fatum, cum ſanari non poſſet, 645

Digitized by Google

Curtius, Alphonſi, regis Siciliae, ſoſpitator, 225
Cyrus, Deo dignitatem ſuam tribuens, 235. de imperantium praeſtantia iudicans, 222. de fato imminente, ſomno admonitus, 620
Cyrus minor, Perſiae rex, hortum Lyſandro monſtrans, 884

D

Dalgarnius Georg. Anglus, 903
Danzius Io. Andr. academiae Pro-Rector deſignatus, 225
Dauid, pie magiſtratu functus, 195
Deambulationes in templis prohibitae, 444
Decius, Romanorum Imperator, 66
Decretum curiae Romanae, in Tridentino concilio promulgatum, 311
Delicta & ſcelera temporum priſtinorum, 816
Democritus Chriſtianus, ſiue Dippelius, 857. 860
Democritus, remedii bonorum liberorum auctor, 363
Demoſthenes, de ducum ac centurionum electione, 27
Dentibus albis excipiendus, 352
Deſignatio noui Academiae Pro-Rectoris, 883
Deus, verae religionis auctor, & haereſium vindex,

vindex, 25. numero deſignatus, 72. iniuriarum vltor, 174. vltor ſcelerum, 177 in teſtem ac vindicem vocatus, 201. principum & magiſtratuum arbiter, 278. cognitis rerum creatarum naturis, tanquam ipſarum opifex colendus, 352. in Luthero loquens, 934
Dei benignitas & potentia, in reformationis negotio, 925
Dei gratia, exordiendi formula, a quibus recepta, 237
Dei ſimilitudo, in ſuperioribus expreſſa, 157
Dei prouidentia circa familiarum illuſtrium conſeruationem, 9. 10. circa imperiorum viciſſitudinem, 14. circa Principum ac ciuium fortunam, ibid.
Diadumenus, regni praedicti compos, 191
Didiciſſe, aut ſcire, num ſufficiat, 352
Dies induciarum, haud noctes, pacti, 281
Dies, in honorem Cereris, religioſus quondam Athenis habitus, 40. natalis principis, prae aliis memorabilis ac ſolennis, 40
Dies poenitentiae ſacra, 433
Dies ſacri, laſciuia & impietate contaminati, 444
Digiti extenſi, quid indicent, 271
Dignitates mortalium quomodo ſe habeant, 611

Dinantium, ſuperbe ac imprudenter iactans, 622
Diogenes Cynicus, quid artificii addidicerit, 840
Dionyſius Halicarnaſſeus, exemplis hiſtoriam docens, 227
Diſcedentium ex academiis comitatus frequens, prohibitus, 227
Diſciplina academica, exemplo firmata, 494. eius limites non tranſſiliendi, 493. apud Romanos ſaepius corrupta, 159
Diſciplinarum cultura melior atque vberior, 378
Diſcipuli, praeceptorum aemuli, 798
Diſcurrentes in templis, quid agant, 490
Diſtinctionum notae, a quibus repertae, 876
Doctor ruſticus, 290
Doctores artium liberalium, Iulii Caeſaris aeuo celebrati, 315. certis olim ſignis initiati, 825. Doctores omnium diſciplinarum, in quo conſpirauerint, 841
Doctrina, optima animi medicina, 364. ex fructu aeſtimanda, 13. cum exemplis coniungenda, 781. eius primordia, vnde capienda, 391
Doctrinae ac ſcientiae inter ſe colligatae, 313
Dominicani, Auguſtinianis inſultantes, 933. 947. collegii Ienenſis habitatores primi, 949. modeſtiae regulis adſtricti, 957. quantum ſibi indulgeant, 961. 966

Dominicus, vnde ortus, 947. quo inſaniae progreſſus, 961. ſeq
Dominium in feras, quibus competat, 461
Domus foueae, 254
Dornii M. Io. Chriſt. panegyricus in Iuuentutis Principem Saxo-Vinarienſem, Erneſtum Auguſtum, 48
Dorotheae Mariae, diuae Ducis Saxo-Meining. elogium funebre, 752. eadem cum Britannorum regina, Maria, comparata, 762
Druidae Germanorum veterum, qui fuerint, 376. iidem, vatesque & Bardi, Teutonum ſapientiae magiſtri, 869
Druides, multa de deorum immortalium vi diſputantes, 378
Duella, quando in ſupplicium verſa, 430. eadem & conflictus prohibiti, 516. quando minus frequentia, 797
Duellum cum commilitone initum, 493
Durlacenſium marchionum familia, 96. eius auctor, 70
Dux Luneburgenſis, meritis inclitus, 23
Ducum Saxonicorum familia eminentiſſima, 32

E.

Ebraeorum ritus, cum ceremoniis chriſtianis comparati, 292

Ebrietas grauiter reprehenſa, 447. eius fama quaeſita, 446
Ebrii, ineptum de rebus iudicium ferentes, 200
Edelmanni Io. Chriſt. ſermo panegyricus in Ducales nuptias Saxo-Iſennacenſes, indictus, 79
Edictum Caroli V. de ſcripturis famoſis, 477
Edomitae, ſiue Eſauitae, 255
Effigies gubernatorum adoratae, 156
Electoratus Hannouerani auctor, 8
Eliſabetha, Friderici V. Electoris ac Principis Palatini, coniux, regionum Britannicarum heres, 29
Elocutio, in dicendi ſapientia, virtus, ſumma, 968
Eloquentia in diſciplinis regnans, 855. pro fuco habita, 856. an medicis conueniat, 850. ſeqq. an ſacerdotibus ac theologis digna, 858. eius ſtudium in Caeſare & Auguſto, 148. Sacrae inimicus Caecilius.
Epaminondae ſententia memorabilis, 61
Epheſii, Pherecydis cultores, 930
Epicuraeorum turbae, 767
Epiſtolae obſcurorum virorum, 944
Eraſiſtrati merita in medicinam, 168
Erneſtinae atque Albertinae lineae, fraternae concordiae exempla, 77

Erneſtus Auguſtus, Iuuentutis Princeps Vinarienſis, 44. 80. ſeqq. a maioribus celebratus, 81. quibus moderatoribus vſus, 81. quibus ſcientiarum generibus inſtructus, 47. ſponſus celebratus, 99. 102
Erneſtus, Durlacenſis marchionum familiae auctor, 70. quibus in rempublicam meritis celebrandus, ibid.
Eruditi in academiis conſpicui, 20
Eruditio, quantum ad potentiam atque opes valeat, 370. eius finis, 288
Eruditorum numerus inter medicos, 850
Eſaui anima, num in Chriſtum migrauerit, 205
Europa, imagine hominis deſignata, 353
Exempla principum, quid valeant, 45
Exempla poenarum, pro re nata, ſtatuenda, 992
Exequiae veterum, quomodo inſtitutae, 615
Expectanda non omnia, quae exoptanda, 798
Exuuiae Mariae virginis, quo ſint delatae, 615

F

Fabarii Io. Wilh. oratio, natali Principis & patriae Patris, Ioan. Wilhelmi, Ducis Saxo-Iſenacenſis, ſacra, 112
Fabius Romanus, contra dictatoris imperium defenſus, 284

Facta ſuperiorum, quid valeant, 45
Fanatici, magiſtratum impugnantes, 175. honoribus academicis infenſi, 290
Fata, belli tempeſtate, 526. mortalium acerba & infelicia, 644. eadem, & valetudo ſiniſtra, nobis obſtantia, 33
Fatorum, hoc eſt Numinis diuini occulta poteſtas, 28
Felicitas ſumma, mortuis demum ſperanda, 672
Ferarum auiumque venatio & captura prohibita, 517. earum perſecutio & captura, quibus propria, 460
Ferdinandus, rex Hiſpaniae, religionis praetextu vtens, 195
Fines rerum actionumque diuerſi, 298
Firmum nihil ac ſtabile in rebus humanis, 18. Idem morte Regia confirmatum, 18
Flabellum, ſiue muſcarium, quid praeſtet, 292
Fluuii ante innauigabiles, mercibus & nauigiis vehendis aptati, 19
Foertſchius Mich. D. theologiae profeſſor conſtitutus, 127. academiae Pro-Rector, 180. 212. 274. 819.
Eiusdem oratio funebris ſacra, in obitum diui Bernhardi, Ducis Sax. indicta, 53
Fortuna ſtatuum diuerſa, 139
Franciſcus Luneburgenſis, 9
Fratres duo, vno funere elati, 686

Friderica Eliſabetha, Iſennacenſis familiae Princeps, 78

Fridericus Auguſtus, Princeps, Naſſouiae Ducis ſucceſſor, 139

Fridericus bellicoſus, 32

Fridericus, Dux Saxoniae glorioſus, 105. Salomonis ſapientiſſimi inſtar, 105. a ſymbolo laudatus, 105. cum Veſpaſiano comparatus, 106. cum Friderico Placido, ibid. Erneſti pii virtutibus celebratus, 106. a pietatis auitae & religionis ſtudio, praedicatus, 107. dexteritatis & prudentiae temperamento gaudens, ibid. Friderici inſtar Sapientis, aliis in exemplum propoſitus, 107

Fridericus, Dux Saxo-Gothanus, in natalibus celebratus, 104. academiae Ienenſis nutritor & pater benigniſſimus, 104

Friderici, Imperatoris, verba, ex authentica 237

Fridericus, Rex Boruſſiae, cum Octauiano Auguſto comparatus, 25. eius magnanimitas, 12. amor in ſtudia, 13. elogia reliqua, 18. luctus in obitu Coniugis, 12. ſeq. regno nuncium remittentis memoria renouata, 18. viua praeſtantiae ac virtutis imago, in animis ciuium ac poſterorum relicta, 18

Friſius, Io. Bern. D. Academiae Pro-Rector, 185. 257

Front,

Frons, ſapientiae ſedes, inter iudicandum percuſſa, 290

Funera ad excitandos nos apta, 706

G

Galenus, ob eloquentiam celebris, 852

Galli, cum Bouhourſio, linguam Germanorum carpentes. 570

Gallorum artificia & commercia, in regnum Boruſſiae traducta, 19. copiae ad Conſarbrucum fugatae, 23

Gemma Friſius, artis medicae peritus, 633

Geometriae ſtudia, a Turcis etiam aeſtimata, 163

Georgius Auguſtus, Dux Naſſouiae, 137

Georgius Ludouicus, Elector ac Princeps Hannoueranorum, in ſuo natali laudatus, 12. magnae Britanniae rex delectus, 30

Germania, regis Boruſſiae ope, erecta, 19. antiquae ciues maſculi, 385. recentioris ſtatus exulceratus, 30

Germani veteres, ob barbariem traducti, 375. orationis decora haud negligentes, 382. eorum indoles, num a philoſophia olim abhorruerit, 394. ſacerdotum eorum, ſiue profeſſorum genera, 376. eorum ſtudia, 376. an lingua vſi fuerint graecanica,

nica, 866. Germanorum proceres, regum dignitatibus aucti, 27. Recentiores, cum graecis certantes, 866. quibus moribus adſueti, 396. ad ſeruitutis pontificiae iugum redacti, 399. ſummum libertatis faſtigium adepti, ibid. pagani adhuc, omnium fere diſciplinarum ſtudioſi, 402.
Germanorum lingua a Gallis reprehenſa, 870
Germanicus, peregrinator, 82
Gladiatoria, eiusque apud veteres vſus, 717
Gladiatores temerarii, 431
Gloria, aetati non alligata, 38
Gotteri M. Frider. Goth. oratio funebris, in obitum Ducis Chriſtinae, 63. elogia ipſius, 896. ſeq.
Gradarii, non curſores, ad dignitates academicas admittendi, 309
Gradus honorum, a ſcalis ſic dicti, 307. laborum certi in academiis, 312. academici, quo loco habendi, 304. vnde originem traxerint, 304. magiſtrorum & doctorum diuerſi, 298
Graduum, ſeu dignitatum academicarum ſcopus, 312
Graecia, in praedam barbaris cedens, 432
Graeci, hodie barbari, 869
Gratia Dei, nunquam ſatis laudanda, 35. eius argumenta, 760

Gratiae

Gratiae, Principibus, Erneſti inprimis familiae, debitae, 57
Graſſationes nocturnae prohibitae, 438. 440
Gratulationis ac laetitiae cauſae, 30. 31
Greffii Io. Matt. praetoris Ienenſ. elogium funebre, 639. ſeqq.
Gregorius Nazianzenus, de rerum viciſſitudine, 610. Nyſſenus, de veterum, circa funera, cerimoniis, 615
Grotius Hugo, primus iuris naturalis ſcriptor, 660. iuris belli & pacis conditor, 661. qualem ſub mortem ſe exhibuerit, 662. eius elogium, 660. ſeqq.
Grupenii Chriſt. Vlric. oratio de Electoris Hannouerani ortu factisque, 25. eiusdem panegyricus in regem Angliae recens delectum, 31
Guilielmus Erneſtus, Dux Saxo-Vinarienſis, 44. Idem, in ſuis natalibus celebratus, 83. cum Io. Conſtante, & Friderico magnanimo comparatus, 85. cum maioribus ſuis collatus, ibid. elogia eius, ibidem.
Guilielmus Henricus, Rector academiae Ienenſis magnificentiſſimus, bonis exceptus ominibus, 36 - 42. 141. ſeq.
Guolfgangus I. gentis Oldenburgicae, & reformatae per Lutherum religionis auctor, 113

Gunthe-

Guntherus III, Oldenburgicus heres, 114
Guſtauus Adolphus, Suecorum rex, ominis fatalis interpres, 621

H.

Hadrianus, mortem ſibi praeſagiens, 621
Hala Saxonum, Regiis inſtitutis celebris, 20. ad academiam deſtinata, 791
Hambergeri Georg. Albert. Phyſ. & Math. Profeſſ. Ienenſ. elogium funebre, 650. ſeqq.
Hannoueranorum Ducum familia celebrata, 8. ſeq. ciuium religio, 30. 31
Hebenſtreitii Io. Frid. ſermo panegyricus, in natalem Principis, Guilielmi Erneſti, Ducis Saxo-Vinarienſis, 86
Hebenſtreitii Io. Pauli, Theol. D. oratio in diem natalem Patriae Patris, Io. Wilhelmi, 43
Hechleni Ge. Chriſt. ſermo natalitius, Principi Naſſouiae dictus, 138
Hedenius Io. ad Doctoris philoſophi gradum euectus, 861
Heimreichii Io. Med. D. & praet. Ien. elogium funebre, 656
Heliotropia, ortum ſolis ſequentia, quid ominis prae ſe ferant, 287. quibus praedita ſint facultatibus, 281

Hel-

Heluatio, diebus maxime feſtis, prohibita, 446
Henricus Aurelianenſis, Comes, prouincialis, 54
Henricus Illuſtris, 32
Henricus Leo, Dux Brunſuico-Luneburgenſis, 9
Henricus II, Henrici Leonis, generi, inſignia augens, 28
Henrietta Sophia, princeps, Ducis Saxo-Hilperhuſani marita, 139. cum Semiramide comparata, 140. parentalia eidem ſoluta, 140
Herbae & arbores, vitae reſtituendae imaginem referentes, 598. reuiuiſcentes, Chriſti reſurgentis nunciae, 124
Herculis inuentum, per auream orationis catenam, hominum animos vniendi, 127
Hermannus, Haſſiae comes, gradu philoſophico ornatus, 843
Hermetici, principia ſucceſſoribus per manus tradentes, 204
Heroës ac Duces, a condito orbe, multi celebrati, 41
Heroſtratus, ſacrorum violatione, ſui memoriam ſeruaturus, 444. malae, quam bonae exiſtimationis cupidior, 226
de Heſsler Ioan. Henr. Iuſta parentalia, Samuelis Strykii, ICti Halenſis, manibus conſecrata, 123

de Herzberg L. B. Frid. Guil. panegyricus natalibus Friderici, Ducis Saxo-Gothani, dicatus, 107
Hetruriae Duces, ex Medicorum familia oriundi, 170
Heumanni M. Chriſt. Auguſt. oratio parentalis, B. Chriſt. Henr. Loeberi, Orlamundanorum praeſulis, manibus dicata, 133
Hieronymus Pragenſis, vates, 929
Hildebrandus, tirannidis pontificiae auctor, 952
Hilperhuſanorum Principum domus, 139
Hiltenus Io. Thuringorum vates, 930
Hippocrates, magnis muneribus inuitatus, & in Perſia honoratus, 169. arte & facundia inſignis, 832
Hippomachi diſcipuli, aliis ad exemplum propoſiti, 817
Hiſpania, ſucceſſoribus deſtituta, 101
Hiſtoriarum vſus in ſananda corporum valetudine, 225. fructus praecipuus, 226. ſtudium in Caeſare & Auguſto, 148. quae vis aliquando fuerit, 225
Hiſtoria, vitae magiſtra, 227. eius vſus apud Principes, 148
Hobbeſius Thom. de magiſtratibus errans, 276
Hoffmanni Io. Mart. Med. D. elogium funebre, 673. ſeqq.
Hollandus Iſaacus, an chemicae artis auctor fuerit, 203

Digitized by Google

Homeri poëſis, quanti Horatio habita, 228
Homicidia academica, 432. inter tumultuandum commiſſa, 507
Homines veri, inter literatos fieri, dicti, 365
Hominis natura & dignitas, vnde aeſtimanda, 353 365
Homo, Dei gratia primum creatus, 125. per certos hebdomadum numeros, in maſſam coire dictus, 173
Honor academicus, in quo perperam ſtatuatur, 431
Honores academici, quibus malis obnoxii, 290. quibus ritibus introducti, 293. qua ratione acquirendi, 301. philoſophici, quomodo diſtribui ſoleant, 820
Horatius, de poëſi Homerica quid cenſeat, 218
Hortorum tutela Veneri tributa, 221
Hortus academicus Ienenſis, 220. cum imperio academico comparatus, 220. Cyri minoris, Perſiae regis, 884
Horſtii Io. Ott. Med. D. elogium funebre, 599
Hoſpes academicus parum vrbanus, 499
Hoſpitia & muſea ab incolis non vaſtanda, 517
Hottomannus Franc. de ſcriptis quibusdam interpolatis, 874
Huartus Ianus, ingeniorum medicus, 363

Huetius Petr. Dan. de Phoenicum coloniis, 875
Hugonis dictum de ſacerdotio, 132
Humaniores litterae, ab academicis excolendae, 512
Humiliatorum ſodalitium, a collegii Ienenſis hoſpitibus olim iactatum, 958. cum Modeſtorum, in academiis, ordine comparatum, ibid.
Huſſus, Bohemorum vates, 928
Hydra Lernaea, 443

I

Ianus bifrons, a Romanis cultus, 26
Iaſon, argonauta, Orphei lyra a Sirenum illecebris auocatus, 664.
Ichtershuſa, Principali puerperio felix, 31
Ieiunium, an neceſſarium, 439. ſeqq.
Iena, Michaelis angeli tutelae commiſſa, 919. a contagio libera, 369
Ienenſis academia, pietati & ſapientiae ſacra, 278
Ieroboamus impoſtor, 195
Ignis artificioſus, eiusque apparatus, 31. purgans, 938. ſacer, ibid.
Ignorantia, labes hominibus adſperſa, 374 quid mali afferat, 335. quanta ſeculi ſuperioris, 944

Imago Dei viua, in quibus effulgeat, 179
Imperandi poteſtas, cui potiſſimum adſcribenda, 235
Imperans, quo pacto fauſta ſibi quaeuis poſsit promittere, 195
Imperantes, cum capitibus comparati, 187. Dei miniſtri, 278
Imperantium dignitas & honor, 179. ordo, a Romanorum pontificum iugo, Lutheri opera liberatus, 951
Imperator cum oratore comparatus, 304
Imperatores, hortorum olim cultores, 220. olim in clypeo confidentes, 199
Imperia, viciſſitudini obnoxia, 14. barbarorum, ob virtutis & ſapientiae fugam intereuntia, 350. poſt mutationem, variis caſibus obnoxia, 28
Imperii Romani ſtatus, opera regis Boruſſiae, firmatus, 19
Incendium in turri excitatum, paſſim conſpicuum, 45
Inclinatio honeſta, bonis artibus explenda, 335
Indoles ſola, an eloquentiae magiſtra, 898
Indorum quibus ad regnum potuerit aditus, 170
Ingenia feliciſſima, in potioribus deficientia, 342. perfectioni deſtinata, 363, eorum imbecillitas, 389. excellentium argumenta

non obſcuriora ab adoleſcentibus, quam a viris ſaepius capienda, 38
Inſcitia modeſta, peritia immoderata praeſtantior, 452
Inſignia academica, quo tempore inualuerint, 826
Inſtrumenta doctrinae variae, ex aedium ruinis & ſepulchris extracta, 20. Regiis ſumtibus comparata, ibid.
Intellectus humanus, raſae inſtar tabulae, 335. cum oculo comparatus, 805. facultatibus humanis reliquis diuinior, 361. homini a Deo, ad honorem ſuum, conceſſus, 231. erroribus & vitiis obnoxius, 350. remedia illius, vnde haurienda, ibid.
Intelligentia, cum exercitio coniungenda, 342
Intentio tacita, an obligandi vinculum tollat, 213
Interdicta academiae publica, 469. ſeqq.
de bombardis non explodendis, 474
de circuitoribus nocturnis, 479
de excubiis non prouocandis, ac certamine, cum ciuibus & ruſticis haud ineundo, 482
de facibus ardentibus non iactandis, 481
de hortis ac vineis non deuaſtandis, 472
de lignis, e Sala fluuio non eripiendis, 474

de militibus non vexandis, 469
de nuptiis & conuiuiis non turbandis, 477
de nominibus ciuium apud Rectorem profitendis, 484
de pugnis ac litibus temerariis non ineundis, 498
Interpretatio veteratoria, 213
Interregnum, 34. Germaniae noxium, 134. ſeqq.
Ioachimus, princeps gentis Boruſſicae, 19
Ioannes Albertus, princeps gentis eiusdem, 19
Ioannes Erneſtus, Dux Saxo-Vinarienſis, 44. 101. ſeq.
Ioannes Fridericus, elector magnanimus, 321. athenaei Ienenſis conditor, 125. 338. quo instituto illud condiderit, 218. ex vinculis reſtitutus, 104
Ioannes Georgius I, Saxoniae Elector, 890
Ioannes Georgius, Dux Saxo-Weiſſenfelſenſis, 78
Ioannes Guilielmus, Dux Saxoniae, a Witekindo magno oriundus, 36. 41. 64. ſeqq.
Ioannes Guilielmus, Dux Iſennacenſis, Ioannis Conſtantis aemulus, 109. eius cum Magdalena Sibylla nuptiae, 75. 78. Moſis ac Ioſuae inſtar, 110. laudatus a condito religionis & ſacerdotii ſeminario, 111. ab inſtituto in vrbe Iſennacenſi, gymna-

gymnaſio, ibid. ab amore in academiam Ienenſem, 146
Iohannetta, Dux Saxoniae, 141
Ioſephus, Imperator feliciſſimus, 119. eius electio, 5. omina de eo capta, 6. virtutes eius & laudes, 3. ſeqq. eius cum Leopoldo parente comparatio, ibid. fortitudo ipſius & victoriae, 4. ſeqq. Landanium ab eo expugnatum, ibid.
Ioſephus, princeps Saxo-Hilperhuſanus, natus, 139
Ira regum grauis, 458
Iſaacus, ſenis caecutientis exemplum, 612. ſeqq.
Iſennacenſium Ducum familia, ab orbitatis metu, duorum auſpicio principum, liberata, 54
Italia, belli theatrum, 65. foecunda ſocietatum eruditarum mater, 351
Itali, barbariem ſuam prodentes, 870
Iter principis per Galliam atque Belgium, 82
Iudaei, magiſtratus chriſtiani obtrectatores, 253. eorum reges, legibus a Deo adſtricti, 278. conſuetudo, ſub anni auſpicia, 705. religio & ritus circa iuramenta, 207. ritus, cum ceremoniis chriſtianis comparati, 291
Iudelii Eliae Caſp. Med. D. & Phyſic. Ien. elogium funebre, 633. ſeqq.

Iudex, quam iuſtus & pius eſſe debeat, 201. in tribunali cur ſedeat, 200. eius officium, ad arithmeticae regulas aeſtimatum, 174

Iudices mundi, ſoliis inſidentes, 198. ſedentes cur repraeſententur, 197. Iudicum genus duplex, 198. ſint ſagaces, 200. ab odio & amore immunes eſſe debent, 200. in templis iudicantes, 201. in Achillis clypeo ſculpti, 200. Iudicis incorrupti exemplum, 640. Iudices, in loco religioſo, ſedilibus ſaxeis inſidentes, 201. iureiurando quondam obſtricti, ibid.

Iudiciorum moderatores, quibus praeſtare virtutibus debeant, 199

Iulius, Dux Brunſuico-Luneburgenſis, 9

Iurare per Iouem lapidem, quid ſibi velit, 211

Iura omnium prima, a Deo profecta, quomodo in omnium notitiam peruenerint, 182

Iureconſulti, optimi rerum publicarum adminiſtratores, 258. ab Auguſto conſtituti, 260. iuſtitiae ſacerdotes, 181. eorum quanta ſint in rempubl. beneficia atque merita, 148. quibus praeſtare naturae dotibus debeant, 771. eorum muſeum ac domicilium totius ciuitatis oraculum, 795

Iuris-

Iurisprudentia & medicina, a ſcientiis olim philoſophicis non diſtinctae, 324. ad philoſophiam relatae, 314. illius ſtudium, qualem indolem requirat, 770. eius vſus apud principes, 148
Iusiurandum academicum, religioſum, 207
Ius Iuſtinianeum, quibus ex fontibus manarit, 182. Ius ſedendi, pro ſummo olim honore habitum, 199. ſtrictum, quodnam dicatur, 281. ſummum, ſumma iniuria, ibid.
Iuſti & aequi ratio quomodo habenda, 163. apud Teutones, in quo conſtiterit, 378. ſeq.
Iuſtinianei iuris auſpicia, 195
Iuſtinianus Imperator, quo animo legum ſuarum ſancita ſuſceperit, 235. cum Platone idem ſtatuens, 258. eius ſymbolum explicatum, 280
Iuſtitia in Ariſtide laudata, 231. Ioui aſſidens, 276. ſuos ſibi ſacerdotes vindicans, 259. eius ratio apud philoſophos, 173
Iuuentus academica, cuius hodie ſit notae, 879. ſpei plena, 146
Iuuenilis temeritas, 483

K

Kreusleri Frider. gladiatorum magiſtri, elogium funebre, 721

Kreusleri Wilh. gladiatoriae artis magiſtri, elogium funebre, 718
Kriegsmannus, de germanicae gentis origine, 388
Kromayeri, Frid. elogium funebre, 548

L

Lacedaemonii, per ſua obſequia fortunati, 158 Helotas, in conuiuiis ebrios, liberis proponentes, 807
Lamyus Bern. Pariſienſis orator, 866
Landauium, a Ioſepho captum, 4. ſeqq.
Lanſius Thom. vnde graduum appellationem deriuet, 311
Lapides ſuper lapidibus, qui? 336
Latona, Iouis marita, 963
Laudiceni quinam fuerint, 340
Laurea noua, nouis magiſtratibus dedicata, 54
Laurentii Io. Theoph. Med. D. elogium funebre, 646. ſeqq.
Leges Cereris, mortalibus latae, 40. a Romulo conditae, 182. quo tempore literis conſignatae, 379
Legislatores pagani, rerum abſurdarum ſaepe auctores, 236
Legum interpretes, geometrarum veſtigia ſecuti, 175
Legum neceſſitas, 158. vt mitigandae ſaepius,

pius, ita & exaſperandae, 784. ciuium academiae Ienenſis, 510.
Lex Graecorum de cultu Numinum, 178
Leo X, pontifex Romanus, religionis hoſtis, 940
Leonhardi Io. Ern. parentalia, beatis Chriſtinae Iulianae manibus dicata, 71
Leopardorum imagines, in Guelforum inſignia translatae, 28
Leopoldi Imperatoris laudes, 4. ſeqq.
Liberi ciuium, in ludis litterariis inſtituendi, 348. parentum veſtigia ſequentes, 798
Libra, inter ſigna Zodiaci, virgini tributa, quid denotet, 174
Librorum linguarumque neceſſitas, 389. 390
Licentia ſtudioſorum reprehenſa, 465. per gradus procedens, 494
Licinius, litterarum rudis & ineptus, 371
Ligo argenteus, 165
Lilienthalii M. Mich. oratio, 17
Linguae Europaeorum pleraeque, ex Germanorum ſermone deriuandae, 390. orientalium neceſſitas, 902
Linguarum vtilitas apud principes, 148
Litterae amatoriae, 873. Germanicae, quales primum fuerint, 871. Graecae, an Germanis primum in vſu fuerint, 872. variis ſcripturae characteribus exaratae, ibidem.

Littera-

Litterarum fata, 50. excellentia & dignitas, 354. notitia ſublata quid portendat, 882. ſecretae, priſcis Germaniae incolis denegatae, 376. earum ſtudium apud Romanos, 149. earum lumen, quid, ad alios regendos, valeat, 163. vtilitas in rebus publicis, 147. praeſidium, principibus allatum, 148. earum cultoribus quid maxime agendum, 804
Litterati, quibus honoribus & praemiis in academiis gaudeant, 303
Litteratorum penuria, populis perniciosa, 350
Liuius, de diſciplina Romanorum, 159
Loeberi Chriſt. Henr. obitus, 129. eius elogia, 131
Logicae diſciplinae pretium, 400
Lombardus Petr. Magiſtri titulo ſuperbiens, 842
Luctus ciuium ex obitu principis, 34. Chriſtinae Iulianae, 71. veterum Romanorum, poſt Druſi Germanici exceſſum, inſanientium, 89
Ludi in actu ſerio, 213. gymnici, in Bacchi honorem inſtituti, 447
Ludolfus Iobus, linguarum peritia celebris, 902
Ludouicus Fridericus, Comes Schwarzburgicus, 120

Ludouicus Fridericus, natus heres Boruſſiae, in natalibus celebratus, 16. ſpes de eo, ibidem.
Lumina caute geſtanda, 517
Luneburgenſis ducatus prouinciae, Henrici nigri nuptiis comparatae, 22
Luneburgenſis Dux, meritis inclitus, 23
Lutherus, emendatae religionis auctor, 920. Dei legatus, 934. angeli volantis imagine deſignatus, 928. eius de obitu beato ſententia, 592. opera, ad reſtaurandas in Germania diſciplinas, 376
Lycurgus, Spartanorum legislator, 178. gentis ſuae ſancita numini tribuens, 236
Lynckeri Nic. Chriſtoph. L. B. elogia, 873

M

Machiauellus Nic. prauus politicus, 276. leuitatis & malitiae reus, 870
Magdalena Sibylla, Mater patriae reſtituta, 79
Magiſtratus a Deo conſtitutus, 157. a vero pietatis propoſito commendatus, 195. Senecae laudatus 245. cum hortorum cultoribus comparatus, 165. a Leuelleriis, impugnatus, 153. a Manichaeis, 154. ab anabaptiſtis, 153. a Deo vindicatus, 276. ſimilis ſideri, 155. Eſt id in republica, quod pater in familia, 55. 166. 167. academi-

demicus, cum heliotropio collatus, 286. eius officia, 165. officium defenſum, 152. ſqq. quo pacto deus fiat, 168. eius faſces, an cum medentium herbis ac ſuccis conueniant, 171. Ebraeorum, ſub eius auſpicia, ceremoniae, 337
Magiſtri dignitas ex ipſo nomine vindicata, 806. quantae ſit antiquitatis, 836. quantae apud veteres fuerit auctoritatis, 837. vocabulum eius, de magiſtratibus ac principibus vſurpatum, ibid. a philologis, vnde vox iſta deriuetur, 837. 838
Magiſtri Ebraeorum, quo munere gaudeant, cuiusue ſint auctoritatis, 293. eorum apud Chriſtianos dignitas vindicata, 294. duo genera, 302
Magiſtri magis praeſtare aliis, cenſentur, ib. ter aliis eruditione praeſtantiores habentur, 338. cum magis Chaldaeorum ac Perſarum collati, 839. Voſſii de nomine ipſorum ſententia, 839. magiſtri ciuium & militiae, 839
Magiſtri philoſophiae, quo in cenſu habendi, 302. Doctorum ordine non defraudandi, 377. morum & ſtudiorum iuuentutis auctores, 840. eorum officium, in quo conſiſtat, 840. titulus, cum profeſſorum nomine commutatus, 841. eorum ac Doctorum diſtinctio, quo tempore primum audita, 841. ipſorum inſignia, 339. a ſum-

a ſummis quibusdam hominibus accepta, 843. a ſacerdotibus Romanorum profecta, 827
Mahommedanae religionis caput, 178
Mahommedes, geometriae ſtudio addictus, 163
Maieſtas, Salomonis ſolio regio inſidens, 199. eius iura, 309
Maior Io. Theologus Ienenſis, 562
Maius, menſis, fauſtis olim auſpiciis dedicatus, 88. Hominum magnorum funeribus luctuoſus, ibid. iuſtis vltimis Friderici I. ſapientis funeſtatus, ibid. Ottoni emortualis, 136
Mala inſanabilia, 673
Mala, quibus remediis profliganda, 350. olim prouinciis Thuringiae fatalia, 55
Malitia ſibi ipſi exitioſa, 815
Manlius Torquatus, oculorum infirmitate a conſulatu deterritus, 163
Manuum impoſitio, Ebraeis ſolennis, 269. ſeq.
Marbachii Vlr. I. V. D. Ien. elogium funebre, 678
Maria Dorothea, princeps Saxo-Gothana, Principis Saxo-Meiningenſis coniux, in ſacris funebribus celebrata, 89
Maroccenſium regis ſymbolum, 165
Maſurius, Sabinus, ICtus, 183

Mathematici recentiores, cum priſcis comparati, 649. ſeq.
Matheſis, eruditionis cuiuſuis principium, 887. deorum filiis olim vindicata, 888. an primum ſapientiae gradum conſtituat, 392
Matrimonium, quo nomine in iure canonico veniat, 725
Mauritius Guilielmus, in ſuis natalibus celebratus, 91. cum Byzantinorum Mauritio comparatus, ibid. cum Mauritio electore, ibid. a ſtudio religionis laudatus, 93
Mauritius, Naſſouienſis, 93
Medicamentum pro ingeniis quaeſitum, 363
Medici, a morbis minime immunes, 645. a moriendi neceſſitate non exemti, ibid. miſeriae ipſimet obnoxii, 633. gratioſi dicti, 851. reipublicae praefecti, 169. praecipuos in ciuitate honores adepti, 169. olim Comitibus aequati, 170. ad pontificatus faſtigium olim producti, 170. quinam ex Caeſaribus artem iſtam nobilitauerint, ibidem. eorum praemia, 308
Medicina, Druidis Germanorum tributa, 379. vſu experimentisque conſtans, 568. ratione & arte adaucta, ibid. quanto a Francis in pretio habita, 380

Medicus,

Medicus, ſe ipſum curare iuſſus, an certa viuendi ſpe valeat, 632. expertus, paucorum ſalutis cauſa, 350. exercitatus, imperito praeferendus, 229. oculis aliorum inſeruiens, ſuis ipſe priuatus, 645
Mediolanenſium peruerſitas, 230
Meieri Ioan. bibliopolae Ien. elogium funebre, 678
Mendacia periurorum aperta, cum iurantium fraudibus & cauillationibus comparata, 213
Menedemus, de ſtudioſis, 362
Menenius Agrippa. 894
Menſa Vinariae liberalis, 86
Mephitis, 361
Mercatus publicus, a vitiis ciuium expurgatus, 465. ſeq.
Mercurius, omnis doctrinae ac philoſophiae arcanae auctor, 355. Hermeticorum, quid deſignet, 205. ſeq.
Metaphyſica Germanorum, 402
Metelli, Romae pecunioſi, quid profuerint, 370. eorum mater, aſinos paritura, 370
Metrodori ſtatuae, 287
Mexicani, gens barbara ac rudis, 97
Middendorpius vnde graduum appellationem deriuet, 313
Milites, inſtitutione opus habentes, 46. ad vitae innocentiam reuocandi, 162. Romanorum, 216
******

Mili-

Militiae momentum, in philoſophia ſitum, 162
Mineruae ſtatua, ſedentis ſpecie formata, 200
Minores dignitatum gradus, maioribus praemiſſi, 310
Minos, Cretenſium legislator, 73. ſedens, 198
Mirabile & prodigii ſimile, 323.
Mithridates, medicamenti cuiusdam auctor, 170
Modeſtia, legibus praecepta, 513. immoderatae peritiae praeſtans, 451
Modeſtinus, modeſte de legum interpretatione pronuncians, 283. 310
Moly, herba, 246
Monumentum fati futuri, 597
Morborum, apud veteres Germanos, remedia, 379
Morchii Henr. Chriſt. oratio in natalem Principis Iſennacenſis, Caroli Guilielmi, 57
Mores aliorum noſſe, quantum principum interſit, 81
Mori illum bene oportet, qui bene vixit, 557
Morum ſuauitas, in Strykio inimitabilis, 783
Mortalitas deuicta, 141. eius imago, 598
Mortes principum bonorum, quomodo conſiderandae, 89

Mortis

Mortis genus, quodnam reliquis anteponendum, 549. mortis lex dura, & imperioſa neceſſitas, 551. ſolatia contra eam, 584. eius meditatio, exemplis illuſtrata, 597. imminentis omina, 621. deſiderium, 673
Moſes, cognitor cauſarum, in Iſraelitarum corona conſidens, 198
Mulieres religioſae, 764
Mulleri Io. Iac. regimen academicum, 160 elogium funebre, 661
Mullerus, Andreas, 903
Mulleri Ioan. Georg. Prof. Ien. magiſtratus academicus, 193
Mullerus, Philippus, Theol. D. & Prof. Ien. acad. Prorector, 151. ſeqq. eius ſermo natalitius in Rectorem academiae magnificentiſſimum, Guilielmum Henricum, 38
Munimentum inexpugnabile, 106
Munzerus Thom. turbarum Thuringiae auctor, 275
Muſca, importunitatis & imprudentiae ſignum, 266
Muſca & menſae, in ſuburbiis non conducenda, 517
Muſaeus Ioan. Theol. D. & P. P. Ien. laudatus, 523
Muſici concentus, eorumque apparatus, 31
Muſicus imperitus, 804

Mutationes rerum diuerſae, 610
Myrti figura, vinculi formam referens, 265

N

Nabal, ebrietate oppreſſus, 147
Nabuchodonoſor, dignitatem ſuam Deo tribuens, 235
Narciſſus, praeſul Hieroſolymitanus, tres homines prauos conuincens, 210
Naſiraei, a vini & potionis abuſu abſtinentes, 448
Naſſouia, nominis ſui ominibus celebrata, 136
Natalis, quanti habendus, 69. academiae Ienenſis, cum Carthaginis origine comparatus, 359
Natalis Principum memoria renouata, 84. memorabilis, 86
Naues, ſine moderatoribus, errantes, 158
Nauis, in felicitatis portum delata, 34
Nemeſis diuina, tribus periuris grauiſſima, 210
Nero, impio honoris genere cultus, 156
Nicephorus, traditionis cuiusdam auctor, 615. Gregoras de pileis turbinatis, 726
Niniuitae, Deo ſupplicantes, 434
Ninus, primae in orbe ſtatuae auctor, 557
Nobilitas, a Wittekindo magno transmiſſa, 56

Noezelii Ge. Ad. elogium funebre, 666
Nomen, cum praetextu non confundendum, 195
Nomina ciuium academiae, ad Rectorem deferenda, 511. in tabulis ſcripta, non niſi re iudicata, e medio tollenda, 281
Noui anni auſpicia, bono omine celebrata, 26
Numa Pompilius, pro Numine habitus, 236. cum diis colloquens, 178
Numeri, diis dicati, 172. ad explicandas rerum virtutes traducti, 173. eorum gemina ſimilitudo, ibid. vires, ſiue myſteſteria, 512. an rerum eſſentia iis inſit, ibidem.
Numerus numerum excedens, cum damno ac lucro comparatus, 174
Numina auxiliaria, 919. Numinis notitia accuratior habenda, 115
Numiſmatum eiusdem numeri differentia, 173
Nummus, loco numeri, quando repertus, 174
Nundinae, a turbis vindicatae, 403. 465. ſeq.
Nuptiae Principum, quomodo celebrandae, 109
Nutritores academiae Ienenſis, laudati, 345. 349

O

Obedientia, ſummum in republica bonum, 158. Rectoribus ac profeſſoribus a ciuibus praeſtanda, 511
Obeliſci & pyramides, Aegyptiis ſolennes, 767.
Obtrectatores ſcientiarum, 320
Oculorum ſplendor, in Auguſto, 150
Officia hominis & ciuis, praeſertim academici, 804. pacis & humanitatis, 812. partium reipublicae, cum partibus corporis humani comparata, 188. virtutum, 231
Officinae bonarum artium, Epicuri & Platonis aetate, in hortis plantatae, 221. nouae diſciplinarum ſublimium, 20
Officium ciuis academici neglectum, 584.
Oldenburgicorum principum familia, 118
Oleum, Palladis donum, 205
Ollae, cum clamore & ſtrepitu exoneratae ac deiectae, 444. 752
Omina parentum de principibus, 33. de Ioſepho Imperatore capta, 6
Onera ciuilia, reipublicae neceſſaria, 666
Opera laudabilia & chriſtianis digna, 232
Opinionis ac faſtus inanis reprehenſio, 362
Oracula Dei, quomodo fuſa, 130. quo loco a poëtis habita, 158

Oratio

Digitized by Google

Oratio priſcis vocibus ac moribus inuoluta, 152. inauguralis, 834
Oratores forenſes apud Graecos, ambiguitatis iurium ſtudioſi, 183
Oratoria, a quibus primum tractata, 384. ſacra, profanae praeſtans, 858. cum iurisprudentia coniungenda, 775. ſeq.
Ordines & dignitates, viris claris tributae, 304
Otto, Dux Brunſuico-Luneburgenſis, 9

P

Pacificatio Heluetica, quid moneat, 449
Pactio Paſſauienſis, Mauritio electori debita, 93
Paganorum & his ſimilium facta, quomodo conſideranda, 232
Pagi, legibus circumſcripti, 445
Palaeſtra gladiatoria, priuilegiis munita, 717
Palatinorum electorum familia, 9
Palatium Eliſabethanum Meiningenſe, 745. Piſanum, 288
Palma mortua, ex ſe renaſci credita, 421. vocis ambiguitate cum Phoenice confuſa, 422
Paracelſus, trium principiorum auctor, 203
Parentandi mos, vnde ortus, 717
Par & impar, cum materia & forma comparata, 172

Partes corporis humani, cum partibus reipublicae comparatae, 186. ſeq.
Partes orbis terrarum tres, imagine deſignatae, 353
Paſquini, in tenebris latentes, detegendi, 477
Paſtores, magiſtratuum perſonam gerentes, 192
Paſtor fidus, 130
Patientia, eiusque exemplum, 589. ſeq.
Patria, omnibus deſiderata, 698. an vna tantum habenda regio, 698. quam late pateat, 609
Paucitas ſtatutorum, actionumque forenſium breuitas, optimae reipublicae documenta, 378
Pauonum plumae, pro ſymbolis habitae, 264
Pax & concordia inter ciues colenda, 515
Peireſcius, de inſignibus ſapientum veterum, 825
Pennaliſmus ciuium academicorum proſcriptus, 515
Penſio tributaria, menſtrua, 667
Peregrinatio, quid iuuet, 82
Peregrinandi neceſſitas, diſciplinatum olim tironibus impoſita, 337
Peregrinatores ad templum Delphicum, 364
Perezius Ant. ICtus, 779
Perfectio ſcientiarum, in vnum hominem nunquam, aut raro cadens, 342

Pericu-

Pericula, a trium Imperatorum capitibus, Regis Boruſſiae ope, depulſa, 19. ſeqq.

Peripatetici, quid de affectibus ſentiant, 801

Periuri, Aegyptiorum legibus, poenae capitis rei, 208. conuicti, 210

Perſarum rex, ſolis imagine illuſtris, 544. lex, de legibus, poſt regis obitum, tollendis, 152

Peruerſitas, in Mediolanenſibus notata, 213

Philippi, Macedonum regis, ad Ariſtotelem epiſtola, 345

Philippi Pulchri, regis Francorum, litterae, 954

Philippus, Macedoniae rex, animum ab ambitione ad modeſtiam traducens, 664

Φιλοπονία, ad artium cultum neceſſaria, 396

Philoſophi regnantes, 160. aeque, ac aliarum diſciplinarum magiſtri, Doctorum nomine praedicati, 315

Philoſophia, an belli tempore lateat, 161. moralis, cum hiſtoria coniungenda, 227. ſeq. cum eadem comparata, 228. cum iurisprudentia, 775. medicis amica, 850. prima, ſeu metaphyſica, cur ita dicta, 246. ſeq. quanti olim honoris ac dignitatis a ſapientibus habita, 246. Socratica, quo fine gaudeat, 188. eius ſtudium in Caeſare & Auguſto, 148. apud Teutones antiquos celebrata, 381

Phidias, ſtatua cohoneſtatus, 415
Phoebus, reipublicae gubernator, 190
Phoenices, literarum magiſtri communes, 875
Phoenix, fama vndique celebratus, 404. an vnus fuerit, an varius, 408. 409. cuius figurae ſit & coloris, 406. ſuis depictus coloribus, mundum vniuerſum deſignans, 414. pro commento & fabula habitus, 418. ſeqq. duo de eo in ſacris loca, ibid. num animalibus, annumerandus, 420. eius fames, 406. vita, ibidem. aetas, 415. exequiae, 408
Phryges ac Perſae, barbari, 867
Phyſicae vſus apud principes, 148
Phyſici Germaniae antiqui, quid in deliciis habuerint, 394. ſeq.
Picturae genus ingenioſiſſimum, 353
Picus Io. Franc. Mirandulanus, 965
Pietas in Deum vera, omnium virtutum maxima, maximeque neceſſaria, 510. imperantium, quorſum dirigenda, 196. iudicum ſeſſione ſignificata, 201. eius inſtituta, 435. eius officium, 26. nomen, cum praetextu non confundendum, 195. eius ratio, virtutum chriſtianarum norma, 762. ſeq. ſtudium, reipublicae ſalutare, 194. praemia a magiſtratibus propoſita, 195
Pileati Romanorum ſenes, 726

Pileus, ſacerdotum habitus, 287

Plantae vtiles alendae, noxiae tollendae, 165

Plato de republica quid ſtatuat, 38. quos beatos praedicauerit, 160. de voluptatibus & doloribus, 673. de tenera aetate, 546. ad artium bonarum cultum quid exegerit, 346

Plutarchi dictum de legibus, 155

Poenae minores, olim in maxima ſcelera conſtitutae, 287. creſcentibus delictis, auctae, ibid. earum exempla cur ſtatuenda, 168

Poenitentia tempeſtiua, 436

Poëtae laudati, 313

Politica, ante Albertum M. nondum ſcripta, 398

Pollichius Mart. lux mundi dictus, 931

Πολυμαθείας ſtudium, in vanam loquacitatem degenerans, 342

Pontifices, primi legum interpretes, 138. Romani, quomodo ſe geſſerint, 937

Popinae, legibus circumſcriptae, 495

Poſnerus Ioan. Caſp. academiae Pro-Rector, 798. ſeq. Iterum Pro-Rector, 207. ſeq.

Poſtellus Guil. de Druidum doctrinis & literis, 874

Poteſtas imperantium quanta ſit, 278. eius omina & argumenta, 28

Prae-

Praecepta ſapientiae, ſermone ac verſibus propagata, 376
Praeceptoris munus, cum purpura comparatum, 301
Praedicatores, quinam dicti, 947
Praemia pietati propoſita, 196
Prata, cum Naſſouia collata, 136
Preces, ſedendo olim ad Deum fuſae, 201
Pretium mercibus aequale, 174
Primordia annuae tempeſtatis, Dei cuiusdam tutelaris auſpicio conſecrata, 54
Princeps iuuentutis, in primo aetatis flore extinctus, 33. quibus artibus ac diſciplinis imbuendus, 96. ſero eum amittere, quantum ciuium interſit, 34
Principes, Dei imaginem gerentes, 100. quo pacto ciuium odio ac periculo expoſiti, 106. Saxoniae laudati, 361
Principia rerum, haud vani augurii, 54. chemicorum, in memoriam reuocata, 206. tria rerum ſemina, 203. eorum origo incerta, 204
Principis decus, in vero & virtute conſtitutum, 25 ipſius amor in ciues, 55. in literas, earumque cultores, 47. officium, 462. virtutes ac dotes praecipuae, 38
Principum educatio, quomodo a veteribus deſcripta, 73. ſtudia, 92. Saxonum ſtudia in academiam Ienenſem, 149. piorum
cura

Digitized by Google

cura circa litteras, 349. Germanorum veterum magnitudo, ex forma aeſtimata, 754. in bona publica imperium, 460
Probſtii Ioan. aerarii praefecti, elogium funebre, 536. ſeqq.
Proluſio, ad magiſtratus academici ſpartam ſuſcipiendam, 886. ad profeſſoris mathematum introductionem, 888. ad conferendos honores philoſophicos, 901
Promoti per ſaltum, quinam dicti, 385. quantum inter ſe differant, ibid.
Propempticon ad perilluſtrem L. B. de Lyncker, 890. ſeqq. ad V. C. Frider. Gotth. Gotterum, Rect. Eiſenb. 896
Proportio arithmetica, ſiue generalis, 173. geometrica, 175
Pro-Rector, vide Rector.
Prouidentia, vid. Deus, 109. 124
Prouiſionis diuinae pignus illuſtrius, 26
Prouinciarum felicitas, 667
Prudentia, per actum ſedendi notata, 200. documenta eius, in iudicum ſeſſione conſpicua, ibid. eiusdem ac intelligentiae lumen nulli innaſcitur, 346
Pulueris pyrii abuſus veritus, 464
Pumilio cum gigante comparatus, 175
Purgatorium, ſiue ignis purgans, 919
Pythagoraei, verae vitae cultores, 336. quinquennale ſilentium imperantes, 806.

eorum

Digitized by Google

eorum fabula, de mentibus hominum, e corpore in corpus migrantibus, 778
Pythagoras, philoſophus potius, quam ſapiens, audire cupiens, 302. quid ſummum nefas duxerit, 174

Q

Quantitas inaequalis, aequabilis, 173
Quietum corpus, quietus animus, 200
Quirites Romanorum, 216

R

Rabbini, Ebraeorum magiſtri, quomodo conſtituti, 292. manus aliis imponentes, 269. nomen ipſorum qui obtineant, 296
Rectores academiae, Decani, & quatuor profeſſorum ſocietates, quo tempore introducta, 823. Rectoria dignitas, vnde orta, 149. Pro-Rectoratus, ſiue magiſtratus academicus, quantae dignitatis, 156
Reditus principis exoptatiſſimus, 81. ſeq.
Reformatores ſacrorum, 925
Reges & duces, ius ſedendi prae aliis habentes, 199. Regum creandorum origo, ib. eorum in republica conſeſſus, 27
Reges, ex Germanorum imperio, velut a coelo, deuocati, 27

Regimen,

Regimen, Seuero Imperatori ab angue praemonſtratum, 242. academicum, cum horti cultura comparatum, 220. modus eius nouus, 811
Regiomontum, a Rege felix, 20. ab Ottocaro rege ortum, ibid. primi Boruſſiae Regis, coronati, ſolemnibus gloriatur, 20
Regnandi cupido, plerisque mortalium inſita, 810
Regni Boruſſiae initia, ſapientiſſimis rationibus ordinata, 15. Romani fata atque auſpicia, quibus rationibus diſpenſata, 15
Regnorum felicitas, 15
Regnum florentiſſimum atque optimum, 19. Boruſſiae, nouis regionibus ac vrbibus auctum, 19
Relegati exemplum infauſtum, 481
Relegatio in perpetuum, 492. ſeqq. 500. 501. 503. ciuis proterui ac pernicioſiſſimi, 589. eius exemplum vt afferretur in patriam, requiſitum, 496. ſeq.
Religio in Deum, chriſtianorum ex conſuetudine, 26. vnde nata, 177. ad facta neceſſaria relata, 195. chriſtiana, in animis quid poſſit, 179. quantum ad virtutes actionesque ciuiles faciat, 179. eius virtutes, 180. Lutheranae memoria ſecularis, 923. paganorum, ad continendam

dam in officio multitudinem, comparata, 178

Remedia, ex ſapientum praeceptis paranda, 350. ſeueriora, interdum prauis opponenda, 492. contra vim morborum, 632

Res & fortunae, indoctis quid proſint, 370

Reſignatum Rectoris officium, 882

Reſponſa Iurisconſultorum, ex quo tempore pro lege fuerint, 181. quantae ſint auctoritatis, 260. quis poſteritati talia primum reliquerit, 184

Reſpublica adminiſtranda, quanti laboris ac moleſtiae, 850. cum naue comparata, 243. ad mathematicorum regulas relata, 175. quo ſtudio maxime contineatur, 195. quo vsque conſtet, 259. qualis maxime beata cenſenda, 160. eius moderator, ſolis inſtar, 549. praefecti, iuſtitiae arbitri, 165. Romana, cum graeca comparata, 183

Reſpublicae, quid ſine ſtatutis, 266. qua ratione beatae ſint praedicandae, 38. qua ratione ſint adminiſtrandae, 105. clementia potius, & amore, quam crudelitate ac metu moderandae, 106

Reuchlinus Io. primus chriſtianorum, Ebraeorum ac Graecorum ſtudia in Germaniam traducens, 391

Rex

Rex Boruſſiae, in funere celebratus, 18. artium ac Muſarum Apollo, 20. eruditorum amantiſſimus, 20. cuiusque eruditionis principes in aula fouens, Ibidem. ceterae eius laudes atque elogia, 18. ſeqq.

Rex Hiſpaniae, laetiſſimis temporibus creatus, 39. eius elogia, 40

Rhode, M. Iac. oratio funebris, in Regis Boruſſiae, Friderici, exequias, 21

Richwinus, Lotharingiae Dux, philoſophi titulo inſignitus, 843

Ritus veterum circa funera & ſepulchra, 614. circa iudicum ſeſſionem, 198

Riuorum imago, quid deſignet, 678

Roma, a Luthero debellata, 915

Romani, doctorum ſtudio celebrati, 350. Graecis barbari, 867

Romanienſes, quibus ſacra faciant, 918

Romanorum olim reſpublica florentiſſima, 27. veterum ſuperſtitio, 156

Romuli inſtituta, de diis patriis colendis, 178

Roſtii Car. Dau. elogium funebre, 609

Roſtii Car. Sigism. oratio panegyrica, de Ioſepho Imperatore, 7

Rückeri M. Georg. Ludou. elogium funebre, 692

Rudolphus Habsburgicus, Imp. 154. litterarum germanicarum auctor, 876

Rudolſtadium, quid Alberto Antonio debeat, 117. ex obitu eius, quantum moeroris ceperit, ibid.
Rugeroeh Ioan. oratio funebris, in obitum diui Chriſtiani, Ducis Saxoniae, 75. oratio panegyrica, in reditum principis, Erneſti Auguſti, 83
Ruſius Io. Reinh. academiae Pro-Rector, 269

S

Sacerdos, vitae ac doctrinae exemplo probandus, 130. ſeq.
Sacerdotes, cum nutricibus comparati, 130
Sacerdotes priſcorum, flamines vnde dicti, 727
Sacerdotium, quantae ſit dignitatis, 124
Sacra publica Iſraelitarum, 433
Sacramenta, an ab Ebraeis ſint deriuanda, 296
Sacrorum conuerſio, ſaepe praedicta, 929. conf. Religio.
Sagittarii, meritis multis laudati, 898. 900
Sala fluuius, ad lauandum natandumue prohibitus, 517
Sal, ſulphur & Mercurius, quid deſignent, 204. 205
Salomo, an auctor fuerit libri contra morbos quoscunque, 645
Salomo Boruſſicus, 18

Sapientia

Sanitas aurea, 368
Sapere prae ceteris, quis videatur, 126
Sapientes, imperantes & principes, 38. veterum, pede in ſepulchro iam poſito, diſcendi cupidi, 374. eorum contemtus, regum regnorumque interitus, 350
Sapientia, an poſſideri aut diſci poſcit, 805
Sapientia cum virtute coniungenda, 367. in rege Boruſſiae laudata, 20. cum heliotropio comparata, 287. cum ſole, 324. profundae ſimulacra, 165. eius regnum late patens, 394. praecepta, quomodo propagata, 376. ſtudia, reipublicae ſalutaria, 160
Sapientis animus, qualis eſſe debeat, 804
Sapores corporum, vnde ſint, 204
Saxa, gladiis verberata, 455
Saxones olim peruicaces, 181
Saxonia, tutiſſimus veritatis portus, 565. eius principes, aliis praeſtantes, 41. laudati, 361
Scabellum & ſcamnum, quid notent, 305
Scena ſubito permutata, 34
Schelhaſii Adolphi Chriſt. I. V. D. & conſ. Ienenſ. elogium funebre, 544. ſeqq.
Schoenbergius, Numburg. ac Cizenſis praeſul, philoſophiae Magiſter, 843
Scholarum copia, felicitatis cauſa, 337
Schottelius, de litterarum Germanicarum origine, 873

Schroeterus Io. Chriſt. D. ICtus, academiae Prorector, 280
Schuffneri M. Ioan. Iuſta parentalia, diuae Henriettae Sophiae, Ducis Saxo-Hilperhuſanae manibus ſoluta, 140
Sciendi deſiderium, hominibus innatum, 335
Scientia, cum ignorantia coniuncta, 362. quam late pateat, 341
Scientiae omnes, cognatione coniunctae, 341 earum odium in Licinio & Balbo, 147
Scipio Aemilianus, philoſophia recte vſus, 162. Africanus, ſedentis habitu, ius militibus tribuens, 198
Scipionis Africani elogium, 736
Scribendi notae germanicae, an ab Achiuis ad Germanos propagatae, 381. Scribae regii, gentis Iudaicae, 605. eorum ordo, cuius ſit dignitatis, 604
Scripturae ſigna, in Germania & Graecia, olim ſimilia, 874. genus ipſius primum, inconditum, 184
Sebizius Melch. laudatus, 307
Seckendorffius cum Strykio Halam vocatus, 792
Sedendi ius, pro ſummo olim honore habitum, 199. ritus in iudiciis origo, 198
Sedentes iudices, quo loco ſint habendi, 199
Seldenus Ioannes, 920

Seneca

Semina rerum tria, chemicorum principia, 203
Semiramides in Aſſyria, 59
Seneca, de Romanis ſui ſeculi lyceis, 218. cuiusmodi regnum praeſtantius ac diuinius iudicet, 840
Senes pileati, 726
Seniores ciuium ſtudioſorum, commonefacti, 445
Senum anima, primis labris adhaerere credita, 622
Sepulchra inania, vulgo exſtructa, 336
Serpens, Ducum Mediolanenſium inſigne, 242. multorum capitum, ibid. regimen Seuero praemonſtrans, ibid.
Seruii Sulpicii, iurisprudentiae tradendae artificium, 184
Seruilii & Sempronii claſſis, a caeſaris Germanici nauibus deuicta, 163
Seruitus magna, magna fortuna, 810
Seſſio iudicum, quid apud veteres ſignificet, 199
Seueritas pro lenitate induenda, 468
Seyfridii, fratres germani, vna defuncti, 687
Siegfridus, Comes Suarzburgicus, 118
Silentium Pythagoraeorum, quinquennale, 806
Simulandi conſuetudo, cuius notae, 233
Simulatio, religionis ſcopulus, 758

Sinenſes, literam quandam in riui figura, notantes, 680
Sirenes, quid deſignent, 164
Siſiphi de Deo commentum, 177
Societas ciuium, cum corpore humano comparata, 171. eius vinculum, 249
Societates, quo tempore introductae, 813. eruditorum, 387
Socinus, haereticorum ſocius, 275
Socrates, hominum ſapientiſſimus, 396. cur mundanum ſe dixerit, 699. a Xenophonte rogatus, 366. iniuſte ad mortem damnatus, 711.
a Soden Iuſti, I. V. D. & conſ. Ien. elogium funebre, 178. ſeqq.
Sol, in ortu veluti occidens, 32. cum principe comparatus, 45. eius calor, in generatione hominis, quid efficiat, 412. eclipſis eius fatalis, 362
Solatia contra mortem, eiusque metum, 537. 584. 594. 639. 672. 691. 711. in morte praecipua, 759
Solon, quid de homine pronunciauerit, 964
Sommeri Lud. Frid. iuſta parentalia, Comiti Schwarzburgico ſoluta, 115
Somnium vxoris Pilati, 906
Sophia, regionum Britannicarum heres, 29. ſeq.
Sophiae Charlottae, Boruſſorum Reginae, elogia, 8. ſeqq. natales, 8. maiores, eorumque

eorumque encomia, 9. familia paterna, 9. materna, ibid. auctoritas, 11. beneficentia in exules Gallos, bonitati diuinae ſimilis, 11. clementia, 10. magnanimitas, ib. pulchritudo 11. eius coniux, Fridericus rex, & nuptiae cum illo, 12. eiusdem princeps filius, Guilielmus Fridericus, 12

Sophiſtae, quinam olim vocati, 339. cum ignibus fatuis comparati, ibid. omnia ex omnibus colligentes, 358

Sophocles, patriam nauigio comparans, 698

Spangenbergius Cyr. Thuringicarum rerum, ſcriptor, 917

Species, in ſomno oblatae, 906

Spicae, quid repraeſentent, 362

Spiritus volatiles ac aetherei, 205

Statius, Achilles, Luſitanus, 965

Statua, prima in orbe, 557. Antonio Muſae ab Auguſto caeſare collocata, 169

Statuae Demetrii, 611

Status mortalium mutabilis, 610. reipublicae, a ſtudioſo cognoſcendus, 397

Statutorum ſenſus ambiguus, 182. paucitas, quid praeſtet in republica, 378

Staupitius Ioan. de Luthero quaedam praenuncians, 931

Stentor, Graecorum tubicen, 454. militum clamores ſuperans, ibid.

Stentores academici, edicto admoniti, 438. 441

Stephani, M. Ioan. Iuſti, elogium funebre, 705

Stili exercitatio, legibus requiſita, 513

Stigelius Ioan. inter primos academiae Ienenſis Profeſſores, 949

Stimula, Dea, ad ſumma omnia ſtimulans, 346

Stoepleri Ier. redituum curatoris, elogium funebre, 615

Stoici, quid de virtute praecipiant, 800. indigne de morte philoſophantes, 910

Straubelii, Ioan. Chriſt. monumentum, diui Alberti Antonii, Comitis Schwarzburgici, vltimo honori, erectum, 120

Strenua Dea, ſtrenuos efficiens, 347

Struuius Burc. Gotth. I. V. D. & P. P. academiae Prorector, 22

Strigelius Victorinus, inter primos Ienenſis academiae Profeſſores, 229

Strykius Sam. ICtorum princeps, 121. athenaei Halenſis auctor, 122. cum Ariſtide Athenienſi comparatus, 82. cum Samuele Ebraeorum, ibid. cum Brunnemanno & Carpzouio, 122. iuſti & aequi oraculum, ibid. eius elogia, ibid. dotes animi, 123. corporis, ibid. neceſſitudo cum eruditis, 123

Studioſi

Studioſi bonarum artium, quod proprium habeant, 205. primum ſibi ſapientes, 363. duo, inter ſaltandum proſtrati, 483. priſcis athletis comparati, 372. cum virginibus collati, 373. nomine ipſo admoniti, 217. quibus rebus ſtudere maxime debeant, ib. quid eorum interſit, 397. ipſorum intemperies, 465. 467. numerus, in quantum vno ſemeſtri adauctus, 817
Studium laudis, ſine ſecuritate, languidum, 244
Suauis Petr. teſtis ingenuus, 213
Subiectorum de principe ſuo opinio, 91
Sulphur ac oleum, literarum cultoribus in exemplum propoſita, 205
Sumtus, quinam recte collocentur, 86
Superſtitio vana ac ſtolida, 178
Syrbius Ioan. Iac. P. P. academiae Prorector, 246

T

Tabula Hermetica, 355. publicandis in academia edictis dicata, 505
Tacitus Corn. de Germanorum antiquitate, 872. 874
Tarpeia rupes, centum gradibus diſtincta, 305
Temeritas iuuenilis ciuium ſtudioſorum, 483
Temperantia, legibus praeſcripta, 514

Temporum varietas, pace ac bello notabilis, 161

Teritates, diadema Neroni ſubiiciens, 157

Thebani, Epaminondae columnam erigentes, 245

Themiſtocles, Miltiadis vnius tropaeo excitatus, 834

Theodorici, Gothorum regis, verba memorabilia, 222

Theologia, arcano Dei afflatu nitens, 125. magna fortunae academicae apud Ienenſes cauſa, 126. pro diuiniore philoſophia habita, 314. quo ſanctior eſt ac diuinior, eo ad emendandos hominum mores vtilior, 230. eius officium, 125. vſus apud principes, 148. alios, 232

Theologorum ordo, in academia Ienenſi reſtitutus, 124

Theophraſtus Ereſius, diſcipulorum frequentia celebratus, 793

Thermoenii M.Georg. elogium funebre, 700

Teſtimonium relegationis publicum, 497

Teutones, a ſtudiis doctrinisque olim alieni, 869. eorum ignorantia & barbaries, 390

Tezelius Ioan. indulgentiarum venditor, 940. ſeq.

Tiberius caeſar, famae ſuae intuitu, a ſceleribus auocatus, 226. memoriam ſui proſperiorem commendans, ibid.

Titus Veſpaſianus, humani generis deliciae, 167

Tituli & characteres ſolemnes, quando orti, 823. eorum, & graduum contemtores, 835. academici, qua ratione ſint acquirendi, 391. Magiſtrorum, quomodo tuendi, ibid.

Thomas, magiſtri titulo inſignis, 843

Tolenium, obſidione cinctum, 66

Torrentes & fluuii, vitae imagines, 598

Traditio, translatio rerum per eam moleſta, 174

Tragoediae theatrum, 139

Tranquillitas & modeſtia laudata, 451. vid. Bonum.

Treuirorum Auguſta expugnata, 23

Treuneri Io. Phil. Theol. D. & Philoſ. Prof. iuſta parentalia, in obitum iuuentutis Principis, 35

Tributa, pro elementis & aere imperata, 667

Tritannus, prodigioſi roboris homo, 721

Trithemius, de graecarum litterarum origine, 873

Thuringi, idololatriae olim dediti, 916. cum Francis coniuncti, 917

Tubarum clangores, ac tympanorum ſtrepipitus, interdicti, 446. 448

Tubus Stentoreus, ſiue acuſticus, 416

Tumultus exemplum, ad poſteritatem memorabile, 505

Tumultuum occaſiones vitandae, 516
Turbatores quietis publicae, 450
Turcarum exercitus, ad Neuheuſelium proſtratus, 23
Turenius dux, Galliae regis dextra, 766
Tutores, in rem pupilli conſtituti, 166
Typorum inuentum, 877

V

Vateri, Adami, poligraphi Ienenſis, elogium funebre, 604
Vates Germanorum veterum, 376. Teutonum, phyſiologi, 394
Venandi ſtudium prohibitum, 459
Verbera & flagra non adhibenda, 167
Verborum cognitio, quantum rerum notitiam adiuuet, 310
Vergilius, a Zacharia pontifice damnatus, 393
Veritas religionis, a Deo reuocata, 915. vnicum animorum pabulum, 358
Veſtimenta, mortis nos admonentia, 598
Veſtitus & cultus, legibus requiſitus, 514
Via ad eruditionem, in quibus conſiſtat, 392
Viciſſitudo rerum infauſta & volucris, 68. 610
Victoria ad Danubium in Hungaria, memorabilis, 108

Vinalia,

Vinalia, ſacrificia Romae ſolennia, 447.
Vinaria, virtutis ſedes, 44. Principis aduentu laeta, 80
Vinarienſium Ducum domus peruetuſta ac ſplendida, 101. Dei circa eam prouidentia, 105. aulae bibliotheca ſplendidior, ibid.
Vindictae cupiditas interdicta, 429
Violatio iurium magiſtratus, interdicta, 463
Virtus, latere neſcia, 45. cum ſapientia coniungenda, 367. tranquillitatis academicae cauſa, 799. ſine emolumento & gloria, marceſcens, 878. cum gloria, excellens, 38. ſola beatos principes efficit, 45. in arce habitare celſiſſima dicitur, 46. chriſtianorum praecipua, in ſanctiſſimo mentis receſſu quaerenda, 233. per ſolam eam, ad Dei bonitatem propius acceditur, 105. quomodo ipſa acquirenda, 46. eius magiſtri varii, 800. exaggeratio, fumoſas maiorum imagines ſuperans, 45
Virtutes, ad immortalitatem & gloriam ſufficientes, 41. quorundam, peccata ſplendida, 233. profanorum, erroribus ac vitiis laborantes, quam ad normam dirigendae, 231
Viſcus, in quercu genitus, morborum, apud veteres Germanos, remedium, 379
Vita hominum, principio fera & inculta, 177. cum doctrina conformanda,

da, 130. ſeq. cum praeceptis, 781. academica, quo tendere debeat, 367
Vitteberga, quantum Strykio debeat, 121
Vittekindi merita in poſteros, 101. ſtirps eius, eique innexa auorum ſeries, 32
Vitia, in paganorum ſtatutis laudata, 237
Viuat! gaudii & gratulationis vocabulum, in ſtrepitus nocturni materiam conuerſum, 455
Viuendi votum, pro magiſtratu ſuſceptum, 453
Vlphilas, characterum Gothicorum auctor, 875
Vlyſſes, Graecorum peregrinator, 82
Vnguentum, caecutientis oculo illitum, 645
Vociferationes nocturnae, 508
Voigti, Io. Iuſti, oratio teutonica, Auguſto Wilhelmo, Brunſuicenſium Duci, ſacra, 98
Vota, pro herede Principe ſuſcepta, 57. pro magiſtratu, 453
Votum Agathonis ad Socratem, 374
Vſus cuiusque & ſcopus reſpiciendus, 344. in vita ciuili maxime ſpectandus, 366
Vtilitas, in republica Lacedaemonia, ſpectata, 367

W

Waldenſes, Wiclefi aſſeclae, 953
Wagenſeilius Ioan. Chriſt. I. V. D. & Prof. Altorf. 902

Wedelius Georg. Wolfg. Med. D. & P. P. acad. Prorector, 203. 206
Wedelii Ern. Henr. Med. D. & PP. elogium funebre, 569. ſeqq.
Wedelius, Ioan. Adolph. Med. D. & P. P. acad. Prorector, 240. ſeq.
Weiſſenfelſenſium Ducum familia, 77
Wendleri M. Io. Chriſt. oratio panegyrica, in natalem Mauritii Wilhelmi, Ducis Saxo-Cizenſis, 94
Wideburgius Ioan. Bern. ad profeſſoris Mathem. munus euectus, 888
Wilduogel Chriſtian. IC. D. & P. P. atque conſiliarius intimus, academiae Prorector, 203. 206. 206. 219
Wilhelmina Eleonora, Ducis Saxo-Vinarienſis, Erneſti Auguſti, ſponſa, 99. 202
Wiſſenbachius Iac. ICtus, 780
Wolfgangus, princeps Anhaltinus, mortis memor, 597
Wolfgangus I, gentis Oldenburgicae princeps, 13

X

Xenophon de Cyro minore, 884. de Lacedaemoniis, 158
Xerxis nauarchus, quo fato functus, 610

Zara,

Z

Zara, an Sara, Abrahami coniux, 358
Zaeringiae Duces antiqui, quibus ortum dederint, 70
Zenobiae Palmyrenorum celebres, 59
Zieglerus, in Strykio redditus, 779

* * *

Cicero III. Tuſcul. c. 30.

Eſt proprium ſtultitiae, aliorum vitia cernere, obliuiſci ſuorum.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ELOQVENTIAE ACADEMICAE
ARGVMENTA
PRIMI ORDINIS
QVAE SVNT
SCRIPTORVM
AD
ORATIONES SOLLEMNES
INVITANTIVM.

I

SIcut nemo, quam latiſſime patet Germania, tam inhumanus fuit aut vecors; qui magni illius LEOPOLDI, caeſaris beneficentiſſimi, mortem non vehementer doluerit: ita nemo tam triſtis, deiectusque in terram tunc cernebatur; qui in IOSEPHI I, noui Imperatoris, auſpicio, non ſolaretur ſe illico ac erigeret. Nec obiiſſe ſic amplius LEOPOLDVS; ſed reuixiſſe in Filio creditur: earundem quippe virtutum imaginem exhibente; iisdemque meritis, viam ſibi ad dignitatem, quae omnium eſt in terris maxima, muniente. A quo nimirum Parente traxerat ſanguinem; ab eodem tot admirabiles dotes accepit. Quaſi indignum exiſtimauiſſet natura: qui de virtute non poſſet; eum de tanti Herois origine gloriari. Illam igitur, quantaecunque molis capacem, prorſusque diuinam indolem; illos, in rebus imperii vigiles, & acerrimos oculos; illa denique vniuer-

ſa, ceu corporis, ita animi ornamenta; quae aſtrorum luminibus, non dicemus, conferri, ſed longisſime anteferri merentur; in IOSEPHO pariter, ac olim LEOPOLDO, ſuſpicimus. Atque ex infinitis, quae ſimul ſe offerunt, dotibus, nunc moderatio animi incredibilis; mox generoſo ſe prodens impetu, ſapientia; modo ſeueritati mixta humanitas; iam cura felicitatis publicae: in quam vnice incumbit IOSEPHVS; dum ſuum in ea decus collocat: ſacra quadam nos admiratione afficit atque percellit. Quem tamen ad modum remotiores ſolis radios e longinquo adſpicimus; eos autem, qui ad viciniora mittuntur, toto vultu excipimus: ita inſita Noſtro, propriaque Auſtriacis fortitudo; cuius vim non barbari modo ac rebelles intelligunt; ſed Hiſpani & Galli etiam pertimeſcunt; tanto omnes iucundius allicit atque oblectat: quanto nos propius ad ſe deuocant eius miracula: quantoque efficacius, ſplendidisſima illa victoriarum praemia ac tropaea, oculos noſtros praeſtringunt. Senſit certe Landauium, vinci ac expugnari ſe poſſe a caeſare: quod nullius cedere armis; ſtolida ac ſuperba inſcriptione, Vaubanius, confectis vrbis aggeribus, atque aliis munimentis, iacta-

ſtauerat. Quoties porro victrices IOSEPHI aquilas formidantem, hoſtium aciem? quoties eam terga vertentem, caeſamque ac profligatam, audiuimus? Neque ita eſt dubium, quin laureis ac triumphis immortuus, Imperatorum maximus, LEOPOLDVS, ſupereſſe adhuc in Filio, ac ſpirare; inque hoc igitur, debellare exercitus, tueri Germaniam & Hungariam, recuperare Hiſpaniam, videatur. Quare merito ſummos Imperatoris titulos, ſacraque imperii pignora, cunctorum iam vota ac deſideria IOSEPHO decreuerant, antequam ea obtineret. Fas enim ac iuſtum exiſtimabatur, vt praeeſſet aliis, qui non iure ſucceſſionis tantum; ſed rebus etiam geſtis ac meritis, omnes alios anteiret. Igitur ſine difficultate vlla, ſine mora, indubitatisque cunctorum ſuffragiis, ſtatim creatus eſt. Vt creatio argumentum fuerit maieſtatis; ex celeritate autem creandi patuerit: ad ſeruandam, in his bellorum fluctibus, imperii nauem; nullam, niſi vnius IOSEPHI prudentiam virtutemque requiri: ipſamque electionem, non humano arbitrio; ſed coeleſti conſilio eueniſſe. Deum ergo in Caeſare; ac res ex voto fluentes in imperio; dexteritatemque in ſuffragantibus, omnes agnoſcunt, re-

ligioſisque paſſim vocibus profitentur. Multi, ex ſalutari IOSEPHI nomine, laeta quaeque ac proſpera ominantur. Alii ex cognato AVGVSTI, Imperatoris pacifici, cognomento, turbatam ab hoſtibus in imperio pacem, reconciliandam ab hoc Imperatore, poſteritatique firmandam, coniiciunt. Sunt, qui familiariter adſueſcentes adoleſcenti olim IOSEPHO aquilas, in dignitatis proſperitatisque perpetuae omen conuertunt. Rurſus alii, eum optime imperaturum, confidunt, qui illis, a quibus eſt genitus, optime quondam paruerit. Neque igitur vlli eſt dubium, ſupremum honoris laudisque faſtigium obtenturam mox in IOSEPHO rempublicam: cuius maieſtas & gloria vix habitura ſit amplius, quo adſcendat. Praetereo in praeſenti illorum anguria: qui, quod quinquagenarium Imperatorum numerum primus transgrediatur IOSEPHVS; vniuerſo imperio aliquid ſeculari feſtiuitate amplius ſub eo promittunt. Merito autem noſtra Germania: in qua ipſe generoſum hunc ſpiritum hauſit: quam primum virtutis & ſapientiae ſuae theatrum ſortitus eſt: ex qua denique sereniſſimam vitae ac tori ſociam ſibi delegit; praeter gaudium, pietatisque ſtudium, quod toti

toti Europae commune eſt, praecipuo quodam voluptatis religionisque ſenſu afficitur. Huic igitur ſoli eadem fruges ſuas ac opes ; huic incolarum omnium vitam ac ſanguinem; huic ſuorum, quae nutrit, ingeniorum inuenta ac operas deuouere exoptat. Et maioris quidem ſolertiae opera, debitaque aeternitati monumenta, alii ad auguſtiſſimi Caeſaris pedes deponent. Qui vero ad proximam Iouis diem, hora ante meridiem IX, in templi academici cathedram prodituruseſt, florentiſſimus iuuenis, CAROLVS SIGISMVNDVS ROSTIVS, Norimbergenſis, ſatis habebit, ſi ſuo impreſſam animo, pietatis atque hilaritatis publicae vim, oratione ingenua ac demiſſa, ſibi publice profiteri licebit. Ad quam itaque audiendam, ſereniſſimus Princeps Saxo-Vinarienſis, Prorector magnificus, illuſtrisſimi Comites, Proceres aulae atque academiae excellentisſimi, venerabiles item ſacrorum antiſtites, & quicunque ex omni ordine literas hic amant ac ornant, inaeſtimabilibus Imperatoris noſtri meritis, maximisque poſt homines natos virtutibus, haud grauatim adduci ſe patientur P. P. in Academia Ienenſi, Domin. XII poſt Trinit. A. O. R. CIↃ IↃ CCV.

II

MAgnam ſeculi huius Reginam, memorandamque prae multis aliis Principem, in ſereniſſima potentiſſimaque SOPHIA CHARLOTTA amiſit Boruſſia, luget Germania, totus fere Europae orbis deplorat; neque aetas inpoſterum vlla, inter ſingularia plane, florentis ſimul, ac deficientis naturae, exempla ſilebit. Conſpirabant in Heroina hac vniuerſa, quae diuiſa quoque in aliis admiramur; dum & ſplendore generis, cum illuſtriſſimis ſuae fortunae foeminis; & dignitate corporis cum pulcherrimis; & altitudine mentis, cum maximis; & diuina matrimonii ſorte, cum feliciſſimis, vix ambigua vnquam victoriae palma, certabat. Ad magnitudinem quippe natalium, ſufficere poterat, a magno illo ERNESTO AVGVSTO progenitam EAM fuiſſe: qui ſummum dignitatis Electoralis faſtigium ſummis nuper virtutibus meruit: parique auſpicio, ad omnem Principum Hannoueranorum poſteritatem transmiſit. Iſtorum vero familiam, per Guelfos & Ateſtinos, vltra ipſa germanici regni initia adſurgentem, praeter Principes Ducesque innumeros, duos huc vsque Imperatores; vnum Regem;

Ar-

Digitized by

Archiepiſcopos quatuor; cum duobus nouiſſime Electoribus, orbi Chriſtiano dediſſe, meminimus. Quemadmodum enim omni tempore, ea circa generoſiſſimas ſtirpes eſt ſapientiſſimi Dei prouiſio; vt perennitatem earum certis gloriae interuallis diſtinguat: ita & sereniſſimae domus Brunsuico-Luneburgenſis praecipuos quaſi orbes, inuſitatis laudibus ac luminibus illuſtrauit. Quid fulminantis in bello Leonis animo generoſius? quid Ottonis illius, cum tot periculis ac monſtris congreſſi, triumphis illuſtrius? quid ſummorum, ſacroſanctae religionis vindicum, Erneſti atque Franciſci Luneburgenſium, pietate diuinius? quid ſapientiſſimi academiae Iuliae conditoris, diui Iulii inſtituto ſalubrius, omni ſeculorum memoria dici poteſt? Quamuis igitur, ſi paternae originis excellentiam intuemur, ne ſublimiora quidem optare potuerit SOPHIA CHARLOTTA; neque tamen propterea pauciores Imperatorum ac Regum imagines; neque minus memorabilia, ſapientiae virtutisque tropaea, materna eius familia, ex heroico Electorum Palatinorum ſanguine ducta, in atriis ac inſignibus ſuis oſtentat. Noſtrumque adeo erit, ambarum ex aequo ſtirpium dignitatem

ſic admirari & colere ; vt ſapientiſſimi ſimul Numinis, in ſeruandis & extollendis vtriſque, conſilium veneremur: atque ita, tot natos exinde, nataſque Principes cogitare ; vt diuinam in ipſis imaginem reputemus. Ille enim familiarum illuſtrium ſtator & arbiter, cum ex generoſo Guelforum ſanguine, hanc olim Reginam produceret, maiorumque indolem in eam transfunderet; iam tum mirificam illam, ac prorſus diuinam, excelſae mentis praeſtantiam, qua non Semiramides tantum ac Liuias, ſed & ſeipſam quodammodo ſuperabat, indidiſſe ipſi, putandus eſt. Nihil vnquam in EA abiectum aut vile; magna omnia, communique mortalium ſorte ſuperiora. Quicquid igitur muliebrem aliquando pauorem vel viris quoque incuteret; in hoc virilem Noſtrae conſtantiam, inuictumque animi robur animaduertimus. Maieſtatis tamen, qua eminebat, Regiae decus, non tumore aut faſtu; ſed virtute & gloria : non veſano aliorum contemtu, ciuiumque faſtidio; ſed clementia incredibili, ac benefaciendi ſingulis voluntate, ſpectari volebat. Qua de re, tum complures alii, tum extorres praecipue Galli, in illius Reginae munificentia portum perfugiumque quaerebant,

quae

quae ſe toties reputaret felicem; quoties aliorum curandae atque augendae felicitatis occaſionem haberet. Ipſius Dei ter optimi bonitatem hoc imitata praeclarius; quo magis patebat omnibus; quo benignius exteros & ciues excipiebat; quo liberalius dimittebat. Quibuscunque igitur exquiſitum in ea humanitatis grauitatisque temperamentum videndi, ac ſentiendi coram, felicitas obtingebat; horum omnium amorem & cultum alliciebat tantae Principis comitas, retinebat benignitas, moderabatur maieſtas. His aliisque Reginae dotibus, dici non poteſt, quam pulchrum ac ſplendidum diuerſorium ipſa quondam natura parauerit; quantum formoſiſſimo ori honorem afflauerit; quantum oculis decus, quantam corpori dignitatem impreſſerit? Tanquam habitare non poſſet Beatisſimae virtus, niſi in arce magnifica; aut coeleſtis Reginae origo non aliunde pateret rectius, quam ſi externae ſimul pulchritudinis ſpecie, ad ipſum quaſi coeli ornatum accederet. Summis proinde tam corporis, quam animi dotibus, cum regnare iam pridem SOPHIA CHARLOTTA inter aequales crederetur; digna quoque eſt habita, quam diligeret amor totius Germaniae ac Boruſſiae, FRIDERI-

RICVS III: auſpicato nimirum connubio, Foeminarum principum quaſi Reginam, ac reginarum Principem deinceps futuram. Sicut itaque omnes auguſti matrimonii cauſſas vna in ſe ſuisque virtutibus continebat: ita eius ſimiliter ſpem, gloriamque & fructum egregie ſuſtinebat: in lucem hanc edito ſereniſſimo regni atque electoratus herede, GVILIELMO FRIDERICO: & hoc propterea ipſo promerita, vt venerando non minus, quam celebri, matris magnae nomine a poetis poſtea citaretur. Quid iam optaret amplius feliciſſimus Regum? quam vt eo vetuſtior coniugii nexus, quo iucundior laetiorque exiſteret! atque vt ſera demum aetate repoſceretur a coelo, cuius forma ac ſpecies nihil fere terreni prae ſe ferebat! nullo tempore autem extra prouincias Regias nunciaretur extincta, quae harum praecipue regionum, decus pariter & Palladium habebatur! Ea quidem glorioſiſſimo Regi eſt animi magnitudo ac firmitas; vt nullis facile huius vitae tempeſtatibus moueatur; ſed impauido ac tranquillo pectore cuncta excipiat. At quoties tamen ad quartam nonarum februariarum: quae ſingulari huic ſexus foeminei, fortunaeque exemplo, fatalis eſſe debebat; reflectit oculos:

los: toties vi doloris ac deſiderii ſe victum fatetur. Inque eo iam occupatur, vt accenſis adhuc, inter plauſus ciuium ac triumphos, laetitiae ignibus, taedas ferales admiſceat; totq; publicae nuper felicitatis indiciis ac tropaeis, magnae coniugis mauſolea, atque Regias vrnas ſubſtituat. Ac nemo quidem eſt Germanorum, ad quem, de tota Germania meritiſſimi Regis iactura & luctus, non pertinere putandus ſit. Sed literarum tamen cultores eo vehementius percelluntur atque concutiuntur hoc fulmine; quo benignius lautiusque, omnis ſapientiae ſtudia a ſapientiſſimo hoc Heroe habentur. Praeter ceteros vero, quid ſui hic eſſet officii, exputaſſe videtur, doctrinae & morum elegantia, non in Ienenſi tantum, ſed in Kilonienſi etiam ac Lipſienſi academiis comprobata, ornatiſſimus iuuenis, CHRISTOPHORVS SCHACHT, Lubecenſis: panegyrico funebri domi ſuae compoſito, quem craſtina lunae die, hora ante meridiem decima, intra templum Paulinum, in publica auditorum corona, memoriter recitaret. In qua panegyri, honorificam Veſtram praeſentiam, sereniſſime iuuentutis Princeps, Prorector magnifice, illuſtriſſimi Comites, Proceres aulae atque Aca-

academiae excellentiſſimi, venerandi ſacrorum antiſtites, & quicunque nobilibus id genus exercitamentis pretium ſuum ſtatuitis, eo me certius exoraturum confido; quo magis rei publicae intereſt, ne aeternis Muſarum praeconiis digna Regina & Princeps, a Muſis Ienenſibus ſileatur. P. P. Domin. III poſt Trinit. ipſis exequiis Regalibus ſacra. A. O. R. cIɔ Iɔ ccv.

III

TOti orbi perauſpicatus, glorioſusque habendus eſt dies ille, qui de toto orbe praeclare eſt meritus: quando potentiſſimo Boruſſiae Regi nepotem; ſereniſſimo regni heredi filium; ſidus gentibus, Principibus gaudium, ſeculis ornamentum conceſſit. Nemo eſt, qui de meritis Brandenburgicis non honorifice ſentiat; auditoque natali hoc Regio, ſempiterni Numinis beneficium, proque hominum ſalute conſilium, non agnoſcat. Iam enim apertas velut videmus, reconditas illas, & paganis etiam celebratas, fatorum tabulas: non quidem a Parcis; ſed a rerum humanarum arbitro, Deo, de imperiorum viciſſitudi-

ne,

Digitized by Google

ne, Principumque ac ciuium fortuna conſcriptas. In his igitur conſignatum, atque decretum legimus: vt beatisBorusſiae terris hoc illuceſceret ſeculum, quo ipſae ad faſtigium regni aſſurgerent; vel multorum potius regnorum felicitatem, maieſtatemque ac gloriam ſuperarent. Et videtur omnino ſapientisſimus Deus, regni huius initia, iisdem propemodum rationibus ordinaſſe, quibus Romani olim imperii fata atque auſpicia diſpenſauit: vbi principio Caeſares; deinde Auguſtos; aliosque ab his heroes ac principes, excitandos putauit: quorum deinceps, partim viribus, partim conſiliis, tantae reipublicae moles inniteretur. Quamuis maior Iulio Caeſare FRIDERICVS VVILHELMVS Elector; melior Octauiano Auguſto Rex FRIDERICVS, habendus ſit: quorum ille, virtute & armis, magnitudinem regni Borusſici primum compegit; hic religione & ſapientia, atque exquiſitisſimis pacis artibus, conſummauit. Vtrique, eo etiam nomine, Caeſari & Auguſto anteponendi; quod, cum hi non Auguſtos ſemper ac Caeſares poſt ſe reliquerint; Ipſi non niſi eiusdem virtutis ac ſanguinis, quin & nominis, ſucceſſores agnoſcant. Quid enim FRIDERICO VVILHELMO Electori

ctori ſimilius eſſe queat, quam FRIDERICVS? & quae maior diuinitatis cognatio, quam inter FRIDERICVM hunc Regem, & FRIDERICVM VVILHELMVM, regni heredem, intercedat? Iam, ſi procreati nunc Principis Arauſionenſium, LVDOVICI FRIDERICI, cunas adire, Regiarumque virtutum veſtigia, in vultu ipſius Regio, intueri liceret; dubium non eſt, quin eandem diuinitatis originem, conſecutionemque perſpiceremus. Cumque ſacrum aliquem ignem, inter inſignia Regia, venerati ſint veteres, quem ſummis ac potentisſimis Regibus immortales Dii accendant; quanto nos rectius, lumen quoddam, a Deo demiſſum, atque partui Regio circumfuſum, credemus: quo nati recens Principis vultus, & animus, atque omnes ingenii vires illuſtrarentur, auitarumque virtutum veſtigiis ſignarentur: quin & Regiae dignitatis auſpicia eo vsque continuarentur; donec adultus Arauſionenſium Princeps, vim coeleſtem exereret, totamque Germaniam & Europam vndiquaque illuminaret? His ominibus affectum quidem & cultum declaramus. Sed maior diuinatione euentus documento futurus eſt, Principi iſti Regio, aque Regiis Parentibus orto, praeclare

Digitized by Google

re nos quidem ; at infra annorum ſequentium facta & merita, ominatos fuiſſe. Erit enim, cum illa ſe ſapientia, & magnitudo animi prodet, quibus ſupra Principum aliorum exempla ; quin imo ſupra Regum fortunam, ipſe Princeps & Rex optimus maximus, eminebit. Sed de rebus adeo magnis, adeoque ſublimibus, nemo ſatis magnifice aut ſublimiter loqui poteſt ; licet ipſae hoc tempore, a plerisque Europae nationibus celebrentur. Sicut autem doctrinae ac morum elegantia, editorumque ab ſe ſpeciminum fama, multos ordinis ſui ſupergreditur Vir praeclarus, M. MICHAEL LILIENTHAL, Liebſtadii apud Pruſſos genitus: ſic pietate & cultu in potentiſſimum ſuae Pruſſiae Regem, ac ſerenisſimos regni heredes, nemini quicquam concedit. Cui, de progenie iſthac Regia, venturo Veneris die, hora ante meridiem X, in academico templo, ſollemniter ac religioſe dicturo, Veſtram omnium gratiam atque attentionem, Prorector magnifice, Proceres aulae atque academiae excellentisſimi, venerandi ſacrorum antiſtites, Virique ac iuuenes nobilisſimi, praecipue qui ex terris Borusſicis atque Brandenburgicis in noſtras Vos contuliſtis, argumenti ipſius iucunditas, ſed & maieſtas,

conciliabit. P. P. in academia Ienenſi, Domin. III Aduent. A. R. S. CIƆ IƆ CC VII.

IV

RENouabitur, ſub maii appropinquantis auſpicium, inauſpicata oppido februarii, nuper finientis, memoria: cum Rex atque Elector, poſt homines natos prudentiſſimus, FRIDERICVS PRIMVS, nuncium regno, ante annos hos tredecim a ſe fundato, remitteret; quamque nihil in rebus humanis ſit firmum ac ſtabile, morte Regia confirmaret. Viuam tamen praeſtantiae ac virtutis ſuae imaginem, in animis ciuium atque poſterorum, reliquit: quae nec temporum obliuione delebitur; & peregrinos etiam, ad demortui cultum admirationemque, excitabit. Omnium adhuc fidem exceſſit, & in poſterum quoque excedet, incredibilis, ac inaudita penitus Salomonis huius Boruſſici ſapientia, ad excelſae familiae gloriam, ſalutemque gentium, diuinitus ipſi conceſſa: qua, in primis iam adoleſcentiae annis, nullos ludos agebat; ſed in occupationibus ſeriis, communisque egregii curis defixus, ſimile, imo maius aliquid Io-

anne

anne Alberto & Ioachimo, ſagaciſſimis atque eloquentiſſimis ſuae gentis Principibus, minabatur, ac opere ipſo deinceps praeſtabat. Poſtquam enim imperii habenas tractauit, coronamque Boruſſicam, cum communi Regum & Principum acclamatione, ipſoque coronae coeleſtis ſidere, fortunatis auſpiciis, affulgente, ſibi iuxta & Coniugi ſuae impoſuit; ſummo ſane iudicio, ac ſingulari penitus prouidentia, tanti faſtigii dignitatem aſſeruit: inque mediis nuper bellorum tumultibus, prouinciarum ſuarum quieti atque incolumitati ſeruandae, operam praeclaram nauauit: terrisque amplisſimis, nouas ſubinde regiones ac vrbes adiecit. Nec Gallorum duntaxat artiſicia & commercia in regnum ſuum traduxit; ſed, tanquam ipſius naturae dexteritatem ac vim ſuperaturus, fluuios, omni aeuo innauigabiles, mercibus & nauigiis vehendis aptauit: ſtupendisque operibus ac inuentis, ſuas ciuiumque fortunas amplificauit. Pari vero agendi peritia, ac incomparabili conſulendi ſolertia, labentem ſaepe Germaniam erigebat: aque trium Imperatorum capitibus, ſumma, & praeſentisſima aliquando pericula depellebat: Romanique imperii ſtatum opera & manu

firmabat. Sicut igitur admiranda omnibus ſapientia, velut virtute ſibi propria, vtebatur: ita variae inſtrumenta doctrinae, libros, numiſmata, vaſa, ex aedium aliquando ruinis & ſepulchris extracta, amplis ac Regiis ſumtibus comparabat. Neque ſatis habebat, athenaea complura, a maioribus inſtituta, tueri atque ſeruare; ſed nouas diſciplinarum ſublimium officinas, Halae Saxonum ac Berolini condebat, conditasque ornabat: & ſicut florem eruditorum in academiis, ſic eruditionis cuiusque principes in aula fouebat. Inter omnes vero, ſapientiſſimus Rex, velut artium ac Muſarum Apollo, non ſine concordi ſapientum ſuffragio, eminebat: & poteſtate non magis Regia, quam prudentia ac virtute regnabat. Longum foret, tot atque tam infinitas Regis maximi laudes hoc loco commemorare: qui tam fuit benignus & iuſtus, vt nullis vnquam eorum, qui afflictos aut laeſos ſe arbitrarentur, inſidiis peteretur: tamque extitit liberalis ac pius, vt egenos & exules, religionis conſortes, hinc inde ſuſciperet, beneficiisque ac opibus cumularet. Felicem ſe vero prae ceteris, ac beatam, monarcha hoc ſuo, Boruſſia, inque hac, Regiomonti ciuitas praedicabat. Quae ſicut ab Ottocaro Rege ortum

tum ſuum ſortita eſt: ita primi Boruſsiae Regis, non tantum natalibus, ſed coronati etiam FRIDERICI ſollemnibus, iure ſuo gloriabatur: tantoque nunc grauius, ex Regis ſui exceſſu ac funere, vulnus accepit. Cuius clariſſimus atque eruditiſſimus ciuis, M. IACOBVS ROHDE, quem virtutum ſuarum decora, ac ſtudiorum, me etiam duce & comite exultorum, elegantia, a vulgo literatorum diſtinguunt, lugendi pariter, ac laudandi praeſtantiſſimi Regis, officium ad ſe potiſſimum pertinere, pro ſua in defunctum religione, putauit. Huius igitur orationem politam, craſtino lunae die, Regis FRIDERICI exequiis ſacro, hora ante meridiem decima, ex promta, qua pollet, memoria, & cum actione decora, in Academiae noſtrae templo habendam, vt Prorector magnificus, Proceres aulae atque academiae excellentisſimi, venerandi ſacrorum Antiſtites, Virique ac Iuuenes omnis ordinis & doctrinae lectisſimi, fauore prolixo excipiant, ſupremumque adeo Regi glorioſiſſimo honorem exhibeant, ea, qua par eſt, ratione, ac enixe contendo. P. P. in academia Ienenſi, Domin. Miſericord. Domin. A. O. R. CIϽ IϽ CC XIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE
Digitized by Google

V

LVcis craſtinae beneficia, non terris Hannoueranis ſolum, ſed vniuerſo propemodum orbi exhibita, ex potentiſſimi Electoris ac Principis, GEORGII LVDOVICI origine; quam illa videlicet ſibi, quinquaginta abhinc & quatuor annis, non ſine diuino ac proſperrimo omine, vindicabat; a viris cordatis, atque publicae rei prudentibus, aeſtimantur. Neque vero ſollemnius, pro eo, ac decet, recoli, neque ſanctius celebrari natalis huius memoria poteſt; quam, ſi fatorum ſimul conſiliorumque coeleſtium tabulae in oculis habeantur. In his enim diuinitus ordinatum, & ab aeterno prouiſum, intelligitur; vt hac potiſſimum die, ſidus Teutonibus illuceſceſceret: cuius deinceps auſpicio, ducatus Luneburgenſis prouinciae, Henrici nigri nuptiis comparatae, poſt glorioſiſſimi patrui, Georgii Guilielmi exceſſum, cum terris Cellenſibus denuo coaleſcerent: magnique illius Bernardi progenies, ad dignitatis, Electoribus propriae, culmen euecta, mox totius Britanniae regnum; Senatorum ſummorum vocibus ac ſuffragiis, ſereniſſimae Sophiae Dorotheae aſſertum, natisque ac poſte-

ris

ris eius decretum; tanquam felicitatis maximae, & inter mortales vltimae complementum, acciperet. Ex quibus vltro colligere, ac ſine errandi decipiendique periculo, diuinare licebit: quanta virtutum ac meritorum illuſtrium ornamenta, in tam diuino Heroe, tantisque honoribus & faſtigiis digno, ſtatuenda ſint? quibus ſapientiſſimi Dei conſilium, de felicitate ipſius ac gloria, cunctis gentibus, ipſisque terrarum dominis commendetur. Neque enim coeleſtis hoc prouidentiae inſtitutum reprehendere, aut criminari quisquam eſt auſus; poſtquam in primo adhuc adoleſcentiae flore, intueri licuit Principem, magni atque excelſi animi robore cum viris certantem: modo Gallorum copiis ad Conſarbrucum fugatis, & ad internecionem deletis; mox Treuirorum Auguſta operibus ac militibus cincta, atque fortiter expugnata. Demum Ducis iſtius incomparabilis atque maximi virtus, cum annorum profectibus in ſummum faſtigium aucta, immaniſſimos illos Turcarum exercitus, ad Neuheuſelium obuios, more fulminis cuiusdam, proſtrauit; terroremque adeo ſui, non ſine praeclaris ac perpetuis familiae ſuae laudibus, longe lateque circumtulit. His de rebus

 tanto

tanto igitur minus ſilebunt poſteri; tantoque magis omnia literatum iam monumenta, atque annales temporum teſtabuntur; quanto clarius atque certius inde apparuit: nunquam imparem regionibus ſuis, multisque, ſi acceſſerint, regnis, aduerſus hoſtem tuendis, talem tantumque Principem deinceps futurum: qui & aliis ſua ſeruare, Turcisque ac Gallis eripere, didiciſſet. Felices idcirco eius imperio ciues ſe vno ore fatentur; nec vicini ac exteri, ipſius ſaepe auxiliis fulti, diſſimulant: ad ſuam non minus, quam aliorum proſperitatem & gloriam, e coelo demiſſum, datumque humano generi eſſe hunc Electorem, aientes: qui ſummae in rebus adminiſtrandis ſolertiae, nec minoris iuſtitiae, inque homines vniuerſos clementiae, virtutumque tot reliquarum inſtructus praeſidio; nihil de regionum ſuarum ac imperii iure deminui, nihil de ſua & aliorum auctoritate detrahi pateretur: & bella non minus, quam contagia, in terris vicinis graſſantia, a prouinciis ſuis, imo etiam alienis, auerteret: atque has iuxta ac illas recrearet penitus & corroboraret. Hae vero & aliae ſummi Principis dotes, ipſius inſuper pietate ornantur, vel potius muniuntur: qua dignitatis ac regiminis ſui ori-

Digitized by Google

originem a Deo arceſſit; nec niſi in vero & recto, genuinum, ac dignum Principe decus conſtituit: proſcriptisque vitiis ac erroribus, & pietatis fucatae machinis confeſtim deſtructis, Deum hoc ipſo ſanctisſimum, & tam verae religionis auctorem, quam deliramentorum ac haereſium vindicem, imitatur. Quae omnia ſicut nos etiam admiramur & colimus: ita ciuibus ſuis ornatisſimis; quorum apud nos numerus ad octoginta excreuit; ad imitationem & cultum proponet, communi ipſorum nomine in publicum proditurus, doctrinae eximiae iuuenis, iamque aliis documentis & ſcriptis clarisſimus, CHRISTIANVS VLRICVS GRVPEN, Hannoueranus: de Electoris conſummatisſimi ortu, factisque egregiis, craſtina lunae die, in Veſtra, Prorector magnifice, Proceres aulae & academiae excellentisſimi, ſacrorumque antiſtites venerandi, & quotquot ſtudiorum hic cauſa agitis, corona dicturus. Cui fauorem atque praeſentiam Veſtram, partim maxima GEORGII LVDOVICI veneratio; partim ſumma in literatos beneuolentia, Vobis propria, pollicentur. P. P. In Acad. Ien. feſto Dei vnius ac trini die, A. O. R. CIϽ IϽ CC XIV.

VI

ILluxit nouiſſime annus, & laetus quidem auſpicatusque illuxit: qui, quemadmodum aeui recentis quintus ac decimus numeratur: ita omnium annorum exemplo, hoc inprimis officium, pietatisque negotium nobis iniungit; vt & veterum beneficiorum memoriam, grato religioſoque in Deum animo, recolamus; & noua hinc vota ac omina pro tempore futuro concipiamus. Quod ipſum non chriſtianorum tantum conſuetudine ac religione docemur; ſed a priſcis quoque Romanis, Ianum, temporis Deum, quod is finem ſimul ac initium anni intueretur, fronte gemina inſtruentibus, ſub ipſa nunc anni auſpicia, commonemur. Inter omnia autem diuinae prouiſionis & gratiae pignora, iſto temporis interuallo, quod ſol circuitu ſuo, paucis abhinc diebus, finiuit, in patriam vniuerſam collata, nullum illuſtrius, aut vnde maius Germaniae lumen praeſidiumque acceſſerit, nominari poteſt aut fingi: quam quod triceſima prima octobris, inter proſperas ideo ac laetiſſimas dies habenda, glorioſiſſimum Electorem ac Principem, GEORGI-

VM

VM LVDOVICVM, magnae Britanniae maximum atque potentiſſimum Regem creatum, coronaque & ſceptro condecoratum, allato ex regionibus iſtis nuncio, non ſine perpetui & exuberantis gaudii ſenſu, accepimus. Haec nimirum felicitas atque gloria annis ſuperioribus debebatur; vt, quod de florentiſſima olim Romanorum republica, ab exterorum legatis ac principibus dictum eſt: eam Regum aliquem conſeſſum videri, talemque ab omnibus praedicari: id de Procerum Germanorum ſenatu, Regum quippe ſummorum dignitatibus ac inſignibus aucto, longe verius, maiorique gentium conſenſu, dicatur. Poſtquam enim Hiſpani non modo ac Hungari, Bohemique & Galli; ſed Suecorum etiam ac Danorum populi, cum Poloniae & Boruſſiae nationibus; rerum ſuarum moderatores ac reges, ex Germanorum imperio, velut ex coelo deuocauerant; hoc videlicet vnum reſtabat, vt Angliae nuper ac Scotiae, & Hiberniae regna, ab Electorum maximo, GEORGIO LVDOVICO; cuius virtutes ac decora adhuc pluribus regnis auguſtiora exiſtunt; in vnum reipublicae corpus coniuncta, non ſine bonorum omni-

omnium exultatione & plauſu, poſſiderentur. Quod, quemadmodum Dei ſapientiſſimi, Regum pariter ac regnorum domini, voluntate prouiſum eſt: ita, vt in imperiorum mutatione, multis antehac vicibus, vſu venit, non vnis iam pridem caſibus; quos tantae nos poteſtatis partim omina, partim argumenta interpretamur; denunciatum, & quodammodo praedictum videtur. Cuius nos rei initium ab illa rerum Britannicarum viciſſitudine, quae ſeculo quinto contigit, repetendum putamus: cum Anglorum videlicet natio, Angloſaxonum, praeſidia ipſis tunc adducentium, ſocietati pariter ac imperio aliquamdiu adſueſceret. Nec ſine occulta fatorum, vel diuini potius Numinis, poteſtate fiebat; vt, ſiue Henricus ſecundus, ſiue, vt alii volunt, Richardus, Mauorti illi Saxonico, Henrico Leoni, tanquam genero, in ſinum tunc ſuum confugienti, eam gratiam faceret, atque hoc veluti ſignum ad bene ſperandum tolleret: vt Leopardorum imagines, Britannis huc vsque proprias, nunc in Guelforum inſignia, ceu futuri imperii teſtes ac nuncias, transferri iuberet. Sed propiorem iam aditum, sereniſſimae,

mae, & ob geſtarum publice rerum memoriam, coelo aequatae, Brunſuicenſium domui, ad Britannici regni faſtigium apertura, Numinis ſummi prouiſio, ex Regio illo Stuartorum ſanguine, ELISABETHAM primum, Friderici quinti, Electoris ac Principis Palatini coniugem; inde ex hac SOPHIAM, inuſitati atque diuini exempli Principem; regionum Britannicarum, vna cum poſteris ſuis, heredem; ſed florentiſſimo atque optimo regno, in cuius ſpem nata atque electa fuerat, cum regni coeleſtis ac perpetui dignitate, nuperius commutato, omnibus nunc Reginis auguſtiorem; ſeculo ſuperiore formabat: impreſſaque ſui ſimilitudine, velut futuram GEORGII noſtri LVDOVICI, Electoris ac Regis potentiſſimi, matrem, creabat. Nemo etiam, niſi Numinis ac religionis contemtor, inuenietur, qui tantam illam Procerum ordinumque conſenſionem, ac inauditam propemodum apud Britannos concordiam, inde ab anno CIↃIↃCLXXXVIII, Guilielmi & Annae auſpicio conſeruatam, inter prouidentiae ipſius diuinae miracula referendam, laudandamque non ſtatuat: qua, reiecto VVallisiae, prout ſe adhuc ipſum vocauit,

cauit, Principe; atque illis pariter, qui Romanenſium ſuperſtitiones haud abiecißent, excluſis, SOPHIA primum; hac autem ad Reginarum coeleſtium ſedem euecta, GEORGIVS LVDOVICVS, magnae Britanniae regno; quod & necesſitudo ſanguinis, & aeterna Britanniae lex, & ſuprema religionis ac reipublicae ſalus iubebant; non ſine ſapientisſimi Dei inſtinctu, deſtinabatur; donec egregius, Deoque dilectus hic Heros, ſacra veluti via, in Angliae ſuae capitolium, triplicisque imperii arcem, felici nuper omine, duceretur. Ex quo tempore, dici non poteſt, quantis plauſibus, ac intimioris gaudii ſignis, Britannorum ſe regna attollant: non tam copiis ſuis, aut diuitiis, vel circumfuſi oceani fluctibus; quam excelſis GEORGII LVDOVICI virtutibus, & conſiliis, munienda. Iuſtasque non minus gratulationis ac laetitiae cauſſas, tam vniuerſus Germaniae orbis, quam Brunſuicenſes ac Luneburgenſes praeſertim prouinciae ſortiuntur; maius quippe ex Principis ſui faſtigio ornamentum, maiusque commodum ac praeſidium habiturae. Omnium igitur approbatione ac laude eſt digna, iuuenum ornatisſimorum, qui ex Electoratus

tus Hanouerani regionibus in hanc bonarum arium officinam ſe contulerunt, religio; atque in Electorem ſuum ac Regem veneratio: qua, ſicut ad muſicorum concentuum, & artificioſorum ignium apparatus, ita ad plena laetitiae verba; ſingulorum ac omnium nomine, a iuſti ac aequi cultore ſolertisſimo, neque paruam uirtutis ac ſcientiae famam adepto, CHRISTIANO VLRICO GRVPIO, in panegyri craſtina, hora ante meridiem decima, in templo academico facienda; ſponte atque vltro incitati ſunt. Cuius propoſiti cauſſa, magnificum academiae Prorectorem, vna cum Prorectore magnifico deſignato, atque excellentisſimis aulae & academiae Proceribus, ſacrorumque praeconibus venerandis, cumque omnibus, qui apud nos literas diſcunt & ornant, non inuitamus ſolum; ſed per Regis etiam auguſtisſimi merita & virtutes rogamus: vt in gratulationis iſtius ac gaudii partem veniant; quantique Monarcham incomparabilem faciant, fauore ſuo & cultu teſtentur. P. P. in Acad. Ien. d. X Ian. A. O. R. cIↃ IↃccXV.

VII.

Digitized by Google

VII

SOlem in ortu veluti occidiſſe, omine tam inexpectato, quam triſti, deprehendimus, alterque ad alterum, in ſemet ipſo defixus, vt attoniti ſolent in magnis caſibus, narrando propagat; quando ſereniſſimi Principis, DIVI GEORGII ERNESTI, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angariae item ac Gueſtphaliae Ducis, Domini noſtri, dum fata ſinerent, clementiſſimi atque optimi ſidus, quod in vota ac delicias patriae, maius indies & ſplendidius iubar induere cernebatur, acerbo ac praematuro obitu intercipitur. Eſt profecto in eminentiſſima, infinitaque Auorum ſerie, magni Vittekindi ſtirpi innexa, Ducum Saxonicorum familia, quod tanquam proprium ipſi ac peculium, & quo prae aliis ſe oſtentet, nulla facile aetas obliterabit: vt illibata maiorum decora, atque illuſtriſſimas dotes, hereditario quodam iure, ad nepotes ac poſteros, cum bonis prouinciisque transmittat. Iam qui de duraturis in ſecula, Ioannis Friderici magnanimi, Fridericique bellicoſi, ac Henrici illuſtris nominibus, vel audiendo tantum acceperant; illi ominabantur perite, atque animo ſuo praecipie-

cipiebant, quae polliceri ſibi a Principe beatisſimo arae noſtrae ac templa, curiaeque & ſcholae, imo patria, ac regiones cultiſſimae potuiſſent; niſi fata & valetudo, qua ſubinde conflictabatur, ſiniſtra, prohibuiſſent. Neque tamen ideo, cum vigore membrorum ac robore, vel Erneſti pii, cuius & nomine effulgebat; vel Friderici placidi mores exuerat; ſed his potius ita eminuit, vt, quod de Cimone Athenienſi Nepos pronunciat, & vita iſtius Principis cara, & mors acerba extiterit. Vnde aetas nunc omnis, ſexusque ac ordo, cum Parente incomparabili, Domino BERNHARDO, inter ſanctimoniae ſuae praemia, ſenectutem, viuis adhuc Saxoniae ducibus maiorem adepto, nutritore & principe noſtro munificentiſſimo, pullati ac moeſti incedunt. Namque redeunt omnibus, iuuentutis hunc Principem, in primo aetatis flore, virtutumque omnium curſu, extinctum lugentibus, gaudia illa ac tripudia, quae per vrbes, vicosque ac pagos vndique incedebant; cum anno CIↃ IↃC XXC, die XXVI martii, octaua ante meridiem hora, principali puerperio felix, eamque ob cauſſam memorabilis, Ichtershuſa perſtreperet. Redeunt laudatisſimorum Parentum omina & auguria, quibus lineae vtriusque

que auorum, diui Erneſti, diuique Georgii nomina, expectationis eiusdem ſoboli in fonte ſanctisſimo imponenda, curabant. Nouus iamiam illuxerat annus, fauſtis alias acclamationibus, votisque ouantium mutuis auſpicandus; cum permutata illico ſcena, ſummo mane, vbi tertiam inter & quartam ambigua labebatur hora, digreſſo e viuis Principe, ingens ſtatim incumberet dolor, ac velut quibusdam vinculis, congratulari atque precari cupientium linguas conſtringeret ac ligaret. Quantum interſit ciuium, vt ſalutis, ſic ſecuritatis publicae pignora, hoc eſt optimos iuuentutis Principes, qui glorioſorum aliquando parentum faſtigium occupent, ſero perquam amittere; ante ceteros illi intelligunt, quibus exulceratus Germaniae ſtatus, vbi incerto prouinciarum herede, res ad interregnum deueniebat, ex illorum temporum faſtis innotuit. Bene quidem eſt mortuo: cuius in felicitatis perpetuae portum delata iam nauis, nulla amplius tempeſtate concutietur, quae mortalibus imminet; nulloque mergetur naufragio, quod ſuperſtites formidamus; ſed ſupra diſcrimina vniuerſa & caſus poſita, per ſolis ac ſiderum ignes, omnemque pulcherrimū coeli ornatum, in eo vehitur loco, vbi

tot

Digitized by Google

tot animarum tripudiantium chori, de ſuperatis feliciter vitae huius aerumnis, aeternum triumphant. Quicquid vero mortale reliquit; illud craſtino, ſi Deus dederit, die, dormitorio ſuo, exquiſitis & magnis cerimoniis inferetur. Ad quas ſplendidius celebrandas, in communi iuſtitio, & Nos etiam mandato Ducali nunc euocamur. Ita quidem, vt ex ſenatu academico, Vir maxime reuerendus, atque excellentiſſimus, IO. PHILIPPVS TREVNERVS, Doctor Theologus, ac philoſophiae hic primae profeſſor celeberrimus, ad habenda ſereniſſimo Principi parentalia, in aede Paulina, ſit proditurus. Adeſte, o Ciues, & quicquid magnum antea ac egregium in viuente exſplenduit; id cum mortuo interceptum reipublicae, ita lugete, vt humillimis pro Nutritorum glorioſiſſimorum ſalute precibus, quam cordi ſit vobis academiae, hoc eſt matris veſtrae felicitas, certatim ac pie teſtemini. P. P. D. XXX Ianuar. A. O. R. cIↄ Iↄ c Ic.

VIII

CVm ſereniſſimum nuper GVILIELMVM HENRICVM, illum dicimus

mus GVILIEMVM HENRICVM, qui ſuſceptam Rectoris magnificentiſſimi dignitatem incredibili adhuc fortuna ac laude ſuſtinuit, tectis noſtris clementer admodum ſubeuntem, exciperemus; nemo tam tardus atque indocilis fuit, quin ad ſummi conſpectum Principis, humillimam mentis commotionem, ipſo vultu ac habitu comprobaret; neque tam improbus aut ingratus, quin Rectorem hunc ſuum ac ducem, tanquam inaeſtimabile boni publici pignus, indubitatumque felicitatis academicae firmamentum, exquiſita tunc geſtientis animi pietate, ac iuſtiſſimo gratulationis plauſu proſequeretur. Hinc in procliui eſt intelligere, quo efferentis ſe pasſim religionis indicio; qua exuberantis gaudii magnitudine; quibus denique votorum precumque ſollemnibus, craſtinum omnes conſecrare diem, ac dedicare optemus; quod annis abhinc duodecim, cum laudati natalibus Principis, primum nobis tot beneficiorum immortalium fontem cauſamque praebuerit. Salue igitur, aeternis ac ſummis cumulanda elogiis dies! ſaluete illuſtriores aliis, horae nouembres! cum ad omnia illa fortunae, atque cetera ornamenta, auſpicatisſimum olim ſignum

ſignum ſuſtuleritis, quae Magnificentisſimus noſter, accreſcentibus de poſtero annis, tueri virtute, illuſtrare egregiis atque immortalibus factis debebat. Magni enim IOANNIS GVILIELMI filium, qui tot ante ſe electores & principes, caeſaresque ac reges, a Vittekindo magnanimo, continua pridem ſucceſſione progenitos, numeraret, non poſſe non, vt paternae virtutis ac gloriae, ſic dignitatis ac potentiae, heredem ex aſſe euadere; in ſpem expectationemque minus dubiam omnes adducebantur. Sane a prima ſtatim aetate, non ſummae tantum indolis, & plusquam virilis animi dotes; ſed optimae quoque ac rectisſimae mentis indicia eluxerunt. Illi igitur, qui formando perpoliendoque eius ingenio praeſunt, magno admodum ſibi honori ac gloriae ducunt, quod a tanto diſcipulo, tam virtute, quam ſapientia, breui ſe aſſequendos, imo omnium opinione vincendos, praeuideant. Eum quippe, tenerioribus adhuc annis, Principem exhibet; tantaque in ipſo decora admiramur & colimus; vt neque Perſarum gentibus Cyrum, nec Macedonibus Alexandrum, neque Ioaſum Ebraeis, inuidere amplius habeamus; & uel huius exemplo

intelligamus: non alligatam prouectiori aetati gloriam eſſe; neque obſcuriora excellentis ingenii argumenta ab adoleſcentibus, quam a viris ſaepius, capi debere. Quod coeleſtis beneuolentiae atque gratiae munus, nunquam pro dignitate agnoſcere, aut efferre poterimus; quoniam eum his terris heredem largita eſt, eumque ſacris adeo noſtris ac Muſis praeſidem dedit, in quo capacitas ſupra aetatem, virtusque ac gloria ſupra ſeculum, ipſos ciuium animos, ad ſui non magis amorem, quam imitationem & cultum, pertraheret. Nec maiora animo ſuo ingenioſisſimus Plato concepit, quando beatas ſtatuit ac laudauit respublicas, vbi aut imperent ſapientes, aut principes ſapientiam amplectantur; quam literata haec ciuitas de Rectore ſuo magnificentisſimo pollicetur ſibi ac ſpondet. Ceterum in iucunda adeo ac felici materia, accuratius atque vberius exponenda, Viri ſumme reuerendi & excellentisſimi, PHILIPPI MVLLERI, theologiae Doctoris, ſereniſſimorum Saxoniae Ducum a conſiliis ſanctis, & praepoſiti ac praelati apud Magdeburgenſes honore, inque hac academia Profeſſoris iam ſenioris officio clari, collegae noſtri plurimum

mum venerandi, natalitius ſermo, de publica ſenatorum ſententia, die craſtino, hora ante meridiem nona, in templo academico recitandus, verſabitur. Veſtrum erit, o Ciues, pio atque modeſto habitu ad haec ſacra confluere, & quam religioſiſſime fieri poteſt, orare nobiscum miſericordiſſimum Numen ac venerari, vt hunc proſperitatis atque ſalutis publicae ſtatum, in ſereniſſimo GVILIELMO HENRICO, ad ſera vsque tempora, non ſine incrementis laetiſſimis, protegat, tueatur ac firmet! P. P. Sub Acad. Sig. d. IX Nouemb. A. CIↃ IↃCCIII.

IX

QVando exortum nouiſſime, & noſtris etiam oris accedens, potentiſſimi, verique Regis Hiſpaniae ſidus, cominus intueri noſtra Saxonia ac ſuſpicere poterat; id uero eiusmodi, nunc euntis octobris beneficium erat; vt, ſi nullum inſuper adieciſſet, cum laetisſimis auſpicatisſimisque temporibus in comparationem venire, procul dubio mereretur. Nobis autem ex eo non minus, menſis iſtius celebritas gaudiumque augetur;

quod ante ſeptem atque triginta hos annos, coeleſtis prouidentiae ope, eum dederit Principem, terrisque indulſerit, quo praeſtantiorem, nec exorare precibus, neque eligere votis, neque manibus in ducali collocare faſtigio, licuiſſet. Quod ſi ſeptimus atque decimus calendarum nouembrium, in honorem Cereris, quae reperto frumento, leges etiam ac ſtatuta tuliſſe mortalibus fingitur, religioſius quondam Athenis feſtusque agitabatur; quidni ſequentem potius diem, qua olim cum sereniſſimo Principe, Domino IOANNE GVILIELMO, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angariae, & Gueſtphaliae Duce, reliqua, Principe noſtro ac Domino clementisſimo, tot immortalia beneficia, tot ſaluberrima inſtituta, non equidem Ceres aliqua, ſed optimum atque benignisſimum Numen, largiri his prouinciis ac diſpenſare decreuit, prae aliis multis memorabilem, atque ſollemnem habeamus? Neque igitur caſu, aut temere contigiſſe putandum eſt, vt in hunc potisſimum diem exoptatisſimus eius natalis incideret, qui diuo IO. GEORGIO II heres legitimus atque ſucceſſor debebatur. Iam enim tum ſancitum a Deo conſtitutumque erat, vt dignus tanto honore atque faſtigio Princeps, non

ſolum

ſolum ex Vittekindi fortisſimi ſtirpe, quae tot antehac Electores, Regesque ac Imperatores dederat, totius Saxoniae bono progigneretur; ſed vt talis etiam, gloriosisſimorum parentum prouidentia, quin exemplo etiam, formaretur; qualis poſtea in ſui amorem & cultum raperet vniuerſos, atque exterorum non minus, quam ciuium, ſuſpenſa a ſe illico ora mentesque teneret. Equidem ſi tot millium, inde a condito orbe, annorum hiſtorias recolamus; permulti heroes ac duces ſua merito laude feruntur. Quicunque tamen inter tam varias nationes ac gentes effloruerunt; horum famam celebritatemque, ſi non antegreſſi ſunt longe Saxoniae principes; haud impari tamen alacritate, neque factis obſcurioribus, aequauerunt. Quae vero in his etiam eminuerunt virtutes, ſingulisque ad immortalitatem ac gloriam ſuffecerunt; illis Sereniſſimus noſter, vnus omnibus ita inſtructus eſt atque excellit; vt cum ſapientisſimis Fridericis prudentia; cum Bernhardis magnanimis fortitudine; cum Erneſtis denique piis religione, certare quodammodo videatur. De quibus aliisque virtutibus, vt verba plura nunc faciamus, eo minus eſt opus; quoniam illas bonorum iam pridem ſuffragia in coe-

lum extollunt, ciuesque, ſummorum quotidie beneficiorum magnitudine, abunde experiuntur. Quemadmodum enim immenſo Dei fauore, noſtrique Principis prouidentia, purioris religionis doctrina, iuſtique ac aequi adminiſtratio vigeat; noſtrae iam olim curiae ac templa loquuntur. Illam autem in literas, earumque cultores, benignitatem, ac beneuolentiam incredibilem: cuius tum alia, tum id cumprimis illuſtre, & omni maius exceptione, documentum habemus, quod dignisſimum paternarum prouinciarum ac virtutum heredem, Dominum GVILIELMVM HENRICVM, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angariae item & Gueſtphaliae Ducem, non magis Rectoris magnificentiſſimi, quam aſtri cuiusdam benefici inſtar, academiae praeeſſe voluerit: in noſtro potiſſimum exaudiri lyceo, & admiratione omnium celebrari oportet. Sereniſſimum ergo IOANNEM hunc GVILIELMVM, tum nullo non alias tempore, tum natali potiſſimum die, ceu viuum ac ſpirans ſalanae noſtrae Palladium, praedicamus & colimus; non ad Palladis quidem effigiem, ſed ad veram diuinitatis imaginem factum; nec, vt poetae fingebant, coelo

lo demiſſum ; ſed a fonte bonorum omnium nobis conceſſum. Nemo certe eſt noſtrum, quin Patris patriae ortu illuſtrem, ac ſeris ideo poſteris commendandam hanc lucem, pietatis ac gaudii euidentiſſimis notis, indiciis, argumentis, excipere ac dedicare exoptet. Ne autem confuſa inter ſe ſimul omnium vota atque tripudia, indecori ac turbulenti aliquid prae ſe ferant ; idcirco, tum proprio impetu, tum publico ſenatorum decreto excitus, Vir maxime reuerendus atque excellentisſimus, IOANNES PAVLVS HEBENSTREITIVS, ſanctae theologiae Doctor, eiusque & hiſtoriae ſacrae profeſſor ordinarius atque celeberrimus, conſiliariusque Ducalis, & collegii iam ſui decanus grauisſimus, collega noſter plurimum honorandus, ad futurum mercurii diem, in aede Paulina, communi veluti ore ac voce loquetur, omnisque, a luce hac natalitia, tanquam a centro aliquo, dependentis felicitatis, theatrum aperiet. Vos, o noſtri, tanto maiori frequentia atque attentione tunc audietis dicentem ; quanto ſuauius, Ducis huius munificentisſimi laude affici, imo trahi alias conſueuiſtis. P. P. ſub Academ. Sig. Domin. XIX poſt Trinit. Anno CIↃ IↃ CC III.

X Se-

X

SErenisſimae domus Saxo-Vinarienſis, ea in orbe, qua patet, chriſtiano eſt dignitas, ea rerum geſtarum amplitudo, ea ſapientiae ac virtutis tropaea; non a ſummis tantum maioribus parta, ſed a maximis noſtra aetate Fratribus, Domino GVILIELMO ERNESTO, ac Domino IOANNE ERNESTO, illuſtrata & aucta; vt ad altius gloriae honorisque faſtigium, poſthac euehi poſſe non videatur. Sicut autem exoptatiſſimus iuuentutis Princeps, Dominus ERNESTVS AVGVSTVS, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montiũ, Angariae ac Gueſtphaliæ Dux, & reliqua, Dominus noſter clementisſimus, ex tam praecelſa familia ortum ducit, quae vix habet, quo amplius ſe attollat: ſic eam de ſe expectationem ac ſpem, in exterorum iam pridem ac ciuium animis concitauit: breui futurum, vt non plus lucis ipſe ac dignitatis, ſuo a genere nactus eſſe, quam attuliſſe eidem, iudicetur. In quam nos opinionem impellit mirifica eius ad omnem virtutem & excellentiam indoles: quae aeque magna egregiaque nobis promittit, ac coeleſtis illius flammae ſpecies, quam circa Regum ac Principum ali-

aliquorum capita eluxiſſe, annales priſci commemorant. Tam diuina proinde ingenii vi, atque igneo mentis ardore, identidem excitatus, id enititur, vt ſuae potius exaggeratione virtutis, quam fumoſis maiorum imaginibus cenſeatur: & quemadmodum princeps ille ac moderator ſiderum ſol, omnia, quae is lumine ſuo illuſtrat, magno poſt ſe interuallo relinquit: ita ipſe in tantum altitudine animi, honeſtique ſtudio, praemineat alios; in quantum generis ipſos ſplendore & gloria antecellit. Nouit quippe ingenioſiſſimus Princeps, hoc veluti fulcro dignitatem heroum illuſtrium, auctoritatemque inniti, ſi actionibus pulchris, venerabiles & magnos ſe praeſtent; quandoquidem ad facta ſuperiorum, atque exempla principum, totus, vt canit poeta, orbis componitur. Neque enim latere diutius poteſt, quicquid vel laudem in ipſis, vel reprehenſionem meretur; ſed ſicut in turri altiſſima excitatum incendium, atque ex coelo radians fulmen, in quorumuis illico oculos menteſque incurrit. Cum proinde beatos pariter & laudandos ſola Principes virtus efficiat, ſecuritatemque & gloriam, qua viui etiam conſecrantur, promittat; ſolam ideo illam

illam in deliciis habet ERNESTVS AVGVSTVS, ingentique ſtudio & contentione animi eam proſequitur. Ita enim edoctus eſt ſereniſſimus Princeps: neque caſu aliquo nobis obuenire hanc Diuam, neque per ſomnium aut quietem offerri; ſed vere illos ac ſapienter ſenſiſſe, qui in arce eam celſiſſima habitare dixerunt, ad quam improbo ſolum labore, recta & regia mortalibus via aperiatur. Enimuero vt milites & athletae, & quibuscunque in rebus artifices, inſtitutione aliqua, praeceptisque ſalubribus opus habent: ita gloriae cupidum, ſtudioſumque virtutis principem, eas pariter artes ac diſciplinas excolere par eſt, quibus illa tum aliarum, tum excelſarum inprimis, ſummaeque in rebus humanis fortunae deſtinatarum mentium, adminicula atque ornamenta comprehenduntur. Cumque ſola efficiant ſtudia, ne alienis agatur conſiliis, qui imperare aliis debet, prauorumque libidini pareat, & quibuscunque adeo vitiis latam portam aperiat; hinc eam demum felicem exiſtere ac florere rempublicam, non Plato tantum, ſed Marcus etiam Antoninus pronunciauit, vbi ſapiens, bonisque imbutus artibus princeps ſummam rerum adminiſtraret.

niſtraret. Omnium horum egregie, ac ſupra aetatem intelligens, Sereniſſimus noſter, laudatiſſimorum parentum, maiorumque exemplo, ſumme aeſtimat litteras, ipſarumque cultores in oculis gerit; quin etiam ipſe, iis ſe erudiri artibus ſinit, quibus nata ad imperandum ingenia, ad ingentis fortunae decora ac praeſidia excitantur. Quemadmodum enim non eodem armorum genere, quo priuati, vtuntur Principes; neque pari cum ipſis habitu veſtiuntur: ita quoque diuinioribus, atque propriis ſibi ſcientiarum generibus inſtruendi ſunt. His igitur inſtitutus atque excultus ſereniſſimus ERNESTVS AVGVSTVS, merito magni ac diuini aliquid aſſecutus cenſebitur. Haud commemorabimus in praeſenti, quantum curae ac operae, in Parentisglorioſiſſimi aula, praeſtantes virtute, Regiarumque artium peritiſſimi Viri, ad fingendam perpoliendamque ipſius aetatem, contulerint. Illud vero hic praetermitti non debet: in illuſtri nuper Halenſium academia, florem eruditorum, in formando, ac profuturis ſcientiis imbuendo eius ingenio, eo laboraſſe ſucceſſu; vt talem ipſum mox appareret futurum; qualem in aulis ac prouinciis omnes ſperarent. Ceterum

rum pari virtutis & ſapientiae inſtituto, parique felicitatis omine ac augurio, ſalanae noſtrae ſpatia nuper ingreſſus eſt; Muſasque adeo iſtas, propiori longe deuotionis vinculo ſuas, in florentisſima hac ipſarum ſede inuiſit. Quae viciſſim, a tanti Principis, tanquam ſplendidisſimi ſolis exortu, magnam ſpem atque ſolatium, & fulgentioris, quam ante, diei laetitiam quaſi recipiunt. Dum autem conuerſa in ipſum omnium ora, defixosque oculos cernimus; vt lucem, qua recreentur, ab hoc aſtro haurire, vigoremque hinc noum trahere, ſibi obtingat; efficacem prae ceteris, pietatis ingenuae, affectusque humillimi flammam, ex hoc obtutu concepit, probitate, modeſtia ac doctrina clarisſimus iuuenis, M. IOANNES CHRISTOPHORVS DORN, Schleuſingenſis. Qui poſt nauatam aliquamdiu in auditoriis meis operam, cum ex domeſtica vmbra in lucem prodire, viresque ingenii in aperto periclitari, ſuum animum induxiſſet; de nobili adeo ac opportuna occaſione vehementer gauiſus eſt, qua praecipuarum virtutum praeſidia atque decora, quae requiri in Pincipe ſolent, ſummi Principis huius exemplo deſcriberet, & tanquam ad viuum exprimeret.

ret.

ret. Quoniam vero, quicquid docte ac pie meditatus eſt, id ad proximum Veneris, horam X ante meridiem, in templo Paulino, pronunciare conſtituit; propterea ſerenisſimum iuuentutis Principem, Prorectorem magnificum, illuſtriſſimos Comites, Proceres aulae atque academiae excellentisſimos, venerabiles item ſacrorum antiſtites, & quicunque praeclaras, ac dulces ante omnia literas in lyceo hoc amant, ea, qua par eſt, ratione nunc inuitamus atque oramus, vt benignum de pulchro hoc exercitio ſenſum ſua praeſentia & attentione comprobent, memoremque gratiae huius ac beneficii animum, ab vtroque noſtrum, quouis tempore ſibi polliceantur. P. P. in Acad. Ien. Dom. Exaudi, A. R. S. CIↃ IↃCCV.

XI

SI quid valerent vota noſtra; ſerenisſimo, inque cunctis virtutibus ſummo Principi, diuo BERNHARDO, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angriae & Gueſtphaliae Duci, ac reliqua, Principi quondam & Domino noſtro clementisſimo, viuo potius pium gra-

tumque animum teſtaremur, quam ſupremi honoris nunc iuſta mortuo ſolueremus. Dubium enim non eſt, quin, ſi diutius illi verſari inter mortales licuiſſet; a praeſtantisſima eius, aduerſus hanc academiam, voluntate, complura ſubinde, eaque egregia, profecta fuiſſent. Omnes quippe nouerunt, quanta ipſe humanitate, docentes pariter ac diſcentes amplexus ſit; quamque illuſtrem clariſſimarum artium famam, non intulerit modo noſtrae ſalanae, ſed etiam confirmauerit. Permulta hinc inde literarum hoſpitia, partim bellicis cladibus, partim fatali quodam torpore, ſi non plane extincta, certe corrupta ſunt; vt conclamatum de perennitate ipſorum & flore videatur. Ac neſcimus profecto, quae fati iratioris vis, ſuperioribus annis coorta ſit, noſtrumque hoc prytaneum perculerit; qua obſcurari in eo celebritatis priſtinae lumen, & ſpes ac ornamentum poſteritatis periclitari inceperat. Vt auerteretur itaque omen ſiniſtrum, neque florentisſimam ſemper hanc academiam, ſuumque antea caput prae aliis efferentem, vel maleuolorum contemtu deprimi, vel magiſtrorum inopia abſumi contingeret; tum ceterorum, inuſitatae

virtutis

virtutis ac gloriae Principum, tum diui quoque BERNHARDI, tanquam Herculis cuiusdam Muſagetae, cura effectum eſt: generoſo prorſus conſilio, quorumcunque malorum vitiorumque monſtra tollentis; & maieſtatis ſuae fulgore, imminentes fortaſſe barbariei tenebras disſipantis. Occultis nimirum ſtimulis, a Deo, athenaei noſtri cuſtode, excitabatur laudatiſſimi herois voluntas; vt deſtinata, ſalutis publicae cauſſa, vrgeret alacrius; &, niſi confectis penitus rebus, ac emendato academiae ſtatu, neutiquam conquieſceret. Hinc nullis impar negotiis, agenda quibusuis praeſcribere, acta omnium iudicare, artes atque ſcientias diſpenſare, fouere eruditorum ordinem ac iuuare, moderatoris eſſe officium, iudicabat. Qua in re emiſſam in plagas quascunque, ſideris ſolaris virtutem repraeſentabat; vel, vt dicamus rectius, praeſentis vbique Numinis prouidentiam ſequebatur: cuius ipſe arcano inſtinctu, ad promouenda atque augenda rei literariae commoda, nullo non tempore rapiebatur. Si qua igitur Muſis noſtris conſtabit perennitas; nunquam illae ceſſabunt, BERNHARDI glorioſiſſimi nomen, veluti decus Muſarum ac praeſidium, ſuis

in cultiori orbe alumnis, ac poſteris oſtentare. Longum foret, tot atque tam infinitas ſummi Principis laudes ſpatiis his anguſtis includere. Quod negotii, illis, ex collegarum noſtrorum honoratiſſimorum ordine, datum eſt, qui vel ſacra oratione funebri, vel iuſtis, quae vocant, parentalibus, res factaque tanti Herois, ad venturam proxime Martis diem, quae nobis non minus, quam Meiningenſibus, funeſta futura eſt, hora poſt meridiem altera, in templo academico celebrabunt. Et partes quidem priores pie obibit Vir maxime reuerendus atque excellentiſſimus MICHAEL FOERTSCHIVS, ſanctae theologiae Doctor & profeſſor primarius, atque meritiſſimus, nec non ordinis ſui Senior, & hoc ſemeſtri decanus. Secundis vero ampliſſimus excellentiſſimusque Vir, IOANNES CASPAR POSNER, eloquentiae in hac ſalana Profeſſor ordinarius, de more fungetur. Quicunque iacturam reipublicae, in magni Principis caſu, intelligunt; eos per diui BERNHARDI merita, perque illuſtriſſimos cineres, rogamus decenter, & admonemus, vt frequentes admodum his ſacris interſint, diuinamque nobiscum conſolationem & opem, ardentisſimis

mis votis exorent. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. I poſt Trinit. A. R. S. cIɔ Iɔccvi.

XII

INgreſſi nouiſſime annum ſumus, ſicut laetum omine, ita ipſo principio memorabilem, iucundoque felicitatis pignore inſignitum. Quae enim pro Matre patriae glorioſisſima, CHRISTINA IVLIANA, ſollemniter certatimque vota concepimus: vt fortunati vteri eſſet, diuque ac multum deſiderato puerperio, vniuerſum Saxoniae orbem mox recrearet: ea rata habuit Numen, quintamque iduum ianuarii, nati feliciter Principis, CAROLI GVILIELMI partu nobilitauit; & nos pariter omnes ad verum piumque gaudium excitauit. Ibant quondam Romani, vſitatasque circa hoc temporis, ſtrenas viris ſtrenuis offerebant, caricasque ac mella diſtribuebant; dulcia nempe anni tempora a dulcisſimis rebus auſpicaturi. Nobis magni infantis praeſentia, quorumcunque munerum excellentiam iucunditatemque repraeſentat: quo naſcente, natalem veluti laetioris temporis, atque ſalutis publicae celebramus. Nihil proinde ridi-

culi, nihil vani in animo habuiſſe, de poſtero iudicandi ſunt, qui in principiis rerum, aliquid non vani augurii quaeſiuerunt; quando annuae tempeſtatis primordia, formoſisſimi Principis ortu, ceu Dei cuiusdam tutelaris auſpicio, conſecrantur. Quodſi eo antehac menſe, cui a Iano eſt nomen, nouam a nouis magiſtratibus lauream, Iano, pacis belliqne, vt credebatur, cuſtodi, boni ominis gratia, dedicatum fuiſſe, accepimus; quidni & nos ter optimo terque maximo Numini, pro immortali hoc beneficio, tranquillitatisque publicae ſigno, ſollemnes precum gratiarumque, vt ita loquamur, laureas ſuſpendamus? Ita nobiscum arbitrantur, quicunque ob ſummos, excelſisque meritis Duces, florere Saxoniam, inque hac, ſerenisſimae familiae Iſennacenſi, non interrupta paruorum Quiritum ſerie, decus ſuum atque conſtantiam conſeruari, exoptant. Haec enim periculo vacua, iam duorum auſpicio Principum, nullo amplius orbitatis aut ſolitudinis metu diſcruciatur: deque publica re, in tuto ſic collocata, iure ſuo triumphat. Nihil igitur illorum poſthac malorum, in his prouinciis formidamus, quae, excidſa funditus, cum extincto olim Henrico Aurelianenſi, Comitum

Digitized by Google

tum prouincialium ſtirpe, noſtramThuringiam, inſtar diluuii, inundabant: e veſtigio Brabantiae ducibus, atque marchionibus Miſniae, vario Marte, nec ſine ingenti regionum iſtarum incommodo, infeſta inter ſe ſigna conferentibus. Ab his, inquam, periculis longisſime abſumus; Patris patriae domo, nouo iterum fulcro firmata, continuataque heredum maſculorum ſucceſſione, florem perpetuum, imo ipſam, vt auguramur, aeternitatem conſecutura. Summum Principis noſtri in ſubiectos amorem, ſalutisque omnium curam, tot quotidie pignora & argumenta loquuntur. Huius vero beneficentiae magnitudinem nunc augeri, neceſſe eſt; ceſſante nimirum dubio, eam ipſam, cui praeeſt, rempublicam, non ſibi tantum, ſed natis etiam ſuis ac poſteris propriam, certumque peculium deinceps futuram. Nemo equidem noſtrum tam inhumanus aut rudis conſpicitur, quin conceptum animo, sereniſſimae CHRISTINAE IVLIANAE amorem & cultum, ore, oculis, geſtibus, declarare conſueuerit. Sed iam nouo foecundi vteri beneficio, ac felicitatis publicae monumento erecti, Heroinam hanc auſpicatisſimam, matris poſtea magnae nomine celebrandam, longe cupi-

 dius,

dius, longeque impenſius veneramur. Licebit vero ſimul, ad ſerenisſimi Filioli cunas accedere; transmiſſamque a magnanimo Vittekindo nobilitatem, ipſo vultui a natura inſcriptam, ſuſpicere; & ex formoſisſimi oris indiciis, pulchriores longe diuini animi dotes colligere; quantisque conatibus tanta indoles ſuffectura ſit? non ex aſtris, aut venditato ab aſtrologorum filiis coelo, repetere; ſed ex Maiorum praeſtantia, ſummorumque Parentum gloria, ominari. Singularis certe haec fuit, eritque de poſtero, Ducum Saxonicorum felicitas: vt facilius aconitum ex ruta prodeat, aut ſalix e cedro pullulet; quam procreati ab ipſis Principes a ſuorum indole ac virtute deſciſcant. Neque igitur tam ſperamus, quam plane confidimus: CAROLVM iſtum GVILIELMVM, interiecto aliquo tempore, talem futurum; qualem ſcilicet magnum eius Parentem, ſerenisſimum IOANNEM GVILIELMVM, iam cognitum admiramur. Hunc autem, vt religionis ſtatorem, omniumque virtutum praeſtitem, ſcholarumque & academiae noſtrae tutorem, vno verbo, vt Patrem patriae, praedicamus & colimus. Eodem igitur animo, quo Parentem, cum optatisſima Coniuge, & viuere, & valere, & impe-

Digitized by Google

imperare precamur; pro herede iam Principe vota precesque ſuſcipimus: vtque dies haec proſpera & ſuauisſima, quam nunc ſaluere omnium primum iubemus, quaeque naſcenti Principi lucem, & eadem opera, magnum his regionibus ſplendorem conceſsit, candidior laetiorque, & nouis ſubinde beneficiis cumulatior, redeat; pluraque indies & maiora, ſaluis Parentibus, ſalua gemini ſexus ſobole, ſaluo totius Saxoniae ſtatu, polliceatur! Commune hoc eſt pietatis officium, quo ad proximam Mercurii diem, horam ante meridiem X, diuinae pariter & humanae ſapientiae laudabiliter deditus HENRICVS CHRISTOPHORVS MORCHIVS, Iſennacenſis, omnium quaſi nomine, in templo academico perſungetur. Quod cum ad magni Principis decus, & vniuerſae Saxoniae incrementa praecipue ſpectet; ſerenisſimus Princeps Saxo-Vinarienſis, Prorector magnificus, Prorector magnificus deſignatus, illuſtrisſimi Comites, Proceres aulae atque academiae excellentiſſimi, venerandi ſacrorum diſpenſatores, doctique ac boni inter nos, ſtatu quocunque praeſtantes, dicenti annuere, laetaque nobiscum auſpicia capere, atque ingens adeo noſtrum

vtrique beneficium collocare, haud grauatim, ceu credimus, dignabuntur. P. P. in Acad. Ien. Domin. II poſt Epiphan. A. R. S. cIↃ IↃ CC VI.

XIII

SI vllo vnquam tempore viros iuxta & foeminas decuit, vnius foeminae vitam recolere, mortem vero gemitibus & lamentis proſequi; illius hoc fore diei, arbitrandum eſt, quo & omnis ciuium ordo, & generoſae equitum atque purpuratorum familiae, & ipſi denique Duces ac Principes, in antiquisſima Ducum ac Principum ſede, Altenburgo, magnae, dum viueret, Principis, nunc maioris inter diuas CHRISTINAE, ex eminentisſima marchionum Badenſium atque Durlacenſium domo genitae, diuique iam FRIDERICI, Ducis Saxo-Gothani, viduae, illuſtres condent exuuias, atque funebrem pompam ſequentur. Efferetur, inquam, ad craſtinum Veneris, illud innumerarum dotium habitaculum! efferetur corpus, quod vltra communem mortalium aſſurgens ſtaturam, celſiorem ſolito, diuinae mentis praeſtantiam arguebat! quodque concinnum olim & ſuaue,

ſuaue, pulchriores longe, in pulchra veluti domo, virtutes, ipſis oculis ingerebat! In his quid prius commemorem? an religionem in Deum? an benignitatem in homines? an frugalitatem in tanta fortuna? an liberalitatem in pauperes? an magnitudinem illam animi? an eiusdem animi lenitatem? an emendatisſimae vitae gloriam? an praeclarae pariter mortis felicitatem? in tam vbere verborum ac laudum materia, inuenire vix poſſum. Fuerunt equidem in Aſſyria Semiramides; in Palmyrenorum regno Zenobiae; apud Phocenſes Aſpaſiae; apud Romanos inſuper Agrippinae: quarum magnanimitatem, modeſtiam, bonitatem, doctrinam, prudentiam, atque cetera ornamenta, nullum facile aeuum ſilebit. Sed nihil penitus habet illarum praeſtantia, quod conferri cum beatisſima mereatur; quum vix omnes poſſederint ſingula, quae in vna CHRISTINA aderant vniuerſa; ac ne religione quidem ſincera, omnis principio excellentiae, cenſeri ipſae potuerint. Hac enim virtute, vel vt loquamur verius, hac virtutum regina, vsque eo eminuit noſtra; vt recta in rebus diuinis non ſcire tantum, ceu quondam Athenienſes, ſed facere etiam, niteretur: atque ita ſe eſſe Principem

cipem, reputaret, vt Principum principi ante omnia inſeruiendum putaret. Quicquid igitur chriſtianarum virtutum in hac olim CHRISTINA admirati fuimus; illud eadem pietas produxiſſe, ac ſuis velut vberibus aluiſſe, ſpirituque & vita, quo ad ſalutem aliquid poſſent, impertiiſſe, putanda eſt. Sicut enim in oculis noſtra inque animo ſeruatorem ſuum ferebat: ſic liberali omnes amore proſequebatur, quos a Deo & Chriſto amari didicerat: diem ſe perdidiſſe, cum laudatisſimo Imperatorum, cogitans, quo non bene cuiquam feciſſet. Cumque omnium ea ſaluti conſulere, & quantum in ſe foret, proſpicere conaretur; inculpatum omnibus ſanctimoniae exemplum praeibat. Principum ac Ducum plerasque in tantum antegreſſa virtutibus; in quantum dignitas Principis, priuatorum hominum ſortem transgreditur. Quae vero tam multum operae Deo ac proximo impendebat; ea, dici non poteſt, quam parum ſibi & corpori ſuo impenderit. Valere penitus iuſſis mundi illecebris, antequam ipſi mundo valediceret; cunctisque ad animum, non ad corpus, relatis. Inter maxima, & vberrima pietatis haud fictae commoda, & hoc etiam redundare in pios, didicimus: vt,

vt, producta felicius atque longius vita, ipſam velut aeternitatem Numinis aemulentur. Quae enim comprehenduntur in hoc viuendi genere, otium, admiratio, gaudium, illudque timoris ac ſpei temperamentum, ſaluberrima denique vitae totius ratio; illa omnia eam humoribus ſpiritibusque quietem, eam corpori firmitatem conciliare, creduntur; vt in hac breui alias vita, mira quaedam annorum granditas conſequatur. Accedit & hoc, quod naturam proborum, ipſe naturae conditor, Deus, ad miraculum vsque ſe ſeruaturum, non promiſit ſolum; ſed praeterea tot religioſorum exemplis teſtatus eſt. Ex hoc proinde principio ac fonte profluxit rara beatae inter Principes, ipſasque Reginas, felicitas: vt confecto annorum amplius ſexaginta ſpatio, ſicut ſeculi huius ac vitae, ſic omnis in terra proſperitatis aliquo modo ſatura, moreretur. Quamuis ne obiiſſe quidem cenſenda ſit, quae caducam hanc vitam cum vita perpetua commutauit; quaeque viuit adhuc in ſubiectorum animis, meritorum ipſius admirationi & cultui aeternum intentis. Nihil vero magnitudini eius ac laudi deceſſit, quod ex ſereniſſimo Coniugum pari, FRIDERICO atque ALBERTO, nullos liberos tulerit;

quan-

quando prioris mariti Principis nati iuxta & natae, inque iis munificentisſimus academiae noſtrae nutricius, ſapientiſſimus Principum, FRIDERICVS, cum fortiſſimo fratre VVILHELMO, perpetuo eius, tanquam matris germanae, deſiderio & amore flagrabunt. Et quemadmodum olim Epaminondas, exprobata ſibi ab inuidis orbitate: eſſe ſibi, aiebat, filiam, pugnam Leuctricam, ſuperſtitem multis annis futuram: pari modo CHRISTINA, mater ſuorum, mater ciuium, mater egenorum; quot virtutum ſuarum argumenta ac laudes, totidem quaſi filias, ſemper victuras, nullo tempore intermorituras, reliquit. Quae in obitum Noſtrae panguntur carmina; quae conciones in templis, quae orationes in cathedris audiuntur; ea omnia, tanquam proludia eſſe videntur immortalis gloriae, tum a ciuibus, tum a bonis vndique omnibus propagandae. Quemadmodum autem ſingulari in ſereniſſimam domum Saxo-Gothanam pietate ac fide, nobiliſſima GOTTERORVM familia nulli quicquam concedit: ſic idem ille affectus cum ſanguine tranſiit in clarisſimum Virum, & vitae non minus integritate, quam eruditionis variae ſpeciminibus, inter noſtros ſpectatum, M. FRIDERICVM

GOTT-

GOTTHELFFVM GOTTERVM, Altenburgenſem, craſtina veneris, quae Altenburgenſibus funeſta futura eſt, hora ante meridiem X, in templo Paulino, decora oratione, vltima diuae Principi iuſta, quae parentalia vocant, perſoluturum. Adeſte, quaeſo, ſereniſſime Princeps Saxo-Vinarienſis, Prorector magnifice, Prorector magnifice deſignate, illuſtrisſimi Comites, Proceres aulae atque academiae excellentisſimi, venerandi ſacrorum praecones, doctique ac probi in athenaeo hoc omnes: quamque cara ſit Vobis memoria Principis, qua ampliorem laudandi lugendique materiam nulla unquam reliquit, Veſtra praeſentia, quam inſigni nos beneficio deputabimus, comprobate. P. P. in Acad. Ien. D. XXIIX Ianuarii, A. O. R. CIↃ IↃ CCVI.

XIV

NOndum lugubria, nedum luctum, ex CHRISTIANI ſerenisſimi morte ſuſceptum, ducatus Saxo-Gothanus poſuit; cum nouum ei infligitur vulnus: quo non tantum Saxonia; nec tantum Germania; ſed Britannia quoque ac Belgium;

um, & vniuerſa, qua meliorum partium eſt, Europa percutitur. Cecidit, cecidit magnus ille IOANNES GVILIELMVS, amor ſuorum, terror hoſtium, vindex tranquillitatis publicae, orbis chriſtiani praeſidium! Fama huius acerbitatis & moeſtitiae, aeque lata vagatur, ac tanti herois gloria propagata eſt: quae documento poſteris erit, illam, omnium populorum annalibus celebratam, fortitudinem Saxonum, triumphosque ac merita, cum aureo poetarum ramo, qui ſemper renaſcebatur ablatus, in comparationem venire. Et quemadmodum a Themiſtocle, duce ſtrenuo, dictum, meminimus: ſe, niſi Athenienſis fuiſſet, ad tanti honorem nominis peruenire non potuiſſe: ita diuum IOANNEM GVILIELMVM vix aſſecuturum fuiſſe hanc magnitudinem atque gloriam, quis crediderit; niſi incunabula ſua Saxoniae Ducibus, totque Regibus ac Imperatoribus, debuiſſet. Quamuis iniuſtum quodammodo videatur, decus Principis huius a gente & maioribus deriuare; qui non minus ſplendoris, familiae ſuae intulit, quam ab ea accepit. Silebo igitur in praeſenti Ioannes conſtantes, & Guilielmos magnanimos; quando amborum, ſicut nomina, ita virtutes, IOANNES GVI-

gitized by Google

GVILIELMVS coniunctas repraeſentauit. Primum illico iuuentutis initium ludus Martius erat: in quo praeclara adeo altioris indolis documenta édidit; vt aeque magna de eo ſibi pollicerentur Germani ac Sueci, quam Ludouici nuper Badenſes, & Caroli Lotharingici, quin imo Vittekindi magni, effecerant; ſi ſeruare eum populis fata, & non modo oſtendere voluiſſent. Neque cum hominibus ſolum & hoſtibus; ſed cum ipſo oceano, fluctibusque ac ventis congreſſus eſt: inque maxima tempeſtatum ſaeuitia, magnam exaggerati animi vim oſtendit: lacerataque ac perdita naue, in praeſenti adeo mortis periculo, nihil pertimuit, & ne vultum quidem mutauit; donec in ipſum, qui nauigium eius concuſſerat, ſcopulum, tanquam victor euaderet. Quando igitur in Italia, belli illo theatro, nouae fortisſimorum militum acies, contra Gallos, patriae hoſtes, inſtruebantur; omnium animi ſtatim conuertebantur in Principem, qui expectationem omnium ante iam ſuperauerat. Quae de tanto heroe opinio eo magis confirmabatur; quo extantiora virtutis veſtigia Ottones olim atque Henrici, eiusdem quippe familiae principes, his eisdem prouin-

ciis impreſſiſſent. Et in eo iam erat, vt Tolenium, natura atque operibus, quin & praeſidiis permunitum, obſidione a noſtratibus cingeretur. Vbi nihil non agebatur a Gallis, quo totius hoc Galliae propugnaculum, atque vnum fere ſalutis adhuc reliquae portum, ſeruarent; vt crebras proinde excurſiones, multaque & cruentisſima praelia, fieri oporteret. Horum igitur vni glorioſiſſimus IOANNES GVILIEMVS dux praeerat; quamuis non ducis tantum, ſed militis quoque ſtrenui partes obiret. Vſque eo & inflammabat hinc inde trepidantes milites, & erigebat cadentes, & in medios hoſtes ruebat; donec ignea demum glande traiiceretur; atque obitu ſuo doceret: occidi quidem ab hoſtibus talem poſſe heroem; vinci vero aut capi non poſſe. Iam pridem enim is incolumitati Germaniae caput ſuum impenderat; vt, ſi iſtud non poſſet, tamen illa aſſereretur. Atque maluit, tela Gallorum per corpus ſuum & caput tendere, quam vt ipſe ſolutae obſidionis nuncium ad Imperatorem perferret. Praeponendus proinde omnibus Romanorum Deciis, atqe Athenienſium Codris: qui inani tantum ſuperſtitione inducti, ſanguinem ſuum, pro republica, Diis manibus deuouebant. Tanta ſunt

vtique

Digitized by

vtique immortalis Principis facta & merita; vt ſine ingrati animi ſcelere, funus ipſius tacitum praetermitti non poſſit. Cui officio, Gothanorum nomine, ipſe quoque Gothanus, ſeſe accinget, conſultisſimus atque amplisſimus Vir, M. IOANNES HENRICVS ACKERVS, a ſerenisſimi Ducis Iſennacenſis ſecretis, ingenio & doctrina egregius, multisque iam ornamentis ac ſpeciminibus inter noſtros ſpectatus; ad diem mercurii proximum, horam ante meridiem X, magni adeo Germanorum herois memoriam, oratione Germanica, memoriter recitanda, in templo Paulino celebraturus. Nullo hic precum ambitu opus eſt; quando Vos, Prorector magnifice, Proceres aulae atque academiae excellentisſimi, venerandi ſacrorum antiſtites, literatique ac probi apud nos vniuerſi, propendetis vltro ad vltimum pietatis officium, diuis IOANNIS GVILIELMI manibus, cum facundiſſimo oratore, praeſtandum. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. I Aduentus, A. R. S. clɔ Iɔ ccvii.

XV

FVit CHRISTINA IVLIANA, magni noſtri IOANNIS GVILIELMI haud minor marita! Fuit flos heroinarum, decus principum, amor ſubiectorum, orbis denique chriſtiani deliciae. Fulgere adhuc prouinciis hisce ſol candidior, iamque in portu verſari mater patriae videbatur; poſtquam CAROLI nuper AVGVSTI, exoptatisſimi Principis partu, Saxoniam recreauerat; cum ſubita & inauſpicata tempeſtas, inſtar fulminis, ex coelo ſereno cum fragore emiſſi, cuncta proſterneret, atque ſpiritum noſtrae interciperet, quem ſereniſſimae ſoboli, ſempiterni Numinis beneficio, ipſa modo conceſſerat. O infauſta & volucris rerum viciſſitudo! qua vnicum Princeps ſolatium, Saxones ornamentum, ciues praeſidium, omnes omnia, puncto temporis amiſerunt! Si quis tacitus ſecum perageret, qualem quantamque eſſe oporteat principem, in qua vna eluceant vniuerſa, quae vel Dei propitii fauor tribuere, vel propriae vnquam virtutis praeſtantia largiri conſueuit? illi non alia, credo, obuerſaretur imago, atque quam in CHRISTINA hac IVLIANA, adhuc viua, coluimus, in-

inque mortua comploramus. Enimuero de dignitate natalium, quibus primus, apud quoscunque populos, honor tribuitur, nemo quaerere, multo minus ambigere ſuſtinebit; quando nihil de illis tam ſplendidum, tamque auguſtum dici poterit, quod in illuſtrisſima marchionum Badenſium, vel in ſola etiam Durlacenſi familia, non occurrat. Quae ab antiquis & claris Zaeringiae Ducibus orta; aque ipſa Auſtriaci ſanguinis ſtirpe demiſſa; & meritorum, geſtarumque egregie rerum gloria, coelo aequata; cardinales, archiepiſcopos, duces, heroasque innumeros, ſua veluti tropaea oſtentat. Satis fuerit, vel Caroli illius Guſtaui hic mentionem iniicere: quo nimirum parente ſata eſt noſtra; & qui fulmen, dum viueret, belli, & nationis Gallicae terror, per Sueuiam, totamque Germaniam, laudabatur. Quamuis igitur, ſi genus intueamur beatae, ne maiora quidem optare potuerit; tanta tamen virtutum incredibilium magnitudo in ipſa enituit, vt non pauciora fere, ad proauorum ſuorum gloriam, ornamenta contulerit, quam ab ipſis acceperat. Eodem nimirum religionis ſtudio, colendique Numinis ardore incenſa; quo au-

ctor ille & ſtator Durlacenſis familiae, qui Erneſti nomine, aeternitati temporum conſecratus eſt, ad reddendum prouinciis ſuis coeleſtis ſapientiae lumen, diſſipandasque erroris pontificii tenebras, olim inflammabatur; tantaeque vtilitatis & gloriae inſtitutum perficiebat, quod cunctis maiorum victoriis, terrarumque acceſſionibus, merito praeferebat. Huius, inquam, exemplo, beatisſima principum, haud ſecus ac ſolem inter ſidera, pietatem inter virtutes reliquas, aeſtimabat. Et eo quidem ſucceſſu; vt, quemadmodum lux omnis a ſole, ita omnes a pietate virtutes, tanquam a fonte, profluerent: vtque nihil magnanimitate defunctae excelſius, nihil benignitate diuinius, nihil moribus amabilius, dici poſſet. Tantisque animi dotibus tam auguſtum ac ſplendidum habitaculum largita erat natura; vt, ceu Dea quaedam ex coelo demiſſa, & ad ſalutem gentium nata, ab omnibus coleretur. Digna omnino, quae glorioſiſſimum IOANNEM GVILIELMVM, princeps principem, pia pium, virgo viduum, amplexu ſuo reficeret; editisque in lucem ſereniſſimis liberis, tanquam totidem aulae Iſennacenſis luminibus, non has regiones tantum, ſed omnem,

qua

qua patet, Saxoniam & Germaniam illuſtraret. Quam igitur vita eius iucunda; quamque acerbus nunc obitus, ſicut omnibus, ita Patri inprimis patriae, vnam omnium optimam & religioſiſſimam coniugem, ſuaeque dimidium animae, ſingulis adhuc horis deſideranti, acciderit; praeſtat ſilere, quam longe inferioribus verbis referre. Nos proinde exceſſum beatae, tanquam commune reipublicae vulnus, ita deflemus; vt pro clementisſimi Principis, ac ſerenisſimae prolis ſalute, vnde & noſtra dependet, vota publica nuncupemus. Ad cuius officii munia, die craſtino, hora ante meridiem decima, in templo academico obeunda, nemo viſus eſt aptior, ornatisſimo, ſpeique ingentis iuuene, IOANNE ERNESTO LEONHARDI; per biennium iſtud, quo iuſti ac aequi ſtudiis, ſedulo & praeclare apud nos operatus eſt, id ſemper eniſo; vt virtutis atque doctrinae gloriam, a perilluſtri parente in aulis Principum partam, & perpetuo nominis factorumque ſplendore, indies auctam, laude propria tueretur. Neque vllum eſt dubium, quin Prorector magnificus, Prorector magnificus deſignatus, illuſtrisſimus Comes, proceres aulae atque academiae excellentisſimi, veneran-

 di

di religionis antiſtites, & quicunque literas amant ac aeſtimant, pro pietate in Principem, cuius praeſtantiam vix vllius foeminae virtus, vllis ſeculis conſequetur, quicquid dicet florentisſimus iuuenum, ſecundis tunc auribus excepturi ſint. Quod rogare, etſi videtur eſſe ſuperuacaneum; tamen ea, qua decet, ratione rogamus. P. P. Domin. V poſt Trinit. iuſtis funebribus ſacra, A. O. R. CIↃ IↃ CCVII.

XVI

DIuum BERNHARDVM diuus nunc pariter CHRISTIANVS, frater fratrem, natu minor natu maiorem, expletae nuper mortalitatis, breui admodum funeſtoque his regionibus interuallo, ſecutus eſt. Quod ipſum tamen, nec neceſſitate quadam naturae, nec temere caſuque euenit; ſed a ſapientisſimo Deo prouiſum eſt; vt coniungerentur in coelo, qui arctiori ſanguinis nexu, paulo antea cohaeſiſſent in terris; vtque eiusdem virtutis praemia reportarent, qui eisdem amplificandae religionis conſiliis ſociati vixiſſent. Vtrique olim ad coetus diuini ſalutem exciti, & ad ornandam

dam Saxoniam, a Deo delecti; atque vt cari omnibus, ſic ab omnibus aeque deſiderati: puri, quoad viuebant, & ſancti inter homines improbos, ac re non minus, quam nomine CHRISTIANI. Huius enim appellationem virtutis, a parente, Erneſto pio, acceperant; vitaque deinceps & fama retinuerunt: inque proſperum, tam iuuandae patriae, quam tuendae coeleſtis reipublicae omen, perpetuo conuerterunt. Sollemne erat veteribus, in deſcribenda bonorum principum educatione verſantibus, veritatem rerum, ingenioſis commentis & fabulis, obſcurare magis, quam explicare. Vnde primum Cretenſium legislatorem ac regem, cui Minois eſt nomen, in Iouis contubernio enutritum, eque ipſo diuinitatis conſortio, ad ſummam poſtea rerum, auſpicio coeleſti adminiſtrandam, productum fuiſſe, commemorant. Nobis, quemadmodum olim BERNHARDI, ſic nouiſſime CHRISTIANI religio, exemplum praebuit Principis, quem non Iupiter quidam commentitius intra velum edocuit; ſed Deus deorum in Erneſti ſanctiſſimi aula formauit, perque omnem aetatem, ſua imbuit ſapientia, ſuoque numine & vigore, ad diuina omnia ac coeleſtia

excitauit; ſuae denique ſanctitatis imagine, prae compluribus aliis, in eodem licet honoris faſtigio poſitis, exornauit. Quoties enim in diuini foederis codice, atque aliis libris, ſuam induſtriam pietatemque exercuit; quoties ſacris & aſſiduis redemtorem ſuum precibus compellauit; toties in aeterni Numinis contubernio, inque conuictu quodam coeleſti verſatus eſt, Haec ſecutus auſpicia, quicquid bonum atque decorum inter homines, quicquid ad Dei honorem & gloriam comparatum eſt; id omne aut inchoauit religioſiſſimus Principum, aut inchoatum perfecit. Et quod de vrbe olim Romana dictum eſt, hoc idem de ſua republica dici voluit: quam a paruo initio, ad decorae magnitudinis molem, & ad iuſtam veluti aetatem perduxit. Praecipua vero CHRISTIANI iſtius pietas in excitandis reparandisque templis eluxit: qua vel magni illius Conſtantini, & Caroli, a diuinis tot aedificiis concelebratorum, munificentiam aemulatus eſt: ſibique adeo ipſi, in mentibus omnium, quorum religio, Deique colendi ſtudium, ea ratione accenditur, quoddam quaſi virtutis templum erexit; quod ſicut a reliquis, ita quoque a nobis, venerabile ſemper & ſanctum habe-

Digitized by

habebitur. Ad hunc cultum nos inuitabit oratio funebris ornatiſſimi praeſtantiſſimique iuuenis, IOANNIS RVGEROEH, Camburgenſis, conſultisſimi in hac vrbe parentis haud degeneris filii: quem tum alia, excitatis mentibus digna, ac vere nobilia exercitia; tum optimarum artium ſtudia, quibus nunc totum ſe tradit, atque elegantisſimi mores, a multis diſtinguunt. Hanc proinde, venturo proxime martis die, hora ante meridiem X, ex promta memoria, in templo academico recitandam, vt propenſe audiant Prorector magnificus, illuſtriſſimus Comes, proceres aulae atque academiae excellentisſimi, venerandi ſacrorum antiſtites, doctique ac boni apud nos reliqui; per tanti herois cineres rogo: qui non princeps CHRISTIANORVM tantum, ſed principum quoque CHRISTIANISSIMVS, ſalutari & coli promeruit. P. P. Domin. Exaudi, A. R. S. cIↄ Iↄcc vII.

XVII

SEreniſſimi IOANNIS GVILIELMI cum ſerenisſima MAGDALENA SIBYLLA nuptiae, ſicut pompa, Principum

pum tantorum faſtigio digna, ita communi Ducum ac procerum exultatione, in VVeiſenfelſenſium vrbe, omnis ſplendoris & magnificentiae ſede, auſpicato gratoque hoc tempore celebrantur. Quod ſi priuatorum etiam hominum matrimonia, tanquam benignisſimi Dei munera, & humani generis firmamenta, laeti atque gratulabundi adſpicimus; quanto magis in excelſorum Principum nuptiis, bonitatis diuinae conſilium praedicare fas erit? ex quibus, praeter communia cum ceterorum coniugiis commoda, ſingularis etiam, & immenſa vtilitas, in prouincias ac ciues redundat. Intereſt enim reipublicae, vt his veluti munimentis ſtabiliantur familiae Principum, & quieti terrarum, atque temporum futurorum felicitati prouideatur. Nobis vero quam laeta ac ſalutaria, ex praeſenti connubio, exoritura dicemus? quando illae Principum domus nouo foedere vniuntur, quarum antiquisſima inter ſeſe conſociatio atque amicitia, obſcura nemini eſſe poteſt? Vtrique enim ſerenisſimi ſponſi a Vittekindo, Mauorte illo Saxonico, originem trahunt: cuius ſanguis heroicus, per tot principes, electores, reges, imperatores, ad Fridericum placidum electorem;

perque

Digitized by

perque hunc ad glorioſisſimos filios, Erneſtum atque Albertum, transmiſſus eſt. Ex quorum altero Duces Iſennacenſes; ex altero VVeiſſenfelſenſes Principes; atq; rurſus ex illis glorioſisſimus ſponſus; eque his ſponſa incomparabilis, nullo non virtutis ſplendore inclaruerunt. Iuuat, occaſione tam commoda, intueri adhuc ſerenisſimos fratres, Erneſtum atque Albertum, lineae Erneſtinae atque Albertinae auctores: quomodo illos aeterni Numinis prouidentia, tanquam ſingularia penitus concordiae fraternae exempla, in virtutis Saxonicae templo, prae ceteris eminere voluerit? Nam cum magni vtrique, & haberi vellent, & eſſent; neuter tamen inuidit alteri ſuam fortunam; nec per viginti annorum ſpatia, de diuiſione terrarum cogitauerunt; ſed ambo in vna Dresdenſium regia ſimul vixerunt; ſummaque adeo animorum ac ſtudiorum concordia, coniuncti fuerunt. Dubium non eſt, quin haec principum duorum beneuolentia, ex ſapientisſimi Dei decreto, proludere quaſi debuerit amicitiae, inter Erneſti atque Alberti poſteros deinceps colendae, & ſanctisſimis praeterea pactis, coniugiorumque foederibus ſanciendae. Cuius rei permulta iam documenta & pignora afferre poſ-

ſemus

ſemus; niſi ea in luce iam olim publica verſarentur; & niſi oculis adhuc noſtris obuerſarentur illae nuptiae, quibus ante hos annos perpaucos, sereniſſimus VVeiſenfelſenſium Dux, IOANNES GEORGIVS, atque Iſennacenſis familiae Princeps egregia, FRIDERICA ELISABETHA, amorem & ſanguinem miſcuerunt. Cui religioſiſſimo foederi quando nouum iam fulcrum ex connubio praeſenti accedit; recentique ſic vinculo, perennis amicitiae fides, inter potentiſſimas has familias obligatur; hoc ipſo ſignum laetiſſimum ad ſalutem ſecuritatemque ciuium, tolli videtur. In qua nos opinione confirmant, quicunque eadem fere virtutum decora, in auguſto hoc pari, IOANNE GVILIELMO, & MAGDALENA SIBYLLA, propius cognouerunt: inque illo diuinum mentis ardorem, congruentemque principibus excellentiam; in iſta pudorem, inque ſuos affectum: in vtroque religionem & prudentiam, cum tot aliis bonis, collaudant. Quod ſi fieri poſſet, vt ſe ex coelo demitteret diua illa CHRISTINA IVLIANA, atque coram adſpiceret ſuccedentem ſibi in matrimonio heroinam; nullus dubito, quin felici adeo coniugii huius ſucceſſu haud mediocriter laetaretur; & ipſa

ama-

amaret Principem, in cuius virtutibus a-ctibusque, ſe propemodum ipſam, ceu in ſpeculo quodam, contemplaretur: ac ſuae in ea cum ſereniſſimo marito concordiae, ſuae in liberos relictos beneuolentiae, ſui aduerſus ciues amoris, imaginem deprehenderet. Forte etiam nos alloqueretur beata, & quemadmodum ad pietatem ac fidem, ita ad gaudium, de reſtituta ſic nobis matre patriae, qua ne meliorem quidem optare poſſemus, pro ſua magnitudine animi, hortaretur. Nihil certe indignius noſtra in Sponſos ſereniſſimos fide atque obſequio eſſe poſſet, quam ſi nullam penitus voluptatis publicae partem iam deguſtare, vel rem, omnium acclamationibus proſequendam, ſilentio praetermittere, in hac eloquentiae officina vellemus. Qua de re ornatiſſimus iuuenis, IOANNES CHRISTIANVS EDELMANN, viri ampliſſimi, CHRISTIANI EDELMANNI, cubicularii, VVeiſſenfelſenſi in aula, meritiſſimi filius, iuſti ac aequi ſcientiae praeclare addictus, craſtino lunae die, hora ante meridiem X, omnium velut ore loquetur; pro felicitate coniugii, inter Principes ſummos initi, vota publica, in templo academico, ſuſcepturus. Quae vt ſollemniora efficiant Prorector magnificus, Prore-

ctor

ctor magnificus deſignatus, proceres aulae atque academiae excellentisſimi, venerandi ſacrorum antiſtites, & quicunque apud nos literatorum ordinem augent, omni modo precamur. P. P. Domin. VIII poſt Trinit. An. cIↃ IↃCC vIII.

XVIII

NOuo, quam veteri anno laetior, ac ſerenior quaſi apparet Vinaria; quando proxime ante calendarum auſpicia, ſerenisſimi iuuentutis principis, Domini ERNESTI AVGVSTI aduentus, ſi non disſipauit penitus, tamen minuit aliquantum fatales illas nebulas, quibus communis, ex Parentis deſideratisſimi, diui IOANNIS ERNESTI obitu, luctus, vrbem iſtam, & ſpectantes eo prouincias obſcurauit. Tempus, inquam, nunc eſt, vt ſe erigat, deiecta adhuc moerore, nobilisſima ciuitas; & ſaluere ac viuere iubeat ornamentum ſuum, quo per duos propemodum annos caruerat; ſi modo carere potuit illo, qui ſibi affectu mutuo, omni tempore, & in remotisſimis terris, coniungebatur. Sed redit iam dotium paternarum imago: redit ſidus Saxoniae: redit optimus Principum, ex mercatu

catu tot rerum ſalutarium: redit, vt glorioſisſimi Patrui, ac ſubiectorum hominum ſpei reſpondeat. Properat in amplexum patriae, in amplexum reipublicae: vtque ad hanc veniret paratior; a peregrinis etiam, actuum futurorum praeſidia petenda putauit. Iis quidem maioribus ortus eſt, qui non tam ducum ac principum, quam virtutum & laudum nomina, haberi merentur; & qui praeclarisſimas dotes, cum ſanguine, ad liberos ac nepotes transmittere conſueuerunt. Illos etiam ſuae aetatis moderatores accepit, qui in ſaula & academiis, magna laude huic Principi praefuerunt; vt eo rectius aliis deinceps praeeſſet: magnoque tam ſtudio, quam ſucceſſu, artes eidem Regias tradiderunt; vnde ſalus mox publica in cunctos diffunderetur. Quae ſufficere ad perfectionis ac dignitatis futurae faſtigium, viſa fuiſſent; ſi vnius prouinciae orbe includeretur prudentia; ac niſi tam frequens & neceſſarium cum hominibus peregrinis commercium principibus intercederet; quorum igitur aeque, ac ciuium mores cognoſcere, & ad vtilitates publicas aeſtimare oportet. Ibat igitur ante biennium iſtud, ac feliciter relinquebat ſuam Vinariam; vt eo felicius laetiusque eandem repeteret; & vt fo-

ris etiam confirmaret virtutem, quam, applaudentibus quondam omnibus, domi didicerat. Quare Galliam aeque ac Belgium, ſicut equis & curribus, ita animo ſuo & cogitatione emetiebatur: neque tam propugnacula & palatia, quam incolarum ingenia ſcrutabatur: neque magis ad imperantium arces, quam artes imperii attendebat. Velut igitur, qui ſolem aeſtiuum adſpiciunt, non poſſunt non ſolis radiis colluſtrari: ita haud potuit fieri, quin prudentiam dexteritatemque agendi exciperet animo, qui in luce ſapientiſſimorum virorum ac principum quotidie verſabatur. Horum ſic auſcultauit colloquia, penetrauit conſilia, omnes denique rationes perſpexit; vt vitae tamen inſtituendae, ac regendae reipublicae leges, non ad opiniones gentium, ſed ad rectoris gentium, Dei, voluntatem exigeret. Argumentum idcirco peregrinatoris optimi, haud amplius a Graecorum Vlyſſe, neque a Romanorum Germanico; ſed a sereniſſimo ERNESTO AVGVSTO poſthac petetur. Exemplumque hoc eius tanto plus dignitatis ac momenti habebit; quanto auſpicatior fuit ipſius peregrinatio; quantoque laetior ex peregrinatione hac reditus, magno paſſim congratulantium gaudio cele-

celebratur. Cum his omnibus pietate & cultu certabit, qui multis animi atque corporis dotibus, ac vel nupero eruditionis ſpecimine, inter noſtros inclaruit, IOANNES RVGEROEH, Ienenſis, iuſti ac aequi nobiliſſimus cultor: tanti Principis gratiam, ex eo usque tempore, in magna felicitatis parte collocans; quo is academiae noſtrae felicitatem virtute ac praeſentia ſua augebat. Huius proinde oratio, venturo mercurii die, hora ante meridiem X, in templo academico recitanda, ſicut a Vobis, Prorector magnifice, Prorector magnifice deſignate, excellentiſſimi aulae atque academiae proceres, venerandi ſacrorum antiſtites, & quicunque literis ſuum pretium ponitis, benigne accipietur: ita veſtras precationes tunc noſtris iungetis: vt hunc pariter annum, atque complures alios, feliciter agat, decus ſeculi, ERNESTVS AVGVSTVS! & vt melior aliquando Erneſto, feliciorque Auguſto exiſtat! P. P. in Acad. Ien. Domin. I poſt Ephan. A. cIɔ Iɔcc vIII.

XIX

Octaua & quadrageſima vice, quod laetum auſpicatumque ſit! illius diei

nunc renouatur memoria, atque omnium gaudiis, ciuiumque praeſertim gratulationibus colitur, quae cum optimum atque maximum Principem, Dominum GVILIELMVM ERNESTVM, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angariae, & Gueſtphaliae ducem, ac reliqua, academiae huius conſeruatorem munificentiſſimum, his terris concederet; vniuerſam non ſolum Saxoniam, ſed & Germaniam, quin Europam, qua meliorum eſt partium, ſibi deuinxit. Prodit ſe quippe in tanti herois natalibus, orbique integro agnoſcendum ſe praebet, ſummi & ſapientiſſimi Dei conſilium: quod iſto inprimis tempore, quo virtutis, & ſacroſanctae religionis ſtudium frigere incepit, talem viuere ac regnare voluerit Principem; cuius vel ſola appellatio, tanquam efficaciſſimum telum, hominibus profanis opponeretur. Certe non chriſtianus amplius, ſed paganus, exiſtimari ac dici merebitur, qui pietatem, & a Deo proditae veritatis amorem, quaſi leue aliquid, nec magnorum hominum exemplis nobilitatum, criminari audebit; quando adſpicere & admirari iam licet Ducem Saxoniae, tam religioſum & ſanctum, vt ſanctitatis, ac tuendae religionis exemplum etiam illi ab eo petere pos-

poſſint, qui diuinioris ſcientiae ſtudia profitentur. Dignus omnino, qui inter Principes ſummos emineat; dum iam in orbe terrarum quam proxime ad Deum accedit. Dignus, qui floreat inter feliciſſimos Principes; cum proſperitatem hanc ſuam, velut riuum aliquem, a pietatis fonte arceſſat. Ac niſi res ipſa hoc teſtaretur; vel ex ſanctisſimis eius actionibus, Ioannis conſtantis, & Ioannis Friderici magnanimi ſobolem, ipſum agnoſceremus: quorum ille pietatis doctrinam, publicis, ſuaque conſtantia dignis teſtimoniis; hic effuſo pro ea ſanguine, erectoque inſuper hoc purae religionis domicilio, confirmauit. In quo ſeruando, certare propemodum cum maioribus ſuis videtur ſereniſſimus GVILIELMVS ERNESTVS; dum inter maximas vitae partes, de bonarum artium flore cogitat: quibus non ornari ſolum religionem, ſed & muniri, religioſe ac vere exiſtimat. Eodemque concelebranda eſt nomine, illa bibliothecæ ſplendidiſſimae, & cum Germanicarum pauciſſimis comparandae, inſtructio; vt arma inde capiant eruditi, quibus adverſus veritatis ac diuinae ſapientiae hoſtes depugnent. Porro & hoc munificentiae genus, domi foriſque, nomen iuxta ac decus Principis conſeruabit,

quod adoleſcentum duodecim, reique literariae bono, menſam Vinariae liberalem inſtituit. Tanquam illi praecipue ſumtus ſatis recte collocarentur, quibus aluntur eiusmodi homines, quorum deinceps laboribus atque ſtudiis, religio, doctrinaeque vtiles efflореſcent. Mirum eſt, natalique hoc Principis memoratu quam maxime dignum: die ipſum eodem in vitae humanae theatrum prodiiſſe, quo inuictus religionis puriſſimae teſtis ac vindex, Martinus Lutherus, honoris academici templum, Doctoris theologi titulo decorandus, Vittembergae ingreſſus eſt. Luculentiſſimo certe indicio, propagatam ex eo tempore, diuinisque auſpiciis confirmatam Lutheri doctrinam, ab hoc etiam Principe, haud parum ſplendoris & gloriae poſthac mutuaturam. Multa reſtant de Sereniſſimi noſtri laudibus; vt plura relinquantur orationi, qua herois iſtius originem ſcite ac ſollemniter celebrabit, excitato ingenio, ac eruditione eximia praeditus, honoris philoſophici candidatus, IOANNES FRIDERICVS HEBENSTREITIVS; ipſo natali clementiſſimi Ducis, qui proximus erit mercurii dies, hora ante meridiem decima, ex promta memoria, in templo academico recitandae. Ad quod publicae pietatis officium,

um, grauiſſimis cauſis induci ſe, profitetur; quandoquidem parens ſuus, Vir maxime reuerendus excellentisſimusque, IOANNES PAVLVS HEBENSTREITIVS, Doctor theologus celeberrimus, in ſummi iam Principis terris, arduum atque honorificum conſiliarii conſiſtorialis, vt vocant, & ſynodalis, inſpectoris item, antiſtitisque grauisſimi munus, Doremburgi, in ditione Vinarienſi, ſuſtineat; cumque antea profeſſoris theologi partes, in athenaeo Ienenſi, non ſine applauſu adminiſtraret, haec eadem ſacra, ad anniuerſarium Ducis ſerenisſimi cultum, celebrauerit. Qua de re Prorectorem magnificum, proceres aulae atque academiae excellentiſſimos, venerandos ſacrorum antiſtites, omnisque ordinis eruditos ac pios, per glorioſiſſimi Nutritoris merita, obnixe rogamus, vt frequentisſima auditorum corona compareant, ac preces precibus iungant: vt auctori ſalutis academicae, GVILIELMO ERNESTO, fons ille bonorum omnium, Deus, ſalutem & vitam, atque reliqua pietatis praemia largiatur. P. P. Domin. XXII poſt Trinit. A. O. R. cIɔ Iɔcc ix.

XX

QVi omni alias tempore, laetus perquam & exoptatus, quin maioribus, hoc eſt in ſummo poſitis loco mortalibus, a conditore vrbis Romanae, Romulo, fauſtis olim auſpiciis dedicatus eſt, menſis maius; is ater nunc nobis nimium atque infauſtus, hominumque magnorum funeribus & exequiis, luctuoſus contingit. Ipſa quippe memorati iam menſis initia, iuſtis vltimis, Friderico primo, pacis bellique ſapientia, nullis electorum ac regum, qui ſunt atque impoſterum erunt, ſecundo, in hac virtutum & artium officina, non ſine ingenti omnium deſiderio ac moerore ſolutis, funeſtabantur. Et quam rapido atque atroci fulmine, paullo poſt, ducatus iſte Ienenſis percuſſus ſit, flore principum, Ioanne Guilielmo, praematura admodum morte ſublato; omnium adhuc fletus ac gemitus, aerisque campani ſonitus, ac tot alia doloris publici argumenta loquuntur. Quemadmodum vero tempeſtati tempeſtas, atque fluctui fluctus ſuccedit: ita ipſo in luctu, nouus nunc luctus exoritur; quando craſtina die, heroinae ac Ducis, poſt hominum fere memoriam conſummatis-

matiſſimae, MARIAE DOROTHEAE, ſacra ſunebria celebranda ſunt: cuius egregium, virtutumque omnium luce clariſſimum ſidus, cum ineffabili atque acerbiſſimo, nutritoris noſtri glorioſiſſimi, ERNESTI LVDOVICI dolore, haud ita pridem extinctum eſt. O infelices, atque triſtiſſimos caſus! o inauſpicata atque horrenda, punientis nos, atque irati Numinis argumenta! In his enim, bonorum atque religioſorum Principum mortes, ſuo merito numerari; & ſeculorum omnium conſenſus teſtatur, & Iſraelitarum praecipue populus agnoſcebat: qui demortuos illos coronarum nomine inſigniuit, quae, ob ſua in Deum delicta & facinora, ſuis capitibus decidiſſent. Nihil itaque auſpicatum aut bonum, sereniſſimae MARIAE DOROTHEAE, omnem non tantum Saxoniam, ſed & Germaniam, quoad viueret, aſſiduis Deo precibus commendantis, & ſanctiſſimae ac emendatiſſimae vitae exemplo, peregrinis iuxta ac ciuibus praelucentis, tam praematurus, tamque inopinatus & triſtis obitus nobis portendit. Ac veteris quidem Romae incolas, poſt Druſi Germanici, praeſtantiſſimi, cunctiſque dilecti principis, ex hac vita diſceſſum, miris

modis inſaniuiſſe, Deorumque, ob interceptum Germanicum, cunctis & ſingulis exoſorum, templa atque altaria lapidaſſe, hiſtoriarum monumentis teſtatum eſt. Nos autem non Deo iuſtisſimo, ſed nobis noſtriſque criminibus indignamur: quibus infenſum Dei ſanctiſſimi Numen, ſicut reliquos Principes, ita optimam atque perfectiſſimam Principum, diuam MARIAM DOROTHEAM, rebus humanis exemit. Neque tamen nos pauciora, communis noſtrae ſolicitudinis ac moeſtitiae ſigna, quam antea nominati Quirites, in ſollemnibus eius exequiis, poſt meridiem craſtinam, ex collegii academici aede, in templum Paulinum, iuſto ordine deducendis, meritiſſimorumque collegarum noſtrorum, IOANNIS FRANCISCI BVDDEI, & IOANNIS CASPARIS POSNERI, concione atque oratione funebri conſecrandis, vndiquaque edemus. Vos, cariſſimi, corona frequenti, habituque ac geſtu ad luctum publicum comparato, adeſte, caſuſque ſereniſſimorum Principum infelices & moeſtos, pari nobiscum religione ac ſtudio, deprecamini. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. Rogate, A. R. S. cIɔ Iɔcc xlII.

XXI Si

XXI

SI illuſtris auſpicatique ſideris ortum, non Perſarum quidem in modum, veneratione diuina proſequimur; ſed animis tamen admiratione ac voluptate maxima plenis, merito ſuo excipimus; quidni glorioſiſſimi, & prorſus diuini Principis, cunctasque Mauritiorum, in tanto adhuc honoris faſtigio poſitorum, virtutes ac laudes propemodum ſupergreſſi, Domini MAVRITII GVILIELMI natalem, quo & martius menſis, & hebdomas inſtans nobilitatur, pari religione ac laetitia celebrandum, colendumque omnino, exiſtimemus? Sapientiae olim inuſitatae, excelſisque heroibus dignae, ſublimitatem & copiam commemoraturi, ſolum fere Mauritium a familiae Caſſellanae auctore, cui Guilielmi eſt nomen, progenitum; & tam latini ac graeci, quam hiſpanici, gallicique ſermonis peritia, cum regionum iſtarum habitatoribus promte certantem; ceterarumque non minus diſciplinarum & artium cultu exſplendeſcentem, ex ſeculo ſexto ac decimo nominabant, nec ſine peregrinorum ciuiumque ſuffragio, praedicabant. Noſtra vero aetate, ſcientiae incredibilis, ac eruditionis ſtupendae ſpeci-

ſpecimina, inter proprias Duci ſereniſſimo curas eminentia, & ad regendam rempublicam magnopere profutura, allegaturus; nulla profecto eſt cauſa, cur Haſſorum Mauritium noſtro MAVRITIO GVILIELMO amplius anteponat. Qui tot gentium familiarumque origines, actionesque & fata, animo toto admittere; & quo omnium ſapientum ingenia atque ſtudia omni aeuo vix penetrauerunt, id capaciſſima indole, ac prope coeleſti, cognoſcere, &, ſi res ferat, expromere; non tam laboris cuiusdam, aut negotii, quam recreationis inſtar habere, ſalutari non minus, quam ad omnem poſteritatem memorabili, exemplo conſueuit. Tot proinde tantisque diſciplinarum praeſidiis, atque, ad obeundum ducatus florentiſſimi regimen, inſtrumentis munitus, mirum equidem non eſt, ſi maiora prudentiae ac dexteritatis ſubſidia, quam Principum aliorum complures, poſſideat; &, quid conſulto, quid facto ſit opus; quid totius Saxoniae ac Germaniae referat; ſuo mature animo reputet, locoque ac tempore opportuno efficiat. Qua quidem in parte, Dux Cizenſium laudatiſſimus cum illo Byzantinorum Mauritio, aeui ſexti imperatore, ſingulare tunc prouidentiae, inque

que imperii habenis tractandis, ſolertiae laudem promerito, comparabitur; bonitatis vero ac liberalitatis in ciues, & erga literatos praeſertim, beneficentiae gloria, huic eidem Mauritio quam longisſime praeferetur. Maximum vero, neque a Stoae veteris ſolum alumnis, ſed in Numinis quoque diuini oraculis celebratum, doctrinae & ſapientiae fructum hunc capit: quod nullis vitae periculis terreatur; nullaque temporum aut fortunae iniuria vnquam frangatur: & inuictam adeo Mauritii Naſſouienſis virtutem, exaggerationemque animi, ad imitandum ſibi proponat. Quoties porro herois noſtri incomparabilis pietatem, ac tuendae adhuc & amplificandae religionis ſtudium, contemplamur; toties electoris olim ſanctisſimi & magnanimi, diui Mauritii; cui & pactionis illius Paſſauienſis conſilia, & Lutheranorum tranquillitas ac libertas debentur; huius, inquam, virtutem, Saxoniae noſtrae in hoc Principe reſtitutam, ac diuinitus conſeruatam, laeti, beneficiorumque memores, gloriamur. Quas atque complures alias, quae Principis immortalis imperium ornant ac muniunt, virtutes & laudes, inter tot electorum & principum, familiam Albertinam illu-

Digitized by Google

luſtrantium, erga literas atque religionem merita praedicabit, & erudita, ac lectionis variae plena oratione, poſteris tradet, Vir ampliſſimus, doctrinaque & fama, inter Magiſtros ordini noſtro adſcriptos, praecellens, M. IO. CHRITOPHORVS VVENDLERVS, Neoſtadii apud Oſterlandos prognatus. Quem ut craſtina die, in academico templo dicturum, Prorector magnificus, Proceres aulae & academiae noſtrae excellentiſſimi, venerandi ſacrorum antiſtites, & quicunque apud nos diſciplinas ingenuas colunt & amant, propenſe ac promte audiant; per MAVRITII GVILIELMI praeſtantiam atque gloriam, & erga eruditorum quoscunque clementiam incredibilem, cunctos rogamus, oblatisque viciſſim obſeruantiae ac humanitatis officiis, obteſtamur. P. P. d. XXII Martii, A. O. R. CIↃ IↃCC XIV.

XXII

CIrcumactus proxime annus, multis, iisque egregiis bonis, Hannoueranorum inprimis, & Luneburgenſium ac Cellenſium terras, eo tempore cumulauit,

uit, quo per Electoris ſui ac Regis, GEORGII LVDOVICI felicitatem, & dignitatis Regiae culmen, tam res ipſarum vehementer amplificata, quam gentis totius gloria mirifice illuſtrata eſt. Cuius magnitudinem beneficii atque gaudii ſicut regiones hae ſolae neutiquam capiebant; ſed in ſocietatem iſtius, vicinos aeque ac exteros pertrahebant: ſic Brunſuicenſium ac Guelforum praeſertim prouincias ad partes has inuitabant, & cognationis proximae, gratulationisque communis vinculo coniungebant. Quae licet tam auſpicato & ſancto officio ita perfunctae ſint, vt hoc ipſo plerasque alias terras anteuerterint; neque tamen vel huius, vel aliorum munerum fructus, aut ſperare deinceps, aut conſequi poſſe videbantur; niſi ventura proxime, iduum martiarum octaua, tot fortunae propitiae donis, magnum atque inſignem cumulum, & adſtruxiſſet iam olim, & hoc iterum anno adſtrueret. Enimuero ad omnem aetatem haec memorabilis ac laetiſſima dies, annis abhinc quinquaginta & tribus, optimum iuxta & maximum Principem, AVGVSTVM GVILIELMVM, illum, inquam, AVGVSTVM GVILIELMVM, florentiſſimo ducatui ſuo con-

conceſſit, quem ſalutis atque ſecuritatis patriae pignus, quin Saxoniae, ac totius Germaniae decus atque praeſidium, peregrini non minus, quam ciues agnoſcunt. Et ſingulari omnino Numinis ſempiterni conſilio ac decreto contigit, vt herois & Principis huius natalis in menſem inprimis martium, quo fauſtisſimi temporis, coelique primum vernantis auſpicia celebrantur, incideret; eademque anni hac parte, quae ceterarum princeps habetur, in omne poſtea aeuum rediret. Quemadmodum enim ad veris pulcherrimi ortum, tempeſtatum mox hiemalium impetus & furor ſedatur; ſpurcisque ac iniucundis menſibus dies amoeni & placidi paullatim ſuccedunt: ſic eodem propemodum tempore, quo ſerenisſimus frater, Leopoldus Auguſtus, illuſtrem ac tenerrimam animam coelo reddiderat, ex voto tunc omnium illuceſcens, alterius huius Principis aſtrum, foedas luctuum & curarum tenebras disſipabat, vigoremque attonitis ac lumen reddebat. Similiter anni ſuperioris martio, propter ſerenisſimi ac ſummi parentis, ANTONII VLRICI exceſſum, nullus ciuium tam acerbo & graui moerore deiiciebatur; qui non in glorioſisſimi filii, GVILIEMI AV-
GVSTI

GVSTI ſucceſſione, ſe erigeret, nouumque hunc patriae Patrem, velut pretioſiſſimum Brunſuicenſis ac Guelferbytani ducatus palladium, coleret: a cuius praeſentia ac ſalute, regionis totius conſeruatio& ſalus penderet. Nam & recepta iam olim, neque adeo vana aut impia, eſt hominum ſubiectorum opinio: a principis proſperitate & vita, ſuam pariter vitam ac proſperitatem deſcendere;& nulla non bona, ac regis aeterni beneficia, in caput hoc vnum conſtringi: ſi quis imperantis ſalutem, in qua viuere ſoleat ac vigere respublica, a Deo precetur. Quamobrem Auguſto caeſari, ſinum Puteolanum praeteruehenti, nautarum vocibus ac praeconiis: quibus per illum ſe viuere; & per ipſum pariter nauigare; & libertate atque fortunis per eundem ſe frui, canebant: certatim acclamabatur. Imo barbara illa ac rudis Mexicanorum natio eo vsque progreditur, vt futurum imperii ſui praeſidem, ſollemnis & ſancti iurisiurandi religione, ad haec capita & promiſſa adſtringat: diligenter ſe ac perpetuo effecturum, vt ſolis ac lunae radiis, pluuiarumque & fluminum, ac riuorum humoribus, omnia recreentur; vtque ſuccis ac frugibus, vineae & agri abundent. Quam longe nos autem ab inſcitia ac ſuperſtitione iſtorum, con-

Digitized by Google

ditoris aeterni beneficia ab hominibus creatis poſcentium, abhorremus; tam certo nobis ac firmiter perſuademus: quicquid proſperam nobis hanc vitam & amabilem reddit; id, ſi a Deo, bonitatis & gratiae ſuae munera per prouinciarum hic dominos diſpenſante, abierimus, ab ipſorum principum prouidentia, dotibusqe ac meritis, expectandum venire. Recte igitur Brunſuicenſes ac Guelfi, in AVSTO hoc GVILIELMO, qui dignum virtutibus ſuis regimen anno nuperrimo auſpicatus eſt, auguſtum aliquid ac diuinum agnoſcunt: cuius vis atque praeſtantia, vniuerſis imperii partibus, vitam pariter ac ſalutem ſit largitura. Neque ipſis eſt dubium, quin bonorum omnium, a glorioſisſimo ac diuino hoc Duce, vel praeſtitorum iam antea, vel tempore futuro exhibendorum, copia atque vbertas, a luce eius natali, quae craſtina Veneris eſt futura, velut a beatiſſimo fonte, deriuanda ſit. Propterea huius inprimis diei memoriam, ſicut reliqui, doctrinis & moribus politisſimi ciues, luminum accenſorum ſplendore, ita iuuenum Brunſuicenſium flos atque delicium, IO. IVSTVS VOIGTS, Riddagshuſanus, oratione Teutonica, quam ante meridiem craſtinam, hora decima,

in

in academico templo, inque Veſtra, Prorector magnifice, Proceres aulae atque academiae excellentisſimi, hoſpitesque ac literarum cultores plurimum honorandi, corona, recitaturus eſt, pie atque ſollemniter conſecrabit. Neque eſt, quod de alacritate cuiusquam & ſtudio, quo in magni adeo Principis; qui ſerenisſimum IOANNEM GVILIELMVM, noſtrae patriae patrem, cognationis atque affinitatis foedere tam prope attingit; proſperitatem ac florem, a conditore ac rege principum, Deo, petendum, per ſe quisque incumbit, ſiue dubii, ſiue anxii eſſe velimus, P. P. in Acad. Ien. d. VII Martii, A. O. R. cIↄ Iↄcc xv.

XXIII

AVſpicatum illud & ſanctum matrimonii foedus, inter maximae in Romano imperio dignitatis, nec minoris virtutis & gloriae Principes, ERNESTVM nempe AVGVSTVM, ac VVILHELMINAM ELEONORAM, nuper admodum, coeleſtis prouidentiae ope ſancitum; quo & aulae illuſtris Proceres, & cuiuscunque aetatis ac ordinis ciues, pie ſe affici ac laetari, demonſtrant; no-

ſtram pariter vrbem & academiam; cuius vt ornamentum antea sereniſſimus ſponſus, ſic praeſidium hodie ac fulcrum exiſtit; ad parem religionis atque gaudii ſenſum inuitat. Quodſi enim in priuatorum etiam, & ſortis cuiusuis hominum pactionibus, quibus legitimi honeſtique connubii fidem mutuo ſibi addicunt, commouemur animo, ac de diuini adeo, iucundique & vtilis inſtituti, per tot ſecula, conſeruatione, iure ac merito exultamus; quali, quaeſo, iam gratulatione & gaudio, laudatorum antea Principum, Dei ipſius imaginem ac perſonam gerentium, nuptias, a quibus totius Saxoniae & Germaniae dignitas & ſolatium, ac ſalus dependet, proſequi hodie,& concelebrare decebit? Nam qui a cordatiſſimorum tot hominum, & a moderatoris praeſertim ſapientiſſimi ore pependit; qui per academiarum iam olim, peregrinationumque illuſtrium ſtadia, ad verae ac ſolidae, tantoque faſtigio dignae prudentiae metam decurrit; qui in ipſa denique maieſtatis & gloriae luce & aula, quae conſiliorum ingentium, & priuatim ac publice ſalutarium, officina habetur, adhuc verſatus eſt, ſagaciſſimus Principum, ERNESTVS AVGVSTVS; is ignorare profecto haud potuit,

potuit, ſua non minus, quam ciuium intereſſe, vt felicis connubii, heredumque, a bonis omnibus optatorum, beneficio, tam reſpublica, quam ducalis familia, firmarentur. Teſtatur adhuc Hiſpania, totque aliae regiones loquuntur, deſtitutos liberis indubitatisque ſucceſſoribus, monarchas ac duces, ſic regnare & viuere; vt, ſi non vita ipſorum, certe reſpublica, poſt mortem eorum periclitetur, & ad fortunae variae ictus ſaepius exponatur. Qua de re ad maiora patriae ac aetatis futurae commoda, quam a quibusdam credatur, pertinet, vt peruetuſta ac ſplendida Ducum Vinarienſium domus; in cuius incremento ac flore, ſingularis adhuc Dei aeterni bonitas & cura eluxit, hoc munimento ac fulcro ſtabilitatur; lumenque adeo eius, quo ſubiecti non magis, quam exteri recreentur, ad nepotes & poſteros transmittatur. Meruit ſane, regum vel ducum fortisſimus, Vittekindus; & qui originem ab eo traxerunt, caeſares, regesque ac electores, & principes; & qui ad horum omnium famam & ornamenta maiorem nuper illuſtrioremque claritudinem laude ſua adiecit, diuus ille IOANNES ERNESTVS; digni ſimiliter extiterunt, vt ipſorum non modo ap-

pellatio & memoria, ſed virtutum etiam ſimulacra & effigies, in progenie, ſuorum factorum aemula, vsque ad orbis ipſius terminos, neque ſerie interrupta, propagarentur. Quod non optamus tantum; ſed & dubio procul futurum, ominibus certis ac laetis praecipimus; poſtquam IOANNIS ERNESTI filius, ERNESTVS AVGVSTVS, tantam hucusque gloriam conſecutus, quantam plurimi atque praeſtantiſſimi principes, poſt longorum annorum imperia, aegre admodum contigerunt, ſereniſſimam, ſuique ſimillimam heroinam, VVILHELMINAM ELEONORAM, tori ſociam, & futuram deinceps Saxoniae matrem, ſacris nuper iugalibus ſibi adiunxit. Romanorum antiquiſſimos ferunt, quoties aliquem, ad ingentis, & plusquam humanae felicitatis faſtigium euehi, vehementer optarent; toties eum feliciorem Auguſto, rebus quippe ex voto ſemper fluentibus vſo, exiſtere, publica voce, ac ſollemniter precatos fuiſſe. Nos ab ERNESTI AVGVSTI matrimonio, Auguſti Imperatoris coniugium, eo nomine ſuperari ac vinci, cupimus, & a Deo, connubiorum auctore, expetimus; vt maiori iſtud foecunditate ac laetitia ſe commendet; & quemadmodum optatiſſimae

tiſſimae prolis, ſic ducalis Saxoniae ſeminarium, omni tempore celebretur. Haec enim votorum formula erit, quae, inſtanti hebdomade, ſereniſſimorum Sponſorum aduentui, in vrbe & aula Vinariae, ſacra, tam a ciuitatis iſtius incolis, quam ventura proxime Iouis die, in noſtro ſimiliter athenaeo, atque academico templo, ab adfinis mei colendi, meritisque & fama inter Theologos florentiſſimi, IOANNIS FRANCICI BVDDEI, ex ſorore mea deſideratiſſima, filio, ad quaeuis egregia nato, & iuſti ac aequi ſtudiis feliciter operante, CAROLO FRANCISCO BVDDEO, in panegyrico erudito, ac memoriter recitando, concipietur. Huius igitur auſcultandi ſtudio, vt Prorector magnificus, Proceres aulae & academiae excellentisſimi, ſacrorumque antiſtites honorandi, hoſpitesque ac ciues lectisſimi, hora IX ante diei iam dicti meridiem, in BVDDEI laudatisſimi aedes coeant, atque ex his, in ſacram collegii aedem, ordine decoro procedant; ſuasque ſimiliter preces cum oratoris optimi votis religioſe coniungant; per illam, qua Sponſos ſerenisſimos cuncti proſequimur, pietatem venerationemque, obteſtor. P. P. Domin. Eſto mihi, A. O. R. cIↃ IↃCC XVI.

XXIV

MEnſis huius Auguſti auſpicia, non eo duntaxat nomine, exoptata Saxoniae noſtrae, ac laeta contingunt; quod liberati reſtitutique ex vinculis, Ioannis Friderici magnanimi, electoris ac principis immortalis, memoriam renouent; inuictique illius & magni Bernhardi natalibus ſe commendent; ſed die Saturni proxima, quae Principum optimorum exemplum ac delicias, FRIDERICVM, annis abhinc quadraginta & vno, his terris donauit, ad noua nos gratulationis pietatisque officia excitabunt. Quot enim, non dicam annorum, ſed dierum atque horarum ſpatia hic heros abſoluit; tot familiae, a Vittekindo Saxone, regum vel ducum maximo, procreatae, nomina addit; tot prouinciis ſuis, & vniuerſo Germaniae orbi, vtilitates ac praeſidia praeſtat; tot diſciplinis & artibus, earumque hoſpitiis, ac noſtrae praeſertim academiae, a maioribus ſuis fundatae, ceu nutritor illius & pater benigniſſimus, ornamenta circumdat. Ita igitur omnes habemus & credimus: a Dei ipſius numine impertitum nobis hunc Ducem; atque antea longe, quam a parente glorioſiſſimo in

lucem

lucem ſuſciperetur, mente prouidentiaque diuina, plurimorum ſaluti ac ſolatio deſtinatum fuiſſe; vt eius deinde ſuccesſio ac imperium, non humanum, ſed Dei aeterni & propitii inſtitutum exiſteret. Ab hoc enim bonorum omnium auctore & fonte, cum, Salomonis ſapientisſimi inſtar, imperandi pariter & agendi ſolertiam FRIDERICVS, deſideriis & votis ſanctisſimis, precatus fuisſet; mox conſilium ipſe ac propoſitum, Salomone Saxonico dignum, eiusmodi dicto, ſiue, vt vulgo vocatur, ſymbolo declarauit, quo AMORIS & PRVDENTIAE ope ſe regnaturum, non hominibus magis, quam Deo promiſit. Atque merito diuinus hic heros, primum ſui regiminis ornamentum ac praeſidium ab ea mutuandum virtute, exiſtimauit, qua ad excelſi Numinis bonitatem & clementiam ipſe propius paullo accederet; dum ad illius exemplum, moderaretur omnia; ac illorum etiam, qui ſaepenumero ipſi ſe cruciarent ac perderent, ſalutem ſeruaret. Vana apud Thucydidem, ac inconſiderata Cleonis ſententia erat: tria haec magis obeſſe rebus publicis, quam prodeſſe: ſi commiſerationi ac lenitati, & ſermonibus blandis deditus eſſet, qui imperaret. Contra, principis noſtri ac

nutritoris propitii documento adhuc didicimus: ad obtinendum efficiendumque, quod velis, plus longe clementiam & amorem, quam crudelitatem ac metum valere. Cum enim auſterioris ſaeuiorisque ingenii principes ſubiectorum odio ac periculo exponantur; haec FRIDERICI arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum exiſtit: quod caritas eum, & cultus, ac beneuolentia ciuium, ſiue domi agitet, ſiue peregre abſit, perpetuo tueatur. Nam vt Veſpaſianum olim Romani, ſic FRIDERICVM hodie ſuum Gothani, delicium & amorem humani generis vocant; & Friderico placido mitiorem, magisque affabilem ipſum ac beneficum eſſe, vno ore fatentur. Huic autem benignitati & gratiae FRIDERICVS iſtud dexteritatis & prudentiae temperamentum indicit, in quo ſolam & propriam imperantis praeſtantiam, viri aliqui, rerumpublicarum periti ac docti, collocauerunt. Cuius equidem rei principium ac originem, ab aeterni Numinis amore & cultu, cum regum ac principum prudentiſſimo, Salomone, arceſſit; laudatamque ab omnibus, & ab auo, Erneſto pio acceptam, conſuetudinem tenet: vt ante exercitationibus ſacris, & precibus, quam curis ac negotiis ceteris occupetur. Quot praeterea, vel Dei verendi domicilia

cilia, vel miſeriae & paupertatis aſyla, vel diſciplinae honeſtae ac ſeriae officinas condidit; tot pietatis Saxonicae, ſibi propriae, monumenta, in animis hominum duratura, erexit. Neque vero res ſacras, ac Dei gloriae ſeruituras, oſtentat tantum, aut in ſpeciem curat; ſed agendo inſuper docet, quae pietatis fucatae homines, ſimulationisque magiſtri, docendo agere intermittunt. In his omnibus autem, auitae ac verae religionis ſtudio ita tenetur; vt nec interpolare eandem & corrumpere; nec deſerere ipſam, aut eradicare, fas ac pium exiſtimet. Vnde praemii loco, haec ipſi ſors ac felicitas a Numine immortali tribuitur: vt pietatis & ſapientiae ſuae conſiliis, non ſuas ſolum prouincias, ſed totum imperium iuuet ac ornet; & inter armorum ſtrepitus, tutum atque pacatum virtutis domicilium ſibi collocet; perfectique & boni Principis partes, tanta cum omnium admiratione ac laude, ſuſtineat; vt ab ipſo caeſare, atque procerum Germanorum ſenatu, haud ſecus ac Fridericus aliquis ſapiens, in exemplum aliis proponatur. Primum vero tot beneficiorum ipſius ac dotium fontem, a luce ea Saturni, quae illi natalis obtigit, iure quodam repetimus; ſollemnique pane-

panegyri, & acclamationibus feſtis propterea conſecramus. Quod celebrandae diei, qua non alia terris Saxonicis ſalutarior laetiorque illuxit, officium ante ceteros in ſe ſuſcepit, tam natalium, quam virtutum ſplendore, in hoc athenaeo conſpicuus, FRIDERICVS GVILIELMVS, S. R. I. Liber Baro DE HERTZBERG; glorioſisſimoque ac optimo Principi, qui ipſum ex fonte antehac ſacro leuauit, pium gratumque animum, ad memoratam ſaepis diem, vbi decima ante meridiem hora ſonuerit, in templo Paulino teſtabitur. Cum hoc igitur oratore illuſtri, vt Prorector magnificus, proceres aulae & academiae excellentisſimi, ſacrorumque antiſtites venerandi, & quicunque hic literas ſciunt & ornant, pietatis obſequiique communis necesſitudine, coniungi ſe patiantur, per nutritoris ac Principis noſtri merita atque decora cunctos rogamus. P. P. in Acad. Ien. Domin. VIII poſt Trin. A. O. R. CIↃ IↃCCXVI.

XXV

MEmorabili, & prorſus inſigni victoria, ad Danubii in Hungaria flumen, a fuſis ac domitis barbarorum copiis, repor-

reportata, hoc ineunte octobri, in conuentibus publicis atque aedibus ſanctis ouare, & pro felicitatis iſtius ac gaudii perpetuitate, vota ad Deum ſollemnia nuncupare, noſtrarum omnino partium iudicauimus. Verum omnibus ferme triumphis ſi non potior, aeque tamen iucunda ac proſpera, illius diei celebratio nobis habetur: quae vt menſis eiusdem ſeptima atque decima erit: ſic Patris patriae ſerenisſimi, atque omnium caritates complexi, recto moderatoque imperio, annum aetatis quinquageſimum, non ſine communi ac feſta ciuium acclamatione, adiunget. Quomodo enim vel iuſtiorem animis voluptatem capere, vel opportuniorem precandi gratulandique materiam reperire queamus; quam cum eiusmodi nutritorem ac Principem; in quo, quid poſſet natura, pietatis aliquod & clementiae, excelſique animi exemplum datura, maiori, quam in heroibus multis, ſucceſſu, experta eſt; ipſis eius natalibus, a quibus dierum ac temporum reliquorum gloria pendet, adhuc integrum ac florentem colimus, & officiis, quam religioſis, tam gratis, proſequimur. Nondum certe amiſſum, ſed redditum, in IOANNE hoc GVILIELMO, Ioannem conſtantem, animaduertimus

mus,nobisque &aliis perſuademus; quoties eius, in tuenda atque ſeruanda religionis ſincerae formula, quam immortalis hic & diuinus elector Carolo quinto imperatori, cum totius Europae procerum admiratione, exhibuit, ſtudium atque ardorem incredibilem noſtris animis reputamus. Quo propoſito, vt doctrinae & fidei incorruptae theologos, magis, quam alii ſolent, familiariter, admittit & fouet, laudibusque ac praemiis ad maiora incendit: ſic fanaticorum deliramenta ac fraudes, quibus non plus, cum veritate iuxta & pietate, commercii, quam vel obſcurisſimae nocti cum luce, vel genio maligno cum Chriſto, intercedere arbitratur, vehementisſime odit, atque pectore toto abhorret. Qui in templis non minus, quam palatii ſui ſacrario, iam oracula diuina excipientem, nunc in genua procumbentem, vultumque & manus ad ſidera attollentem, adſpiciunt; hi aut Moſen, aut Ioſuam quendam diuinum, ſermones frequentes & ſanctisſimos cum Deo miſcentem, numenque eius coeleſte in conſilium ſaepius adhibentem, ſibi cernere & admirari videntur. Iam piisſimi, Deoque deuoti animi monumentum, quod meditamentorum principalium titulo inſigniuit, vi-
uis-

uiſque ac poſteris tradidit: vbi ſuam pariter & ſuorum ſalutem, illi principum principi acceptam ſe ferre; neque in ſua auctoritate & potentia, quod a Nabuchodonoſore & Alladio olim fiebat, ſe fiduciam aut praeſidium collocare, paſſim teſtatur ac loquitur; non breui a nobis ſermone celebrabitur; ſed ab annalium conditoribus, decenti ac perpetua laude feretur. Neque vero religionis & ſacerdotii ſeminarium; neque vrbis Iſennacenſis gymnaſium, vnde tot praeſtantiſſima, atque publice profutura ingenia, velut ex equo Troiano, quotidie prodeunt; a Principe prudentiſſimo inſtituta & aucta; nec iuſtiſſimas atque ſaluberrimas leges, a Solone hoc Saxonum latas, ac prouinciarum ſuarum commodo promulgatas, vlla poſtmodum aetas ſilebit. Quae nos omnia, vt inter pietatis ducalis teſtimonia atque decora numeramus: ſic eiusmodi eſſe cenſemus, vt a principe quodam incomparabili inchoata pariter & perfecta eſſe intelligantur: qui tum benignitate in ciues, qua ab ipſorum oneribus ac ſuppliciis longe abhorret; tum animi conſtantis ac firmi magnitudine, qua res quoque aduerſas, morbosque & fata ſuorum vltima, velut clypeo quodam excipit, &

pra-

prauorum ac hoſtium tela repellit; tum ceterarum vtrtutum ac dotium, quae breuitatis iam cauſa praetermittuntur, ſpeciminibus, quam proxime ad Deum accedat. Quanto igitur magis ac rectius, glorioſisſimus & diuinus hic heros, noſtros omnium oculos ad ſe auertit; tanto libentiores pariter aures Prorector magnificus, Proceres aulae & academiae excellentisſimi, myſteriorum antiſtites venerandi, hoſpitesque ac ciues praeſtantisſimi, in ſummi Principis laudem compoſitae, atque ad diem Saturni proximum, eius quippe natalem, horis ſolitis, in academico templo habendae orationi Iuuenis politisſimi, & in ſcientiam iurium feliciter incumbentis, IOANNIS GVILIELMI FABARII, in comitatu Saynenſi, a parentibus perquam nobilibus educati, pro ſuo in ſerenisſimum IOANNEM GVILIELMVM amore & cultu, praebebunt. P. P. Domin. XIIX poſt Trinit. A. O. R. CIↃ IↃCC XVI.

XXVI

DEflenda eſt nobis heroina optima, AEMILIA IVLIANA, comes Schvvartzburgica; ſi modo defleri ſuis ex meritis

meritis poteſt, in qua enituerunt ſumma omnia, & cuius tam aetas grandior, quam virtutes & gloria, inter ſeculi ornamenta habentur. Talem tantamque oportuit eſſe, cuius ſanguinem, ex peruetuſta Comitum Barbienſium origine hauſtum, vel à coelo potius deriuatum, aeterni Numinis prouidentia excitauit & fouit, ac benigne adeo finxit; vt naſceretur, ante ſeptuaginta hos annos, mater patriae: quae rempublicam multis laudibus illuſtraret; illisq; praeſertim regionibus, quae commodum & tranquillum in bello hoſpitium, diuis parentibus, Alberto Friderico atque Sophiae Vrſulae Oldenburgicae, olim praebuerant, dignam veluti vicem exſolueret. Maiores ipſius, quibus noſtra ſe ſimilem praeſtitit, illuſtriſſimi eſſe, quam dici, ſuis ſeculis maluerunt. Eque omnibus iſtis Guolfgangus I, illius felicitatem temporis auxit, quo, Dei pariter ac Lutheri auſpicio, purioris doctrinae radii per orbem diffuſi ſunt, ac, ne hominum ruſticorum tumultu, ſpes laetiorum temporum turbaretur, ſuperiorum vndique iras placauit: & quinque Saxonum electores, quanta potuit, fide adiuuit: omnique conatu, ad firmandam propagandamque religionem, incubuit. Praetereo in praeſenti Guntherum

rum

rum III, atque Burcardum IV; quorum prior Friderici III, alter Maximiliani I conſiliis fuit adhibitus; vterque vero diuinam animi vim, rectumque & conſtans iudicium, inter aduerſa etiam comprobauit. Nec Guntherum illum ſecundum commemoro, Hildesheimenſium olim ac Luneburgenſium terras, fortitudinis gloria, atque cumulatisſimis factis, ſub Torquato magno, implentem. Neque ad duos illos Albertos excurro: quorum poſterior, arcis Muhlingenſis palatium, in bello Magdeburgenſi dirutum, magnis ſumtibus excitauit; ſicut primi opera in comitiis celebrata eſt, inque legationis partibus, pro imperatore Henrico adminiſtratis, exſplenduit. Enimuero non omnem aſſequor domus illius magnitudinem, vnde repetenda eſt virtus, quae beatam ad tot conatus egregios inflammauit, inque ea ſe ſemper aperuit; vt pie & praeclare agendo, nunquam defatigaretur. Quemadmodum autem nihil tam in ſublimi eſt poſitum, quod non ruat tandem in ſe, & communi fatorum legi ſubiiciatur: ita antiquiſſima ſtirps, & inde ab anno CIↃ CXLIX, qui Burcardi ſe nomine effert, in annalibus celebrata, inque diuerſos aliquoties ramos diuiſa,

diuiſa, anno cIↄ Iↄc LIx, in Auguſto Ludouico, AEMILIAE IVLIANAE fratre, exaruit. Sed ne exaruiſſe quidem eſt viſa, cuius vigor in beatiſſima comite, quaecunque maiorum decora exprimente, bonus adhuc atque incorruptus apparuit, perque annos hos ſeptuaginta ſeruatus eſt. Teſtem hic totam citabo rempublicam: intra quam noſtra, coeleſti ſpiritu aucta, atque illuſtrisſimo coniugi, ALBERTO ANTONIO, ſancti matrimonii foedere copulata, veterum Sabinorum fidem ſecuta eſt: qui recepti in vrbem, innocentia, atque amore patriae, cum ipſis certauerunt Romanis: nec adiutores eisdem ſolum; ſed duces etiam, & magnorum operum auctores fuerunt. Viuet itaque AEMILIA IVLIANA! viuet in animis memoriaque ſuorum! viuet in poſitis apud egenos beneficiis! viuet denique in ſcholis ac templis: in quibus imaginem haud fucatae religionis, & egregiae voluntatis, reliquit. Tertia quippe nonarum decembrium, ſicut mortalitatem ſemel exuit: ita famam & gloriam perpetuo retinebit. Et noſtra etiam academia, ad diem mercurii proximum, magnae adeo Heroinae laudibus perſonabit: quas LVDOVICVS FRIDERICVS SOMMERVS,

Digitized by Google

Rudolſtadienſis, Iuuenis ad decus laudemque amplisſimam excitatus, in templo Paulino, ex promta memoria celebrabit. Date, precor, ingentibus noſtrae meritis, Prorector magnifice, Prorector magnifice deſignate, illuſtrisſimi Comites, proceres aulae atque academiae excellentisſimi, venerandi myſteriorum coeleſtium adminiſtratores, literatique ac boni apud nos vniuerſi; & ornatisſimum ciuem, cuius ingenium, eruditio, & compoſiti mores, non Ienenſi tantum, ſed Lipſienſi inſuper & Halenſi lyceo, per iſtud quinquennium approbata ſunt, Veſtra praeſentia atque attentione, qua vtrosque nos Vobis deuincietis, ne indignum putate. P.P. in Acad. Ien. Domin. II poſt Epiphan. A. O. R. cIɔ Iɔcc. vII.

XXVII

TAndem rebus mortalium valedixit, quas nouem & ſexaginta amplius annis, raro admodum in aulis Germanorum exemplo, ornauerat, diuus ALBERTVS ANTONIVS, inter quatuor Imperii Comites, aetate ac gloria ſummus, Schvvartzburgi item & Hohnſteinii comes;

mes; neque minus Arnſtadii, Sondershuſae, Leutenbergae, Lohrae & Clettenbergae dynaſta, nunquam ſine honore ac praeconio memorandus. Is virtutum ſuarum ſpatiis, ſub anni ſuperioris exitum, ſine vitio & labe confectis, illuſtriſſimam coniugem, diuam pariter AEMILIAM IVLIANAM, paruo admodum finitae mortalitatis, & vix quinquennii interuallo, ſecutus eſt. Ne cum ea non triumpharet in coelo, quacum in terris beneuolentia & fide certaſſet, parique contentione animi, de Rudolſtadii ſui ciuibus meruiſſet. His autem, vt grata Comitis ſui recordatio, ſic luctuoſa atque acerba relinquitur: verum patriae patrem in ipſo deſiderantibus; qui acceptam a ſuo olim parente rempublicam; qui puriorem in ea Numinis cultum; qui iuſtitiam arteſque honeſtas; qui vniuerſos ac ſingulos ciues, multis ſibi iam beneficiis obligauerat; atque pluribus longe, ſi ſupereſſet adhuc, obligaturus fuiſſet. Nec intra vnius Rudolſtadii limites continetur hic moeror; quin vicinas etiam aulas ac vrbes perrumpit; quin omnes fere Germanorum prouincias peruagatur: quarum plurimas, & ipſe beatus, & glorioſiſſimi eius maiores, virtutum ſuarum veſtigiis ſignauerunt. Nondum ſane eſt

intermortua Siegfridi illius Schvvartzburgici, ducis exercituum ſummi, memoria; primo Saxonum Imperatori, Henrico aucupi, Hunnorum inuaſionibus & rapinis vexato, Germanorum praeſulum vires & auxilia adducentis; ac ne mortis quidem timore deterriti, quo minus rempublicam patriam, magno animo, nec minori prudentia tueretur. Pari fidei atque fortitudinis laude, Guntherus Schvvartzburgicus Germaniam labentem erexit: qui dictis iam hoſtibus, vna cum octo familiae ſuae heroibus, ſe obiecit; caeſis in praelio Merſeburgenſi barbaris; & victoria, quam nulla vnquam poſteritas ſileat, reportata. Quam diu etiam Henricorum ſequentium, ac Fridericorum nomina, in annalibus caeſarum ſeruabuntur; tam diu res, a ComitibusSchvvartzburgenſibus geſtae, gratos pioſque poſteros, ad cultum admirationemque omnium excitabunt. Tantumque abeſt, vt poenituerit imperii noſtri ordines, gentem iſtam, ſiue a Vittekindo nigro, Caroli M. aemulo, ſiue a Lotharii regis filio, Gundaro coortam, Imperatorum, eius meritis deuinctorum, auſpicio, praecipuum inter Comites locũ, ac principibus proximum, Comitibus cum Cliuiae, nec non Cileienſibus & Sabaudis, obti-

Digitized by Google

obtinuiſſe; vt id potius beneficii, quo ſumma Germaniae capita in Bohemiae regnum non amplius euocantur, Schvvartzburgenſium inprimis auctoritati & prouidentiae acceptum ſe ferre, grato ore profiteantur. Quanto enim inter Germaniae proceres, atque principes ipſos, honore, domus Schvvartzburgica eſſet; vt documentis quam plurimis, ſic anno CIↃ CCC XLIX, Guntheri XVti exemplo declaratum eſt: digni ſcilicet, plerorumque ſuffragiis, iudicati, qui primus in ſuam familiam, Regium Romanorum nomen inferret. Ipſe inſuper, feliciſſimus imperatorum, Ioſephus, quum eminenti inter Comites ſeni, diuo ALBERTO ANTONIO, id deferret officii, vt vicinas imperii ciuitates, in magni caeſaris clientelam, ſollemni ritu reciperet; illuſtri maxime argumento teſtaſtatus eſt: hanc praecipue illuſtriſſimam gentem Germaniae datam eſſe; vt tranquillitatem ipſius, conſilio ac fide firmaret. Quae ut omnium Germanorum mentibus iam olim impreſſa ſunt, ac perpetuo infixa haerebunt: ita pauci fortaſſe reperientur, qui laudati ALBERTI ANTONII, totam patriam amore ſuo complexi, peracerbum obitum, honoremque ſupremum, non ad ſe etiam

pertinere, exiſtiment. Nos autem, neceſſitudinis, cum ſereniſſima Principe Saxo-Gothana contractae, atque tot beneficiorum, in multos academiae ciues extantium, haud immemores, ſigillatim tangit hic luctus, & ad pietatis proinde officium cohortatur. Id quod, omnium quaſi nomine, moerens perſoluet, tum ſanctiore doctrina, & concionandi peritia, tum virtute, & pio in patriae Patrem affectu, nemine aequalium minor, IO. CHRISTOPHORVS STRAVBELIVS, Polilmenſis; monumentumque ipſi, ventura Mercurii die, hora ante meridiem decima, in templi academici aede ſtatuet; quale Comiti, poſt homines natos laudatiſſimo, ac felicitatis publicae parenti debetur. Quod maiori adhuc religione praeſtabitur; ſi Prorector magnificus, Proceres aulae atque academiae excellentiſſimi, venerandique ſacrorum antiſtites, & quicunque, in hac literatorum ſocietate, magnae familiae, maximique herois merita recognoſcunt, noſtris precibus moti, oratorem hunc noſtrum, ſingulari modeſtia praeditum, & ex promta dicturum memoria, non deſtituent; vtque a Deo benigniſſimo datus ſuae patriae regendae ſucceſſor, illuſtriſſimus LVDOVICVS FRIDERICVS, Parente

rente hoc ſuo felicius ac diutius imperet, votis ſanctisſimis nobiſcum certabunt. P. P. Domin. Sexages. A. O. R. cIↄ Iↄcc xI.

XXVIII

SVperioris Iulii infelicitati, vel iratiori potius fato tribuendum hoc eſt, quod ingens iuris praeſidium, atque artium honeſtarum ſolatium, cum SAMVELE STRYKIO concidit; in grauiori equidem ſenectute; ſed praeter bonorum omnium vota, a rebus humanis abducto, quibus, quadraginta amplius annis, praeclare, ac ſine exemplo conſuluit. Sicut iacturae iſtius ratio, ad totam, qua patet, Germaniam, raro admodum ornamento priuatam, pertinet: ita omnes Germaniae academias in ſocietatem deſiderii ac luctus pertraxit: quarum felicitas, extincto ſic Iuriſconſultorum ſuorum principe, leges caeſarum ac diſciplinas tuente, & Germanorum gloriam illuſtrante, haud parum minuta eſt. Fatetur Francofurtenſe lyceum; ac Vitteberga pariter non disſimulat: ſolem antehac STRYKIVM inter ſidera ſua fuiſſe; & auctoritatis hic ſuae & ſapientiae lumen, ad ciues iuxta ac exteros, diffudiſſe. Sed maius & am-

plius quiddã inclita Fridericiana, in praeſide ſuo admirata eſt, ſua hucusque commoda, inſtar alicuius Apollinis, procurante, ſtudiorumque ac ordinum dignitatem ſeruante. Quamuis enim complures alii, ad omnem aetatem memorabiles viri, beneficio certe diuino, extiterint, qui naſcentis adhuc academiae gloriam, partim inchoare, partim augere ſuſtinuerunt; a Deo tamen & ſapientiſſimo Rege ſi diſcedamus; ad SAMVELEM STRYKIVM, velut auctorem praecipuum, iure quodam referimus, quicquid fere felicitatis ac floris in athenaeo Halenſi hodie celebramus. Ac reuixiſſe in eo Samuelem, melioris reipublicae apud Ebraeos ſtatorem, crederemus; niſi STRYKIVS natione Germanus fuiſſet; adeoque cum Brunnemannis potius & Carpzouiis comparandus veniret: quorum vtrosque pietate & iuſtitia ita aequauit; vt in quibusdam etiam ſuperaret. Iuſti enim ac aequi ſcientiam, cuius ipſe oraculum habebatur, fere integram ſcriptis complexus eſt; non ad ſubtilitatem & aſtum, ſed ad reipublicae ſalutem ac vſum ſpectantibus; vt, qui iura hodie interpretantur ac reddunt, riuulos ſuos a STRYKIANAE doctrinae fontibus, non ſine emolumento ac plauſu,

deri-

deriuent. Et quis flumen illud ingenii? quis illam dicendi vim atque copiam? quis humanitatem ac beneuolentiam incredibilem, vel verbis exprimere, vel cum aliis comparare ſuſtineat? Eam inſuper vultus, atque totius corporis dignitatem a natura acceperat; vt, haud ſecus ac Agamemnon aliquis, inter iureconſultos ceteros emineret; & vel imperatorii ac regii aliquid prae ſe ferret; imo ipſos imperatores ac reges ad ſui ſaepe amorem & gratiam inuitaret. His praeſidiis nixus, omnia egit STRYKIVS, quae pro ſalute aliorum & commodo, agi debebant: neminem a ſe triſtem dimiſit: multos conſilio atque opera iuuit: &, tanquam neceſſitudo aliqua ſibi cum eruditis ac bonis intercederet, cunctos dilexit. Tot tantaque igitur bona ac merita, quibus viuum aeſtimauimus STRYKIVM, IOANNI HENRICO de HESSLER, noſtrae Thuringiae equiti, ſicut magnis natalibus, ita virtutibus atque literis claro, facile perſuaſerunt, vt defuncti memoriam, in academico templo, iuſtis parentalibus conſecrandam, & ad poſteros conſeruandam, ſtatueret. Date ergo hoc precibus meis, Prorector magnifice, Proceres aulae atque academiae excellentisſimi, venerandique myſteriorum praecones, & quicun-

cunque in athenaeo hoc bonas literas colitis, & egregium iſtud, ac laudis pleniſſimum inſtitutum, ſumme reuerendi Buddei conſilio ac nutu ſuſceptum, ad futuram mercurii diem, horam X ante meridiem, eo approbate affectu, quo illuſtris STRYKII nomen, neque minus illuſtrem HESSLERORVM familiam, proſequi conſueuiſtis. P. P. in Academia Ienenſi, Domin. XIV poſt Trinit. A. O. R. CIƆ IƆCCX.

XXIX

QVod redeunte in vitam, vitae noſtrae atque ſalutis auſpice Chriſto, herbae quoque ac arbores reuiuiſcant; id vero in bonum merito a ſanctiſſimis Patribus, iucundumq; mortalibus omen accipitur. Qui, ſi proſtratum huc vſque Theologorum apud nos ordinem, circa idem iam tempus reſtitui, & tanquam e mortuis excitari, nobiſcum animaduerterent; auſpicatis procul dubio ſignis atque auguriis id etiam ipſum adiicerent. Eo maius hoc certe & excellentius, coeleſtis prouidentiae munus eſt; quo maior & excellentior, quae effloreſcit ſic denuo, theologia exiſtit. Quam nec ſatis laudare,

Digitized by

dare, neque capere ſatis, cuiquam in promtu eſt. Enimuero cum ceterarum, quas colimus, diſciplinarum & artium argumenta per naturam ſint obuia; ea equidem, quae ad theologiam attinent, non niſi arcano Dei afflatu concipi, aut manare ad alios potuerunt. Omnia, quae in hac rerum vniuerſitate cernuntur, hominis cauſa; hominem vero, aeterni opificis gratia, procreatum primitus eſſe, didicimus. Vt autem in accuratiorem Numinis, cultusque diuini notitiam penetremus; ſolius theologiae, humanos nimirum animos cum diuino copulantis, beneficio obtinetur. Quodſi ea etiam, quae ſunt rationis ac vitae expertia, ad perfectionem quaelibet ſuam, finemque proprium ferri creduntur; mirum non eſt, ad diſciplinae illius, quae per Dei cognitionem, aliquo modo ſimiles Deo nos reddit, venerationem ac deſiderium, occulta nos quadam vi, infixoque omnibus ſtimulo concitari. Non leue profecto aliquid, aut vulgare in animo habuit, ille, poſt fata etiam immortalis, athenaei Ienenſis conditor, diuus Ioannes Fridericus; quando hoc ſanctius ac diuinius ſcientiae genus, ſcopum academiae vniuerſae, & velut cynoſuram ac helicen, eſſe voluit; ad quam totus artium liberalium curſus diri-

dirigeretur. Nam quemadmodum de Catone dictum meminimus: ſolum eum prae ceteris ſapere, plurimumque videre: ita omnes omnium ſtudiorum magiſtri, eo magis ad genuinae ſapientiae laudem accedere, iudicandi ſunt; quo minus a purae religionis placitis atque inſtitutis recedunt. Compertum etiam in hunc diem vsque habemus, cum ſtante Theologorum ordine, academiam noſtram ſtetiſſe; cum cadente vero eodem, ad prolapſionem pariter ſuam inclinauiſſe. Quam enim inauſpicata olim & grauis, Synergiſtarum illa, atque Cryptocaluinianorum tempeſtas, quemadmodum ſanctiori collegio, ita toti huic prytaneo acciderit; iſtorum adhuc temporum annales loquuntur. Nuper, non quidem haereſium, quas porro a nobis exulare precamur; ſed ingruente alio caſu ac turbine, prope aberat, quin elato Bechmanni funere, toti mox ordini, fatales ire exequias oporteret. Ex quo tempore, non tam reliquarum diſciplinarum faſtigium, quam totius academiae fundamentum, labefactatum veluti cum Theologorum ſenatu, atque concuſſum penitus videbatur. Ne proinde periclitaretur amplius tam pretioſi aedificii moles, ac tandem corrueret; admouerunt cum Deo manum operi ſereniſſimi

Prin-

Principes, dignisque omnino ſapientia ſua conſiliis, praeſtantes religione Theologos, tamque aliarum ſcientiarum, quam iſtius cumprimis ſcientiarum reginae apicem conſecutos, D. MICHAELEM FOERTSCHIVM, & D. IO. FRANCISCVM BVDDEVM; illum ex Tubingenſi, hunc ex vicino Halenſium athenaeo, huc conuocarunt: quorum humeris, ſalus apud nos theologica, tanquam fulcris quibusdam ac deſtinis, niteretur. Vt autem in rarioribus, ac diu multumque optatis euentibus, fieri ſolet, ad tantorum virorum praeſentiam, ſuauiſſimis gratulationum carminumque concentibus cuncta circumſonant; atque plura, quam numerare ſit facile, ominum, vocumque fauſtarum certamina vndiquaque exaudiuntur. Multi in recens venientes Theologos, tanquam in ſacros Prometheos intuentur; coeleſtis videlicet veritatis & ſapientiae ignem non niſi ex coelo deriuaturos. Alii ſoles ipſos ſalutant ac ſidera, ſpiſſam mox vitiorum atque errorum caliginem diſſipatura. Sunt, qui Herculis illud inuentum, feros atque diſcordes mortalium animos, catena orationis aurea, inter ſe vnientis, impletum iam iri, ſibi iuxta & aliis pollicentur. Quamuis igitur vis cuncto-

rum

rum auguriorum & copia, anguſtis adeo ſpatiis comprehendi haud queat; prodibit tamen ad proximum iouis diem, hora ante meridiem X, ex meorum antehac auditorum corona, diuinioris ſcientiae, omnisque ſimul literarum elegantiae clarisſimus cultor, M. IO. HENRICVS ACKER Gothanus, poetarum lauru ornatus; nouis theologiae Profeſſoribus, oratione polita, & ex promta memoria ſua profluentibusq́ vocibus, in templo Paulino, omnium velut nomine gratulaturus. Date quaeſo, magnifice academiae Prorector, illuſtrisſimi Comites, profeſſores excellentisſimi, venerabiles item ſacrorum antiſtites, literatique ac boni apud nos omnes, tantillum temporis dignitati rei; & nouum hunc velut collegii ſacri natalem, cum praeſtantisſimo ciue, qui tum aliis eruditionis, excitatique ingenii ſpeciminibus, tum diſputandi praecipue exercitiis, palmam ſaepius in hac academia reportauit, piis, ut par eſt, ominibus atque precibus celebrate. Cuius nos bonitatis pariter & fauoris memoriam, gratam ſemper ſanctamque ſeruabimus. P. P. prima feriarum paſchal. A. O. R. cIↄ Iↄcc v.

XXX In

XXX

IN egregii Orlamundanorum praeſulis, CHRISTOPHORI HENRICI LOEBERI obitu, nemo eſt, qui ſocietatis diuinae, reique litterariae vicem non grauiter ferat: quarum illa ſolatium iuxta & fulcrum; haec decus ſimiliter & praeſidium, in noſtro amiſit. Certe quod de Ambroſio aliquando dixiſſe Theodoſius fertur: neminem verius meliusque antiſtitis ſancti munia impleuiſſe; hoc idem propemodum de LOEBERO dicendum, omnes exiſtimant, qui annos iam plurimos, Viri huius virtutem & operam perſpexerunt. Ex quo enim fidelium coetui praeeſſe incepit; recogitauit ſubinde, quam arduum ac verendum hominibus munus eſſet, Dei cauſam apud mortales agere, ac coeleſtia in his terris myſteria diſpenſare. Stabant attoniti, qui Moſis atque Eliae temporibus, vel mannam de aere depluentem, vel deductum ex coelo altiſſimo ignem intuebantur. Neque tamen minoris miraculi res eſt, ſacerdotum hodie miniſterio, non panem quendam aereum, ſed ſeruatoris ſanctiſſimi corpus; neque aethereum ignem, ſed coeleſtis ſpiritus flammam deſcendere. Vtut autem ſublime adeo, ſan-

Digitized by Google

ctumque officium ſuſtineret LOEBERVS; Dei tamen vocantis auctoritate, tanquam clypeo nitebatur: miniſtrique tam promti, quam integri fidem, vitae pariter ac doctrinae exemplo, egregie comprobabat. In loco igitur illo, quem ipſe inter homines Deus delegit, ſolius oracula Dei fundebat; non ad ingenium, more ſeculi, oſtentandum; ſed pro captu diſcentium. Imitatus in eo nutrices, alimenta ſobolis, pro ratione annorum, diſtribuentes, atque tenerioribus lac, adultioribus eſcam praebentes. Nouatorum praeterea obiectationes atque argutias perquam grauiter proſternebat; luposque ab ouibus depellebat. In ſanctiori ſe aede, tanquam in ſpecula conſtitutum a Numine ſummo, reputans; ſi quid culpa miniſtri, incuriaque perierit, id ex manu poſtea eius requiſituro. Quicquid vero is proferebat doctrinae; illud ad duo capita, fidem, fructusque fidei, referebat. Et vt terrebat improbos ac praefractos: ſic morigeros erigebat iuxta & confirmabat. Frugi fidique paſtoris exſtimulatus exemplo; quaerentis vndique oues, ſibi deperditas; fractas contra & infirmiores ſanantis: neque minus cuſtodientis cum cura, quicquid robuſtum ac pingue, in toto ſe grege probauerit.

Quae

Quae & alia, demandatae ſibi prouinciae munia, hoc maiori beatus felicitate ac laude implebat; quo rariorem doctrinae is apparatum; quo vberiorem dicendi copiam; quo inſigniorem multorum annorum peritiam, ad quaecunque negotia afferebat. Quemadmodum aquae ex fonte arido atque exhauſto in caſſum ſperantur: ſic nihil quicquam in coetibus piis ſacerdos proficiet, qui diuinae ſcientiae, verborumque coeleſtium typum, cum dedecore ſuo ipſe ignorat. LOEBERI vero doctrina, iudicandique ſolertia, tum ſpeciminibus aliis, tum literarum etiam monumentis, teſtata eſt. Quorum alia plus ſimplici vice recuſa; alia ipſis profeſſoribus digna in academiis viſa ſunt, quae commentariis ſuis notisque ornarent. Vt igitur bene & accurate docendo, ſic religioſe & recte viuendo, ſuae creditos fidei emendauit. Verum vtiq; gregis ſanctioris exemplum, formatorque egregius; cuius nempe virtutem exprimerent audientes ac redderent: prout in arte typographica typi, certas litterarum figuras & imagines repraeſentant; quandoquidem vitae ſanctimonia, fideique conſtantia, omnibus praeluceret. Amabat equidem omnes; ſed a nemine tamen gratiam in ſuggeſtu

 inibat.

inibat. Nihil dabat affectibus; qui parentes etiam, coniugesque ac liberos, poſt regnum Dei habendos, probe ſciebat. Sic proinde inuehebatur in ſceleratos ac impios; vt non homines, ſed vitia hominum, exoſa haberet. Longe etiam a cupiditate nummorum ac opum abhorruit; quibus non tam fulciri religionem, nouerat, quam euerti. Memor ſemper illius, quod ab Hugone dictum, accepimus; ſacerdotum complurium manus impura auaritiae pice ſqualere; cum pietatis atque amoris oleo nitere deberent. Et, quod primo a nobis hic loco celebrari, par erat; ſanctis vbique precibus, Dei ſpiritus opem & gratiam exorabat. Probe reputans: nihil praeſtare aliud ſacerdotes, niſi vt plantent ipſi ac rigent; laetioresque ſucceſſus, ſoli Deo ac Chriſto deberi. Ad Samuelis videlicet Pauliique exempla: quorum vterque id ſibi negotii datum, arbitrabatur, vt ſalutem omnium, omnium ſeruatori ac auſpici commendaret. Ceterum his & aliis miniſtri diuini partibus, quoniam ante non reſpondere ceſſabat LOEBERVS, quam mori inciperet; apud quoslibet multum valebat. Omnesque inſignem penitus plagam fatentur, quam reſpublica, coetusque diuinus, in nuperrimo Viri huius
exceſſu

exceſſu, acceperit. Quam ſanctiſſimae ciuitatis iacturam, lyceum praecipue noſtrum intelligit: in quo ipſe eruditiſſimi olim ingenii opes, diſputando pariter ac docendo, explicuit: & quod limatiſſimis ſcriptis ornauit; quibus mortuus haud vulgarem huc vsque exiſtimationem nominis impetrauit. Hunc igitur Virum iuſtis vltimis, quae parentalia vocant, defraudare non debet; quem in ipſum Theologorum ſuorum ordinem cooptare, annis abhinc non multis deſiderauit. Cum proinde iam ſecutura mercurii die, hora ante meridiem decima, Vir clariſſimus, & politiore non minus literatura, quam emendatis moribus, inter noſtros ſpectatus, M. CHRISTOPHORVS AVGVSTVS HEVMANNVS, Alſtadienſis Saxo, in templo Paulino, oratione doctiſſima ac decora, virtutem pariter & memoriam celebrabit beati; sereniſſimus iuuentutis Princeps, Prorector magnificus, illuſtriſſimi Comites, Proceres aulae atque academiae excellentiſſimi, venerandi ſacrorum antiſtites, doctique ac boni apud nos omnes, generoſi inprimis & ornatiſſimi iuuenes, vicem hanc praecellentis Theologi famae ac meritis reddent, dictamque panegrin ſua cohoneſtare praeſentia, quam ingenti erga

nos bonitati ac beneuolentiae deputabimus, dignabuntur, P. P. in Acad. Ien. Domin. XXIV. poſt Trinit. A.O.R. cIↄIↄCC V.

XXXI

FOrtunatum hunc menſem
In quo Haſſia fortunata
Laetum Aprilem
Ac vel ideo ab aperiendo ſic dictum
Quoniam ipſe quoddam laetitiae ver
Darmſtadio aperit
Auſpicatas in eo prae ceteris Nonas tertias
Quibus vitam
Decennio abhinc auſpicatus eſt
Viuaciſſimus Princeps
Sola naſcendi atque viuendi ſcilicet ſorte
Mortalis
Sed imperio poſthac ſupra mortales futurus
Domus excelſae praeſidium
Delicium ſeculi
Subiectorum ſolatium
Sereniſſimi Principis atque Domini
ERNESTI LVDOVICI
Comitis prouincialis Haſſiae Principis Hersfeldiae Comitis Catinelenboci Dietzae Ziegenhainae Niddae Schaumburgi Yſenburgi Budingae
Princi-

Digitized by Google

Principis noſtri clementiſſimi
Filius optimus
Natus Princeps primogenitus
LVDOVICVS
Paternarum virtutum prouinciarumque
Sereniſſimus Heres
Sacra ſibi Muſarum haec gaudia
Eſſe cupiunt
Cum Gieſenſibus Muſae Ienenſes
Vtraeque enim
Haſſiacarum nunc ditionum foecunditatē
Ex orbitate Hiſpaniae aeſtimant
Ex huius idcirco periculis
Fauſta de illis auguria capiunt
Tantoque hoc magis
Quod iam in ſummo Herede
Summorum Maiorum nomina
Immortales nimirum Philippi
Sapientiſſimi Guilielmi atque Mauritii
Omnes omnium dotes
In vno reluceant
Interpretem vero Muſarum ſe offert
Politiſſimus Muſarum ac Themidis cultor
IOANNES IACOBVS RAVH
Darmſtadienſis
Cuius orationi natalitiae
Vt futura Mercurii die Hora X
In Academico templo
Faciles aures praebeant
Rector Academiae magnificus

Digitized by Google

Patres conſcripti
Eruditi bonique apud nos omnes
Generoſa inprimis ac nobiliſſima
Commilitonum corona
Per tantorum Principum ornamenta
Ac merita
Ab ipſorum aeſtimatoribus cunctis
Contendo.
P. P. In Academia Ienenſi
Domin. Iudica cIↄ Iↄ cc II.

XXXII

AVſpicatum omen
In nomine auſpicato
Naſſouia
A pratis humentibus dicta
Quippe
Pratorum inſtar amoena
Pratorum inſtar foecunda
Pratorum inſtar florida
Ipſo maio
Florum parente
Sereniſſimae ſtirpis Naſſoico Idſteinenſis
Nouo flore ornatur
Plangebat decimo aeuo, vergente
Germania
Quoniam nonis Maiis

Otto-

Ottoni tunc Magno emortuales, hae fuerant
Plaudit contra iisdem
Seculo iſthoc ineunte
Naſſouia
Quandoquidem magno Principi
Ex Magni huius Ottonis familia
Hae videlicet ipſae natales euaſerint
Eſt is
Sereniſſimi Principis atque Domini
GEORGII AVGVSTI
Ducis Naſſouiae Saraepontis
Nec non Sarvverdae Dynaſtae
In Lahr VVisbaden & Idſtein
Ac reliqua
Principis noſtri clementiſſimi
Genitus Princeps ſucceſſor
FRIDERICVS AVGVSTVS
Qui ſapientior Fridericis
Feliciorque Auguſtis vt fiat
Omnes precantur
Optabat antehac patria
Vt hoc ſalutis publicae pignus accederet
Noſtrum erit optare
Ne ante ſeros admodum annos recedat
Igitur laeta de Principe tanto auguria
Noſtrum pariter implebunt lyceum
Quae ſubiectorum hucusque animos
Impleuerunt
At ſuum hoc tamen prae caeteris

Digitized by Google

Eſſe putat
Quem Naſſouia
Quem liberalia atque medica ſtudia
Suum eſſe agnoſcunt
Florentiſſimus Iuuenis
GEORGIVS CHRISTIANVS
HECHLERVS
Strenzae Naſſouiorum prognatus
Cuius ſermonem natalitium
Vt ad proximi Iunae diei Horam X
In delubro academico
Rector academiae magnificus
Patres conſcripti
Hoſpitesque ac ciues eximii
Generoſa inprimis ac nobiliſſima
Commilitonum corona
Conſueta humanitate ac beneuolentia
Proſequantur
Omnes & ſingulos
Perofficioſe inuito,
P. P. In Academia Ienenſi
Domin. I. poſt Trinit. cIↃ IↃ ccII.

XXXIII

INconſtantiam excipe
Et nihil inter homines conſtans experieris
Vsque eo

Dul-

Dulcia ſubinde amaris
Laetis triſtia
Plauſibus querelae miſcentur
In aliis quidem
Diuerſitatem ſtatuum agnoſcit fortuna
Hac autem in parte
Summa imis confundit.
Theatrum huius tragoediae
Nuperiori octobri
SERENISSIMA DOMVS SAXO-HILD-
PERHVSANA
facta eſt
Ibi
Magnae Heroidis lectus genialis
Mox feralis euaſit
Quando
Immortalis memoriae Princeps
Ac Domina
HENRIETTA SOPHIA
Sereniſſima Dux Saxoniae Iuliaci
Cliuiae Montium Angariae item &
Gueſtphaliae Landgrauia Thurin-
giae Marchioniſſa Miſniae Princeps
Comes Hennebergiae Nata Princeps
VValdeckii Comes Pyrmonti & Cuh-
lenburgi ac reliqua
Princeps noſtra dum viueret
Clementiſſima
Ex quo
IOSEPHO PRINCIPI
Vitam auguſtam peperit
Suam amiſit

Semira-

Digitized by Google

Semiramide ac multis Heroidibus maior
Quoniam non ſuorum ſed proprio funere
Salutem reipublicae inſtaurauit
Equidem
Infelicem hoc caſu ſe queritur
Qui felicitate perpetua dignus erat
Sereniſſimus Princeps ac Dominus
DOMINVS ERNESTVS
Saxoniae Iuliaci Cliuiae Angariae
& Gueſtphaliae Dux & cetera
Princeps noſter ac Dominus
Clementiſſimus
Similiter orphanorum habitu
Comparebant ſubiecti
Quando XXII menſis labentis
Matrem patriae efferebant
Mitiora autem inpoſterum fata
Laetiorumque rerum viciſſitudinem
Natali ſolo optabit
Clariſſimus iuuenis
M. IOANNES SCHVFFNERVS
Schalcauiae in Franconia natus
Dumque viuae Principis vultum
Amplius adorare non licet
Mortuae eius virtutem extollet
Quem
Vt Prorector Magnificus
Patres conſcripti
Bonorumque inprimis
Ac literatorum Iuuenum coetus

Cra-

Craſtino lunae die
Hora ante meridiem decima
In aede Paulina
Beneuole audiant
Ea qua decet ratione contendo.
P.P. Domin. xxiv post Trinit.
A. cIↄ Iↄↄc II.

XXXIV

Ex mortalibus nuper digreſſa eſt
Quae
Mortalitatem iam pridem exuerat
Quando
Coelum in terris ſpirabat
Ante mortem beata
Inter Heroidas vero
Incomparabilis Princeps
Principumque Saxoniae
Mater
DIVA IOHANNETTA
Sereniſſima Dux Saxoniae Iuliaci
Cliuiae Montium Angariae item &
Gueſtphaliae reliqua
Suo genere
Ducalique faſtigio
Per virtutes celſior
Sanctitate enim matronas
Viros prudentia
Bonitate vtroſque
Patientia ſe propemodum ipſam
Vincebat

Nemi-

Nemini vnquam moleſta
Niſi quod
Mors eius acerba omnibus accidat
In deſcenſu ſol erat
Quum Heroina haec noſtra
Sole veſtita
Sole tamen ſplendidior
Supra ſolem adſcenderet
Vale glorioſiſſima Princeps
Gloria nunc mundana auguſtior
Diua imposterum inter mortales
Inter coelites aeternum beata
Nomen tuum
Ob gratiam Muſis praeſtitam
A Muſis merito conſecratur
Vos proinde o Noſtri
Craſtino die
Cerimoniis funebribus ſacro
Hora vII matutina
In caſtro ducali propterea comparete
Ducis nimirum ſereniſſimae funus
A promiſcuis aliorum exequiis
Sic ſeparaturi.
P. P. ſub Acad. Sigillo
D. vII Novembr. A. O. R. cIɔ Iɔcc I.

ELOQVENTIAE ACADEMICAE
ARGVMENTA
SECVNDI ORDINIS
HOC EST
SCRIPTA
OB
MAGISTRATVS
MAGISTROSQVE CREATOS
PROPOSITA.

Digitized by Google

I

QVi annis abhinc duodecim, poſt Principem iuuentutis, vt vigore animi, ſic virtute incomparabilem, diuum IOANNEM GVILIELMVM, arcano, & quaſi operto ſapientiſſimi Dei diſpoſitu, vitam pariter atque regimen academicum, non ſine ingenti bonorum omnium perturbatione, ac ſenſu triſtitiae incredibili, finientem, obſoleuiſſe viſus eſt ſplendor; is auguſto hoc menſe, multo auguſtior laetiorque, Athenis noſtris renaſcitur. Enimuero, quod fama rerum ſecunda perpetuo celebrabitur, & tanquam praecipuum noui ſeculi decus, annalibus noſtris addetur, glorioſiſſimi Principis, Domini IOANNIS GVILIELMI, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angariae item & Gveſtphaliae Ducis, patris patriae glorioſiſſimi, nutu ac beneficio contigit; vt paternarum virtutum prouinciarumque ſereniſſimus heres, Dominus GVILIELMVS HENRICVS, applaudentibus paſſim ac triumphantibus omnis ordinis ciuibus, virtutisque ac decori cultoribus, clauum in aca-

demiae huius naui tenere, & Rectoris magnificentiſſimi perſonam repraeſentare, excelſo animo conſtituerit. Inter illuſtriores, ac memoria prae ceteris dignas, magni Caroli laudes, nullo poſtea aeuo ſilebitur, quod academiam ipſe Pariſienſem, honorifica quondam, ac vere regia, filiae ſuae primogenitae appellatione ornauerit. Neque impar omnino Chriſtiani III, Daniae ac Noruegiae regis, in Hafnienſe lyceum, cui inter ſumma & ſingularia regni amplisſimi decora, locum concesſit, gratia ac beneficentia praedicatur. Sed qui a Vittekindo heroe, virtutem non minus, quam ſanguinem trahit, Pater patriae ſerenisſimus, ſicut ceteris, conſummatae & altisſimae mentis dotibus, nulli principum cedit: ita in hanc bonarum artium officinam, a ſuis olim maioribus religioſe fundatam, ſuisque ac reliquorum, vtriusque familiae Nutritorum munere, feliciter auctam, patrem adhuc ſe optimum maximum, re magis, quam nomine, comprobauit. Eam quippe, vt, immortalis abaui, IOANNIS GVILIELMI exemplo, terrarum ſuarum vnionem ac gemmam nominat: ſic praepoſito gubernaculis eius exoptatisſimo filio, nouum prytaneo huic ornamentum, & duraturum ad poſteros lumen circum-

cumdat. Quare, longe is alienum ſe gerit ab illorum contemtu & inſolentia, qui, quicquid eſt inſtitutionis egregiae, de medio ſublaturi; tum diſciplinas ingenuas, virus ac peſtem, ciuitatibus noxiam, cum Licinio & Balbo pronunciare; tum ſcholas & academias, tanquam ſuperuacaneas, & parum ex rei publicae vſu futuras, ad barbarorum hominum inſtar, damnare, neutiquam erubeſcunt. Nouit potius, ac, prout eſt perſpicaciſſima, omnemque ad partem intenta mentis acie, tam adhibitis rationibus, quam exemplis, diiudicat, quanta vis, quantumque momentum in literis, ad locupletandas, aeternisque firmandas praeſidiis ciuitates, conſiſtat. Nam certisſima illa boni publici fulcra, iuſtitiam, verendique Numinis cultum, concidere penitus, ac longisſime peſſum ire, ſine artibus ac diſciplinis, oportet. Neque vero ſincerus gloriae ſplendor, nominisque aeternitas, cuius vtique populorum praeſidibus habenda eſt cura, ſpretis literis, atque extincto doctrinarum lumine, obtinetur. Propagationem igitur ſtudiorum liberalium, atque academiarum honorem, Sereniſſimus noſter, nihilo ſecius in laudandi Principis officio ponit, quam ſuae pariter ac ſuorum ſaluti, ſecuritatique & fa-

mae proſpicere. Reperti ſunt ſane inter prudentiae ciuilis magiſtros, qui, quantum praeſidii, omnis omnino doctrina, animique interior cultus, ipſis quoque principibus afferat; tam praeceptis egregiis, quam exemplis euidentisſimis, docuerunt. Neque dubium eſt, quin linguarum notitia, ad frequentanda cum aliis gentibus, ſicut ſermonis, ſic literarum commercia, viam ipſis communiat; hiſtoria autem, & quae ex fonte hoc manant, politicorum ſancita, ſecretiores principibus artes, imperandique prudentiam ſubminiſtrent. Quemadmodum porro naturae ſiderumque ſcientia, a ſuperſtitione anili, vanorumque praeſtigiis hominum, illos abducit: ita religionis placita, iuſtique ac aequi regulae, palaeſtram oſtendunt, vbi tota eorum vitae ratio, quicquid ſuſcipiant, quicquid agant, ſeſe exerceat. Vnde ex Romanorum imperatoribus, Iulius Caeſar, Octauianusque Auguſtus, & qui eundem gloriae campum ingreſſi ſunt, alii, eloquentiae ac philoſophiae, atque veteris ſimul memoriae ſtudiis, ſub idoneis harum doctrinarum magiſtris, eo ſucceſſu, & ſubiectorum commodo, imbuti fuerunt; vt ipſorum deinde conſilio, ope, clementia, Romanorum imperium

in

in ſummo faſtigio famae ac potentiae collocaretur. Neque vllum temere magnum virum, aut exercitus ducem laudabilem, Roma vidit, qui literarum, & omnis ſapientiae cultu non effloruerit. Imo etiam noſtra, ac paullo ſuperior aetas, ſummos principes tulit, quorum memoria, & parta in academiis, doctrinae gloria conſecrata eſt. Vt enim reliquos raceamus; certe ex Magnificentisſimi noſtri agnatis & maioribus plures, ab his literariae famae initiis, ad futuri imperii magnitudinem proceſſerunt; ſuisque ſtudiis & conatibus, hoc athenaeum praecipue ita nobilitarunt; vt ſingulari deinceps gloriae deputandum ſit, iis praeeſſe, quibuscum ſocietatem antehac tanti principes inierunt. Nihil proinde viuaciſſimo ſuo ingenio, propriaque, & maximi Parentis virtute, dignius; nihil ad ſuſtinendam patriae expectationem, conciliandumque literis robur, accommodatius, ab incomparabili iuuentutis Principe cogitari, aut ſuſcipi poterat; quam vt Rectoris honorem, ſub Fridericis Imperatoribus ortum; purpuramque & ſceptra, regum caeſarumque inſignia, prae ſe ferentem; inque ipſa hac academia, ante CXXIIX annos, a Friderico Gvilielmo primum; poſt a Ioanne Erneſto; tum a Bernhardo ac Fri-

derico, & a Ioanne denique Guilielmo, memoriae adhuc immortalis Principibus, in flore aetatis, plusquam virili virtute ac prudentia geſtum; glorioſe ornaret, viciſſimq; ab eo nunc ornaretur; imperiiq; futuri ſic amplitudini ac felicitati praeluderet. Iam quod noſtrarum eſt partium; emergentem hanc ſummi Principis lucem, quae in ſalutem ac decus academiae noſtrae, clarius ſemper clariusque fulgebit, potiori nos iure, quam Perſarum natio ſolem, prono pioque animi cultu excipimus. Tali igitur modo, quod vnice poſſumus, ad Magnificentisſimi noſtri pedes prouoluimur: felicem illũ, cum ſerenisſimo Parente, optantes, in quo nos felices! ſaluum illum, a quo regionum non minus, quam Muſarum poſtea ſalus pendebit! longaeuum denique illum, cui de noſtris etiam annis augeri aetatem, auctor annorum & arbiter Deus permittet! In procliui autem & vobis, procul dubio erit, perſpicere, Ciues carisſimi! qvae pietatis ac reuerentiae pignora, ipſo corporum habitu, cultuque ac motu externo, erga hoc, nouo radians lumine, atque eminentiſſimum ſidus, praeferre conueniat: cuius inſita ab vtroque Parente, principalis genii vis, intuentes Vos propius, aeque rapiet atque

Digitized by Google

que percellet; ac ille 'oculorum Auguſtalium vigor, debiles ad fulgorem ſolis adſpectus, ſubmittere dicebatur. Quem igitur ante, ceu decus ac delicias noſtras, circumfuſo vndique gratioſi corporis flore, aliquid maius ac diuinius ſpirare ſenſiſtis; hic intimiore deinceps hominum ac rerum cognitione, ſapientique & prouida ſtatus publici cura, praemiisque ac poenis, vt ſua quosque merita oſtentauerint, praeſentiſſimus, ſalutem ſecuritatemque omnium operabitur. Veſtrumque ideo erit, cunctis virium neruis anniti, ne indigni impoſterum hoc diuini fauoris ac beneficii pignore, culpa aliqua veſtra, videamini; ſed accuratis poſthac praeſtare obſequiis, vt incolumitatis hoc noſtrae praeſidium, miſericordisſimus Deus proprium nobis ac perpetuum eſſe velit. Vicaria vero Rectorem magnificentisſimum opera, ſolertique conſilio ſubleuabit, ſollemnibus nuper ſenatorum ſuffragiis, in ſemeſtre proximum deſignatus, Prorector magnificus, Vir maxime reuerendus excellentisſimusque, PHILIPPVS MVLLERVS, diuinioris ſcientiae Doctor atq; profeſſor ordinarius, Ducumque Saxonicorum a conſiliis ſanctis, & praepoſiti ac praelati Magdeburgici dignitate inſignis, colle-

Digitized by Google

ga noſter plurimum venerandus. Quem ſicut iam pridem in academicis rebus, tractatoque ſaepius harum regimine, vſus atque exercitatio, negotiaque ex voto fluentia commendarunt: ita ſpes nobis affulget certisſima: ſub tanti auſpicio Principis, eo magis futurum, vt progresſus tenore aequabili animus, & omnia eius deſtinata, pulchris admodum, & in publicum profuturis ſucceſſibus, proſperentur. His proinde ominibus, ad proximum iouis diem, magiſtratus recentis creatio, exquiſitis cerimoniis, fauſtisque ciuium acclamationibus, in templo academico peragetur; nec non publicae legum & ſtatutorum tabulae, more veteri proponentur. In qua inprimis panegyri, ciuis docti, & ad modeſtiam piam compoſiti munus, nobis etiam non monentibus, quisque implebit. P. P. D. XIII AVGVSTI A. CIↃ IↃ CC II.

II

SI qua vnquam opinio inconcinna, & a communi hominum ſenſu longisſime aliena; illorum mortalium certe fuit, qui magiſtratus honorem, procurationem-

onemque reipublicae, abrogandam illico, eque rerum natura penitus eximendam, pronunciarunt. Quaſi vero, quae veterum Manichaeorum vox fuit, a tenebrarum principe, humanique generis hoſte, repetenda ſit illa poteſtas, cuius beneficium eſt, ſuam omnibus ſalutem & florem, commoditatemque ac decus conſtare. Aut tanquam ex immutabili naturae ſtatuto, a Leuelleriis iactitato, cunctorum aequalitas profluat; cum tamen naturae pariter atque ordinis auctor, eiusdem Dei ſapientiſſimi numen exiſtat: in quo ordine procul dubio antecedere alterum, alterum ſequi oportet. Neque igitur Anabaptiſtarum, contra imperiorum praeſides, furor graſſari, aut inualeſcere inter chriſtianos amplius debet; ex quo tributum caeſari, ciuitatumque rectoribus gladius, de Chriſti ac Pauli ſententia, vindicatus eſt. Singularis, & ad memoriam omnem inſignis, Perſarum lex fuit: vt a Regis exceſſu, per quinque dierum ſpatia, nullus interdictorum amplius vigor, nulla iuris adminiſtratio haberetur. Vt intelligeretur hoc ipſo: quantum pretium legi ac regi, ab omnibus poni, non tam aequitas, quam neceſſitas ipſa iuberet. Si Germaniam noſtram reſpicimus; illa pariter, ante hos

Digitized by Google

quadringentos & amplius annos, incommodo ſuo experta eſt, quam foeda malorum flagitiorumque colluuies deſtitutam moderatore rempublicam obruat, ac velut inundet. Fatali enim tunc interregno proſtrata, reſpirare non potuit, priusquam Rudolphus Habsburgicus, fundator ille imperatricis domus Auſtriacae, exanimatam adhuc erigeret, & quae turbulenta penitus erant, pacaret. Didicerunt tunc ſane noſtri Germani: & fortunas cuiusque, & ſtatum, miſerabiliter vacillare, praeſentique periculo obiici; ſi vacante imperio, quaeuis vitia ac facinora impune incedant. An de literatorum ſocietatibus multo melius actum iri, putabimus? an honorem decusque priſtinum illis amplius duraturum, actis forte auſpiciis, ominabimur; niſi & ibi moderator aliquis rei communi praeeſſet, omniumque ſaluti aduigilaret? Quo praeclarius autem reipublicae ornamentum, principatusque praeſidium, in literis ponimus; eo etiam efficaciori, conceptus iam pridem aduerſus prytaneum hoc amor, incitamento nobis ac ſtimulo fuit; vt Rectoris in eo magnificentiſſimi munus, ante ſemeſtre hoc ſpatium, noſtris imponi humeris, pateremur. Quae regiminis tunc ſuſcepti auſpicia, coele-

ſtis

ſtis prouidentiae ope, adeo laeta ac fortunata fuerunt; vt a continuandis iisdem, atque in rei literariae, ceu ſperamus, praeſidium, ſuſtinendis, haudquaquam abhorreamus. Quando autem ex veteri more, de nouo vicario, noſtrique regiminis adiutore, cogitandum nunc venit; conſultiſſimi Viri, D. GVILIELMI HIERONYMI BRVCKNERI, iureconſulti & anteceſſoris, atque iurium profeſſoris ordinarii, & praeclare merentis, electioni, eo libentius promtiusque calculum noſtrum adiecimus; quo & religio, & profeſſio Viri, certiorem Nobis ſpem iniicit, fore, vt illius apud Plutarchum: legum in viros, non virorum in leges auctoritatem valere: identidem recordetur. Vos, o Cives, haud ſecus moderatorem hunc veſtrum, quam patrem, honorabitis; cuius eſt, quam temperatisſime natis ſuis conſulere, ſuaque poſt illos habere; vel, ſi mauultis, vt ſidus, cuius iuſtitia, nullo perſonarum adſpectu, omnes ex aequo poſtea illuſtrabit. Iulium Caeſarem, ipſius hiſtoriam texens, Suetonius refert, non permiſiſſe, electos nouiter ſenatores in curia conuenire, antequam in templo ſacrificaſſent. Vos quoque, o noſtri, ad proximum Iouis diem, vna cum magi-

ſtratu

ſtratu recenti, ad templum academicum confluetis; Prorectoris inaugurandi ſollemnia, piis admodum, pro ſalute communi, proque Principum, academiam iſtam ſeruantium, incolumitate ac flore, votis ac precibus, rite conſecraturi. Leges praeterea, ex ore legentis, tanquam oracula, quemadmodum profutura morigeris, ita improbis nocitura, modeſte excipietis. P. P. Domin. V poſt Epiphan. A, O. R. cIↃ IↃCC III.

III

QVando iterum, quod felix laetumque ſit! noui hodie Prorectoris creationem de more indicimus; nihil aut inſtituto praeſenti dignius, aut ſtatui veſtro conuenientius eſſe poteſt, Ciues cariſſimi; quam vt & muneris huius dignitas, & quae vobis quoque incumbunt, ad ſuum cuique animum reuocentur. Non eam quidem a vobis ſuperſtitionem venerationemque exigimus, qua Romani veteres moti, gubernatorum ſuorum effigies, velut Numina, adorabant; imo exteros quoque, ſimili ipſas cultu proſecuturos, ad eas ducebant. Quale honoris impii genus obtigiſſe Neroni,

roni, Tacitus memorat; cum progreſſus ad eius imaginem Teritates, caeſis victimis, ſublatum capite diadema eidem ſubiiceret. Iſtud tamen ex ſacris oraculis diſcimus: expreſſam aliquam Dei, velut omnium rerum moderatoris, ſimilitudinem, in ſuperioribus relucere: nec niſi a Deo conſtitui, qui rebuspublicis praeſint: ipſique adeo potentiſſimo Numini bellum quoddam indicere, qui ciuitatum praeſidibus obluctentur. Neque enim aliter eſt pronunciandum de illis, quorum in manu, non omnium modo dignitas atque exiſtimatio, ſed ſalus etiam ac felicitas ſita eſt: quique fidei ac religioni ſuae commiſſos ſic ſeruant, prout haec rerum vniuerſitas a Deo dependet; non cadauer ac funus tantum, ſed & deterius aliquid, ſine nutu & prouidentia eius, futura. Ciuium proinde eſt munus, de magiſtratuum ſuorum perſonis non niſi honorifice iudicare ac loqui; diuinumque in ipſis beneficium admirari & colere; venerationem denique & obſequium, tam ſermone ac geſtu, quam ipſo etiam facto teſtari. Narrat Nicetas, Chaſiorum, quae dicitur, gentem, quaecunque imperantium iuſſa tam alacriter obſeruare & exequi; vt, ſi illi vel ſolo ſupercilio ſignum dederint; ſtatim

tim de rupibus ſe deiiciant, inque gladios irruant, ac in vndas deſiliant, ignique ac flammis ſe ingerant. Quid Vobis agendum, o noſtri? quibus neque ſupplicium aliquod, nec ſalutis aut vitae diſcrimen iniungitur; ſed iuſta & ſalutaria omnia; a quorum obſeruatione felicitas, a neglectu autem exitium pendet; ex legum academicarum praeſcripto, imperantur? Obedientiam, ſummum in republica bonum eſſe, Lacedaemoniorum, per obſequia ſua fortunatorum, exemplo, Xenophon luculenter demonſtrat. Sicut enim non eo perueniunt naues, quo tendunt; niſi moderatoris impulſum nutumue ſequantur: ſimiliter ſine legum ſtudio, atque obſequio, nemo ciuium in melioris fortunae portum defertur. Quamobrem haud poetae tantum, obedientiam, Iouis ſeruatoris vxorem, felicitatisque matrem fuiſſe, comminiſcuntur; ſed ſacrae etiam literae, morigerorum hominum ornamenta & praemia, crebris perquam promiſſionibus & exemplis confirmant; in refractarios autem poenas grauiſſimas, & nihil non ignominiae ſuppliciique decernunt. Quae enim ſeditioſos Corae ſocios, & Abſalomum perfidum, fata manſerint, nemo ignorat. Sane peſſimum

mum quemque, diuinaque adeo animaduerſione dignisſimum, aſperrime pati rectorem; vt Salluſtius monet: ita corruptae apud Romanos ſaepius diſciplinae, nec non pertinaciae ciuium, eam Liuius rationem asſignat: quod leuitas & malitia in ipſorum rempublicam immigrauerint. Quisquis proinde virtutes vitiis, Deique ſanctisſimi iuſſa, improborum illecebris praefert; ſuam denique ac totius ſocietatis ſalutem, proprio atque aliorum exitio anteponit; is illud Creontis Sophoclei effatum, ſuum faciat: ego vero non tali ingenio ſum, regnare ipſe vt malim, quam imperata facere; ita moderatisſimus quisque affectus eſt. Digna, inquam, haec veſtra virtute acclamatio erit, o Ciues! qua experientisſimi Viri, IO. HADRIANI SLEVOGTII, medicinae Doctoris, Roslamque ſuperiorem iure hereditario posſidentis, ac profeſſoris hic ordinarii, medicique prouincialis, laudabiliter meriti; cuius ſpectata probitas ac prudentia, omnium nuper ſuffragia meruerunt; ceu Prorectoris futuri, imperium nutumq; excipietis. Cumque ad proximum Martis diem, in aede Paulina, Is academica ſceptra, & reliqua magiſtratus ſigna ſuſcipiet; in loco tam ſacro, haud minore diuini

diuini Numinis metu perfundemini; quam veteres illi, quando iudices ſuos, in templo ſanctisſimo conſidentes, intuebantur. Agite igitur, & ad fundendas, pro ſerenisſimorum nutritorum ſalute, proque florenti academiae ſtatu, ardentisſimas preces, Vos comparate; ſimulque ac leges, & reipublicae noſtrae ſtatuta recitabuntur; ſtatim Plinii illud ad Traianum expendite: maiorem obſequii pietatisque gloriam eſſe in eo, quod quis minus velit. P. P. D. v Auguſti, A. cIↃ IↃcc III.

IV

APud Platonem, cuius pleraque ſunt inuenta atque pronunciata egregia, tunc demum beata inter homines eſſe, & abſolute florere ciuitas dicitur; ſi aut regnare philoſophi ſoleant, aut qui regnent, philoſophari. Neque vero a cordatisſimo homine haec ita iactantur, adſeuerare vt audeat: niſi philoſophia excultum, commodum ſatis reipublicae moderatorem haberi neminem poſſe; quin id potius docet: qui imperii gubernacula adminiſtret, ſi ſubactam ſapientiae ſtudiis mentem afferat, pluribus eum, iisque praecipuis officii ſui partibus,

multo

multo rectius, multoque felicius reſponſurum. Cum enim cunctorum varietas temporum, partim pace, partim bello contineatur: quorum altera vt mox reddatur Germaniae; alterum vero vt longius indies, longiusque a terris noſtris recedat, immortalem Deum precamur! vterque ciuium ſtatus ita philoſophiae praeſidiis atque inſtitutis iuuatur; vt, eam ſi quis remouerit, ille omnis propemodum ſanioris conſilii, ipſiusque adeo prudentiae fontem, remouiſſe a republica, videatur. Dantur quidem nonnulli, qui licet in pacis artibus, & quum beato affluimus otio, haud poſtremum his ſtudiis locum concedant; attamen ſaeuiente Martis rabie, latere philoſophiam, tanquam metu attonitam, & ſilere inter tubarum lituorumque clangores, velut inutilem, nulliusque pretii tunc futuram, affirmant. Quorum equidem ſi valeret ſententia; imprudenter omnino Achilles a Chirone, Alexander ab Ariſtotele, aliique heroes ab aliis, hanc eruditionis etiam partem, tanto conatu, tantoque animorum ardore ac ſtudio, didiciſſent. Quam enim praeclaram, in ipſo etiam bello, vtilitatem ac vim habeat, efferentibus ſeſe affectibus, vitiorumque motibus, ex ſapientum

L prae-

praeſcripto, quoddam veluti frenum iniicere; Scipio ille Aemilianus cognitum & exploratum habebat: qui deſperandum penitus de vincendis ac debellandis hoſtibus, iudicabat; niſi effoeminatos voluptatibus milites ad priorem vitae innocentiam atque rigorem reuocaſſet, duoque ſcortorum millia e caſtris illico eieciſſet. Reperti igitur ſunt, qui non minus, rei etiam militaris momentum, in magiſtra virtutum, philoſophia, quam in ipſis virtutibus, collocarunt, & ſine illius ſubſidio, eandem rerum confuſionem ac perniciem dixerunt futuram, quae Othonis olim & Galbae, nec non Vitellii ac Veſpaſiani aetate, ſpretis philoſophorum monitis, Romanorum afflixit rempublicam, & effuſo velut torrente, inundauit. Sed non ea tantum ſapientiae pars, quae conſilia atque actiones mortalium ad ſummae felicitatis portum dirigit, hic plurimum valet; verum aliarum etiam rerum, & extra humanum arbitrium poſitarum, cognitio, ad magiſtratus negotia, belli haud ſecus, quam pacis temporibus obeunda, vtiliter, & magno ſaepe ſucceſſu, accommodatur. Neque alia cauſa C. Seruilii & C. Sempronii claſſem, in freto Siculo, inque oceano quondam Germanico, Caeſaris

ſaris Germanici naues, in ſummum olim periculum exitiumque coniecit; niſi quod aeſtuum maritimorum naturam ac viciſſitudinem ignorarent. Quod ſi geometriae reſpicimus ſtudia; inſignem eorum operam, in excitandis militum caſtris, & propugnaculis, inque tormentis ac certaminibus inſtruendis, Turcarum quoque nonnulli, contemtores alias liberalium artium, agnouerunt. Ex quibus Mohammedes inprimis ac Selimus, illi Aſiae atque Aegypti domitores, haud exigua in his literis laude feruntur. Quemadmodum vero bella ac praelia, ita pacis, & publicae tranquillitatis negotia, philoſophiae praeſertim beneficio, melius longe feliciusque geruntur. Sane ſi T. Manlium illum Torquatum, oculorum infirmitas, ab accipiendo tum conſulatus deterruit munere; quoniam nefas ducebat, publicae eum ſalutis cuſtodem agere, quem alienis oculis cernere, & adminiſtrare ſic omnia, oporteret; multo vtique minus, ad regendos atque tuendos alios, aptus videtur, cuius animus nullo literarum & ſapientiae lumine colluſtratur. Quomodo enim iuſti ac aequi rationem habere exactam, aliaque ſubinde conſilia coniectare ex aliis poterit, qui haec pleraque omnia de his fonti-

bus non haurienda putabit? Mirum igitur non eſt, ſi tam diu viguit atque valida fuit Athenienſium ciuitas, quam diu ſapientisſimo olim mortalium, Soloni obtemperauit. Neque mala proinde concipimus omina; dum in futurum ſemeſtre, ex Philoſophorum ordine aliquis, Vir nempe amplisſimus, IOANNES IACOBVS MVLLERVS, iurium Doctor, & logicae diſciplinae profeſſor ordinarius, ad academiae huius clauum ſedebit; inſecutura proxime Iouis die, officii huius inſignia, ſollemni cum cerimonia, ſuſcepturus. Iaſonem, & Argonautas reliquos perhibent, cum eam olim inſulam, quae a florum varietate & copia, florida nuncupatur, attingerent; vnius Orphei cantu ac lyra, a pernicioſis Sirenum illecebris, funeſtoque interitu, auocatos fuiſſe. Florida iſthaec inſula, ecquid aliud, ciues carisſimi, niſi aetatis veſtrae vigorem deſignat? vbi mille Sirenes, ſeu voluptatum deliciae, magno ſubinde diſcrimini, praeſentique exitio Vos exponunt. Faxit Deus, vt Prorectoris veſtri futuri, veluti ſapientis Orphei voce, a vadis abducti & ſcopulis, rectum poſtea curſum teneatis; vellusque Iaſonis aureum, hoc eſt immortalia virtutis atque doctrinae deco-

ra

ra, acquiratis! P, P. Domin. Eſto mihi, A. cIↄ Iↄcc Iv.

V

FAmoſo illi & callido Maroccenſium Regi, cui Mulei Mahuchi in annalibus nomen eſt, tale ſemper dicterium, ſiue, vt vulgo loquimur, ſymbolum in ore fuiſſe, accepimus: idem fere faciendum magiſtratibus eſſe, quod hortorum cultoribus: plantas nimirum vtiles colere ac ſeruare; noxias vero tollere & extirpare adſuetis. Id quod pulchra non minus, quam appoſita ad rem eandem imagine, in Regum Benomotapanorum inſignibus expreſſum habetur: dum vſitatus olitoribus ligo, ex argento paratus, manubrioque eburneo exornatus, Oſorio inter alios teſte, in illis repraeſentatur. Neque aliud vero, his, exterae quidem, ſed profundae ſimul ſapientiae inuolucris, docetur, quam quod in libris noſtrorum politicis, multo apertius ac diſtinctius traditur: debere videlicet eos, qui rebus publicis praeſunt, incorruptos iuſtitiae arbitros atque cuſtodes agere; cuius adminiſtratio duabus his partibus continetur: vt & ſalus bonorum ac ſtudium prouehatur; & malorum improbitas, nocendique libido coerceatur. A priori officii

genere, quod in proborum tutela ac de-ſenſione eſt ſitum, vt ordiamur; procul dubio decantatum illud Platonis, atque ex hoc, Ciceronis praeceptum, tenere moderatorem reipublicae ac ſequi oportet: quo ſuorum vtilitatem ſic tueatur & curet; vt, quaecunque molitur & agit, oblitus quaſi commodorum ſuorum, referre ad eam, velut ad ſcopum atque vnicum finem, ab omnibus iudicetur. Quemadmodum enim tutores in rem tantum pupilli, atque vt eius ſeruiant rationibus, conſtituti ſunt: ita, vt nominati a nobis Tullii comparatione vtamur, procurationem etiam rei communis, ad vſum atque emolumentum eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, adminiſtrari ac geri oportet. Hi igitur tales, in cunctis deliberationum actionumque generibus praeſtare ſe debent; vt patres ſe eſſe ſuorum ciuium, non tirannos; ac ſingulare Numinis immortalis beneficium exhiberi reipublicae in ſuis perſonis, non vindictam aut noxam intendi, ipſo facto, & ex omnium voto commonſtrent. Niſi enim hac ratione, & benefaciendi ſingulis voluntate, amabilis iuxta & venerabilis eſſe ſtudeat, qui ſummae rerum praefectus eſt; nullum is vnquam amorem, nul-
lam

Iam ab aliis venerationem, quodcunque tandem adhibuerit philtrum, aut carmen veneficum, obtinebit. Neque ob aliam cauſam, Tito illi, Veſpaſiani filio, id felicitatis & gaudii obtigiſſe, eſt proditum, vt amor ac deliciae, non ſuorum tantum, ſed humani etiam generis, vocaretur; quam quod ſe facilem omnibus ac benignum praeberet: & eo vnice die ſe imperaſſe, profiteretur, quo inſigne aliquod, ſui in ciues fauoris & gratiae, documentum extaret. Quamuis igitur, ſicut in familia patri, ſic in republica magiſtratui, exoptandum maxime foret, vt mitem ſe ſemper ac bonum praebere, nec verberibus vnquam & flagris ſaeuire, per officii rationem liceret; at accidit tamen, vt ſeruari ſaepius probi piique haud poſſint, niſi improbi, pernicioſique ceteris mortales plectantur. Atque tunc chirurgorum filios imitari oportet, qui recidunt putridum membrum ac tollunt, ne pars ſincera & ſana detrimenti aliquid patiatur. Hanc vtique primam conſtituendarum, vetuſtiſſimis temporibus, ciuitatum, creandorumque magiſtratuum cauſam fuiſſe, Herodotus auctor eſt; in promtu vt forent, qui violentiam ac nequitiam coercerent, probosque ab improborum iniuriis tue-

 rentur.

rentur. Ita igitur bonitati ſtudendum eſt, ne detrahatur iuſtitiae: atque ſic ſtatuenda poenarum exempla, ne frui aut triumphare noſtrorum ſuppliciis, videamur. Ita, inquam, reipublicae praeſes diuinum Auguſti imperatoris elogium, quo magiſtratus, amore ac iuſtitia, Deos fieri, affirmauit, inſtitutis pariter factisque praeclaris, merebitur. Hic propterea portus futurus eſt, quo, concordibus nuper ſuffragiis lectus, academiae noſtrae Prorector, Vir conſultiſſimus D. ADRIANVS BEIERVS, Iureconſultus & anteceſſor optime meritus, totum regiminis ſui curſum dirigere, ſemeſtri hoc annitetur. Veſtrū pariter erit, o ciues, ventura proxime Iouis die, auſpicio eius ſollemni, recitationique illorum, quae legum & ſtatutorum praeſcriptis continentur, eo animo atque inſtituto adeſſe; vt proponendis non poenis, ſed praemiis, cauſas ipſi occaſionesque inpoſterum praebeatis. P. P. ſub Acad. Sig. Calendis Februar. A. O. R. MDCCV.

VI

SIcut miro ſuffragiorum concentu nouiſſime deſignatus, ita ad ſextam iduum, iam ineuntis auguſti, Prorectoris

ris inſignibus atque honoribus decorandus eſt, Vir experientisſimus, D. GEORGIVS GVOLFFGANGVS VVEDELIVS, ſereniſſimorum Saxoniae Ducum conſiliarius atque archiater, nec non medicae artis profeſſor, doctrina & meritis celebratus. Ea quippe in athenaeis illuſtribus introducta eſt conſuetudo: vt magiſtratus academici onus, ſuo ordine, in ſe ſuſcipiant vniuerſi, cui vnius fortaſſe humeri haud ſufficerent. Neque vero medendi artificem rei publicae praefici, res inſolita; forte, aut abſona, illis videbitur, qui, ſummos quondam imperiorum moderatores, partim praecipuos in ciuitate honores medicis tribuiſſe; partim ipſos medicinam feciſſe, ex hiſtoriarum monimentis perſpexerint. Circumfertur adhuc Perſarum monarchae, Artaxerxis, ad Hyſtam, Helleſponti praefectum, epiſtola: in qua principem huius artis, Hippocratem, tum inuidendis muneribus inuitari, tum parem honore, primariis tunc in Perſide viris eſſe, iubebat. Conſtat quoque, Antonium Muſam, qui Auguſtum Caeſarem ex graui atque ancipiti morbo ſeruauit, edicto Imperatoris, annulo aureo, ac equeſtri dignitate donatum; quin ſollemni ſtatua, iuxta Aeſculapii ſignum

locata, cohoneſtatum fuiſſe. Fuit porro, qui, illuſtriſſimis Comitum, viros medicos coaequatos olim fuiſſe, e funebri quadam oratione Caeſarii, eque titulis iuris ſe euicturum, ſponderet. Omni autem dubio caret, magnos illos Hetruriae Duces, ex familia Medica oriundos, de ſuis his incunabilis, ſicut affectu, ita nomine gloriari. Quorſum referas, quod apud Aegyptios veteres, ex medicis ſacerdotes, ex ſacerdotibus reges euaſerint: & Indorum pariter, atque aliarum gentium more, nulli, niſi hac ſapientiae parte exculto, aditus aliquando ad regnum patuerit. Neque ignotum eſt eruditis, medicorum complures; prout Euſebii Graeci, Nicolai V, & Ioannis XXI exemplis apparet; ad celſiſſimum olim Pontificatus faſtigium productos fuiſſe. Mirum igitur non eſt, in praeclaram adeo, modisque haud vnis nobilitatam ſcientiam, magnos antehac imperatores ac reges, magno niſu incubuiſſe. Et ex caeſarum quidem corona, Auguſtos, Adrianosque ac Titos, Conſtantinos denique & Iuſtinos, hic nominaſſe ſufficiat. Ex Regio autem ordine, Mithridates inprimis, cui medicamentum debemus Mithridaticum, vna cum Attalo, illo Pergami monarcha, comparet

paret: quem non pauca in arte medica ſubtiliter inueniſſe, primumque in vſum reuocauiſſe, Galenus teſtatur. Si vero quis fuerit, qui medentium ſuccos ac herbas, & magiſtratuum faſces atque inſignia, parum inter ſe conuenire, ſtatuerit; ab illius ſententia nos adeo longe diſcedere & abhorrere fatemur; vt eum quam feliciſſime gubernare rempublicam, cenſeamus, qui quam maxime in veſtigiis medicorum inſtiterit. Quemadmodum enim corpus humanum, ſic ſocietas ciuium, ſuis morbis ac vitiis conflictatur: quibus obuiam eſt eundum mature; ne crudeliter nimis in reipublicae partes graſſentur. Hinc ferendis & exequendis legibus nihil aliud agit, qui ſummae rerum praefectus eſt; niſi vt imminentes morborum in imperio peſtes anticipet atque auertat. Quoties ergo plectendi ſunt improbi, atque a ciuitatum finibus ſubmouendi; toties ſane ad medicorum praeſcripta, res geritur: qui vrenda ac recidenda praecipiunt membra putrida; ne pars quoque ſincera & ſana trahatur. Porro tunc optime agitur de republica, cum, vt medendi artifices ſuam diaetam, ſic vitae ciuilis moderatores accuratam viuendi, ſuis ciuibus rationem praeſcribunt. Iam de electo

lecto nuperius Prorectore, eam ſpem expectationemque concipimus: futurum omnino, vt academiae non minus ſalutem, ſua opera ac prudentia prouehat; qui tot hominum ſanitatem ac vitam, ſalutari antehac arte ſeruauit. Veſtrum eſt ergo, Ciues cariſſimi, memoratam ſuperius iouis diem, hora ante meridiem X, in templo Paulino, piis precibus conſecrare; quarum ſumma futura eſt: vt & praepoſitus vobis magiſtratus bene imperet, & imperanti Vos illi bene itidem pareatis! P. P. ſub Acad. Sig. Domin. IIX poſt Trinit, A. O. R. cIↃ IↃCC v.

VII

DE numerorum viribus, ſiue, vt appellare aliqui malunt, myſteriis, quae vetuſtiſſimi ſapientum, atque in his, Pythagoraei inprimis, commenti ſint; ſi non omnibus conſtat, eruditorum vtique paucos latebit. Nam & numeros Diis dicabant; & Deum ipſum numerum eſſe, aiebant. Statuerunt quoque iidem, quarumcunque eſſentiam rerum in numeris ſitam eſſe, eque pari ac impari, hoc eſt, vt Auerroes interpretatur, ex materia & forma conflari. Speciatim homi-

hominem, per certos hebdomadum numeros, tum coire in maſſam aliquam, obſeruabant; tum in corpus effingi; tum hauſto exhinc ſpiritu, in vtero materno abſolui. Factum autem progreſſu temporis eſſe, legimus; vt, quum magna in omnem naturam vis contineri in numeris, crederetur; iidem hi numeri, ad explicandas atque illuſtrandas virtutes traducerentur. Vtque omnium domina ac regina virtutum, iuſtitia habebatur: ita numeros, in huius praecipue regnare natura, exiſtimabant. Porro gemina numerorum inter ſeſe ſimilitudo, ſiue, vt mathematici loqui ſolent, proportio obſeruatur: quarum priorem, quod eiusdem exceſſum numeri in numeris diuerſis proponat, arithmeticam, latine numeralem appellant. Qua ratione numiſmata quinque, eiusdem numeri differentia, tria ſuperant; quo decem & octo inter ſe dignoſcuntur. Quorum omnium inaequalis, vt patet, quantitas, vnitis tamen inter ſe numeris, ſtatim aequatur. His proinde rationem iuſtitiae attemperaturi philoſophi; in contrahendis quibuslibet rebus, merces ac pretia, ita prorſus aequiparanda, praecipiunt; prout in comparationibus arithmeticis, idem plane attenditur numerus, cuius ope, diuerſi inter ſe nume-

numeri, velut per gradus quosdam adſcendunt. Quod ut docerent veteres; inter ſigna zodiaci, virgini, ſiue aſtraeae, libram atttibuerunt: quam, ſenſu eodem ſcilicet, transſiliri, Pythagoras ſummum nefas pronunciabat. Vnde primo, eoque aureo ſeculo; quo vilius longe, quam hodie, auro pretium ponebatur, omnisque adeo contrahendi ratio in permutatione rerum poſita erat; figulus tot ſartori ollas reddebat, quot earum, aequando veſtium pretio, ſatis eſſe exiſtimabantur. Ex quo autem magis magisque auri fames inualuit, rerumque inter ſe tradendarum translatio nimium grauis eſt viſa; vt aequale pretium merci efficeretur; nummus repertus eſt, vice numeri accurate perfungens. Sicubi autem, velut in arithmetica ratione, numerus numerum aliquantum excedit, ita in pactionibus, damnum ac lucrum extiterint; ibi iudicis erit, denuo ad arithmeticorum exemplum, tantum laedenti adimere, quantum tribui laeſo, aequitas iubet. Propterea vltor Deus iniuriarum, educturus populum ſuum ex regno Aegypti, huius ſeruitia, ablatis hoſtium vaſis, rependi, grauiter imperabat. Datur vero & alia inter numeros comparatio, quam proportionem geometricam ſalutamus: in

qua

qua non idem omnino numerus, ſed multorum capacitas numerorum reſpicitur: quorum primus ſecundo toties ineſt, quoties nempe in quarto tertius continetur. Quemadmodum aſſes duo ab aſſibus quatuor, & hi viciſſim ab aſſibus octo, altero tanto ſuperari videntur. Haud abſimili ratione, vt communibus in republica bonis & malis plures vtantur; non tam numerus ſociorum, quam habilitas eorundem conſideratur. Si quis itaque fuerit, qui duos poſt ſe ſuperſtites ſeruos, pumilium vnum, gigantem alterum, ex ſua ali hereditate, ſanciuerit; ea quidem ciborum ac potuum portione, qua ad nauſeam vsque appetitus pumilionis explebitur, vix famem a ſe, vaſti adeo corporis gigas depellet. Leges igitur, atque interpretes legum, iudices, ſubuenire neceſſe eſt: qui, geometrarum ſecuti veſtigia, tanto plus alimentorum giganti porrigi, quam nano, iubebunt; in quantum ſtatura pumilii infra gigantei corporis molem deprimitur. Eadem vero haec ratio geometrica in publicis praemiis, inque oneribus diſpenſandis, ſeruatur. Atque tunc demum in rebuspublicis omnia ex voto ſuccedent; ſi idem in illis, quod in humani corporis machina, prorſus ad mathematico-

ticorum regulas facta, vſu veniet: cuius membra, conuenientem ſibi alimonii partem trahentia, ſuis ſingula muniis perfunguntur. Quorum omnium ratio, quanto rectius certiusque, Viro ampliſſimo, GEORGIO ALBERTO HAMBERGERO, rerum naturalium & mathematum profeſſori ordinario, alumnorumque ducalium ephoro; qui concordibus nuper ſuffragiis, ad obeundum ſemeſtri, proximo Prorectoris officium, deſignatus eſt; ex numerorum, quam profitetur, ſcientia, explorata erit; tanto ſpem certiorem concipimus, omnes iuſtitiae numeros dextre eum ac ſedulo impleturum. Veſtrum iam erit, o Ciues, ventura proxime iouis die, peragendis in templo, magiſtratus inaugurandi ſollemnibus, ita adeſſe; vt, fuſis ad Deum, pro ſereniſſimorum Principum atque academiae huius ſalute, precibus, praelegenda tunc temporis ſtatuta ac leges, hoc eſt ipſius iuſtitiae inſtituta, in numerato veluti habeatis. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. ſeptuageſ. A. O. R. cIↃ IↃCC VI.

VIII

VIII

Apud Plutarchum, quem opinionum priſcarum ac memorabilium nihil temere fugiebat, Siſyphus quidam introducitur, mira quaeuis de Deo, eiusque cognitione & cultu, ſuauiter comminiſcens. Principio rerũ, vitam homines feram atque incultam, ad modum belluarum egiſſe, affirmat; donec leges iniuſtitiae vim reprimerent; atque animos ab importuna natura ad ſtudia honeſtatis traducerent. De cetero cum aperta quidem facinora interdictis ac poenis cohiberentur; ſed occulta interim ſcelera a pluribus patrarentur; tum prodiiſſe hominem callidum, qui Deum exiſtere, & intueri omnia atque vlciſci, perſuadendum mortalibus, magno rei ſucceſſu, exiſtimaret. Equidem quae de ortu religionis, quam non in veteratoris cuiusdam cerebro natam, ſed a ſanctiſſimo Numine inſtitutam, didicimus, a Siſypho afferuntur; ea minime comprobamus, nedum defendimus. Paullo aliter tamen dicendum de illis, quae de natura religionis ac vi, huius fabulae inuolucris teguntur. Quodſi enim vltorem ſcelerum, Deum, aut non agnoſcerent homines, aut agnitum non metuerent; pluri-

mi certe ab vllis vix abhorrerent flagitiis, quae in lucem proferri, aut vindicari non poſſe, confiderent. Vnde turbari omnia in republica, atque funditus interire, contingeret. Quamobrem in Graecorum legibus primam, cultum Numinum praecepiſſe; atque Romuli inſtituta hoc initii habuiſſe: Deos patrios colunto: relatum accepimus. Neque aliquid vſitatius erat paganis, quam vt rebus religioſis, ad continendam in officio multitudinem, tanquam habenis ac vinculis, vterentur. Prout apud Romanos Numa Pompilius; & apud Spartanos Lycurgus, neſcio quod, cum Diis Deabusque colloquium, atque initam cum ipſis ſocietatem, callide & perite fingebant. Quo eodem fortasſe conſilio, apud Mahommedanos, caput ac princeps religionis, Muphtis aliquis ab Imperatore delectus eſt: qui quantumlibet ſummae rerum ipſe non praeſit; neque ciuibus aut militibus imperet; ab omnibus tamen, de aliqua lege quaerentibus, inſtar oraculi conſulatur. Quodſi vanis ac ſtolidis ſuperſtitionibus, ad regendum incredulorum etiam vulgus, tantum virium ineſt; quid noſtram quaeſo religionem: quae diuinioris ſapientiae theſauros recludit; quaeque aeter-

ter-

terno hominum redemtore, tanquam ſundamento innixa, viciſſim verioris in Deum pietatis, omnisque in vita officii fulcrum exiſtit; in animis Chriſtianorum non poſſe, putabimus? Nulla enim in ciuitatibus actio tam laudabilis, nulla virtus tam neceſſaria dici poteſt; ad quam ea non excitet, torpentesque hominum mentes inflammet. Quodſi igitur amor aduerſus ſuperiores ac beneuolentia poſtuletur? haec, ſalutem ciuium a ſecunda illorum fortuna pendere; felicitatemque ipſorum aſſiduis Deo precibus commendandam, demonſtrat. Si dignitatem imperantium honoremque reſpicimus? quid noſtra non agit religio, vt, viuam Dei imaginem in rerum moderatoribus effulgere, oſtendat? quam ipſe cuſtodiendam; quam illuſtrandam; quam, ſi contemta fuerit, vindicandam in ſe ſuſceperit? Quodſi voluntatibus atque legibus magiſtratuum obſequendum ſit? rurſus ea nos, manu veluti apprehenſos, ad Deum deducit: a quo illi ad hanc primitus poteſtatem euecti ſint; & cuius ipſi propterea vices in rebus publicis adminiſtrent. Ac ne aliquid deſit eorum, quae, currere in hoc ſtadio renuentibus, calcar adiiciant; eadem haec religio, perfectisſimum Chriſti ex-

emplum, inque amandis & obſeruandis magiſtratibus inſtitutum proponit: quem ſequi perpetuo Chriſtianos in hac vita oporteat; vt eius olim humeris in coelum tollantur. Quas & alias religionis noſtrae virtutes, Carolus ille, re & nomine magnus, cognitam ac perſpectam habebat: qui peruicaces Saxonum animos cum nulla armorum vi frangere, nulla poenarum magnitudine emollire valeret; conſtitutis a ſe praeſulibus id negotii dabat: vt eos in Chriſtianorum placitis erudirent; & amabili potius ſeruatoris nomine, quam rigore imperii vterentur. Succedebat conſilium: & qui ferro adhuc domari haud poterant, illi victas religioni manus dederunt. Videtis ita, o Ciues, quae vos auſpicia ſequi conueniat; quando Vir maxime reuerendus, MICHAEL FOERTSCHIVS, ſanctae theologiae Doctor ac profeſſor primarius, nec non ordinis ſui ſenior, dignitate ac meritis celebrandus; qui ad gerendam Prorectoris prouinciam, ſenatorum ſuffragiis nuper delectus eſt; ventura proxime Iouis die: quam ſancte, & fuſis pro ſereniſſimorum Nutritorum ſalute, ac totius academiae flore, ardentisſimis precibus, vna cum Patribus celebrabitis; in templo Paulino, faſces, & ma-

& magiſtratus academici ornamenta ſuſcipiet. Veſtrum ſcilicet erit, vt inſtitutis Chriſtianorum coeleſtibus vos dignos probetis; quaeque ab horum religione haud abeunt, leges, vitae honeſtioris cultiorisque propoſito exprimatis. P. P. in Academia Ienenſi, Domin. IX poſt Trinit. A. O. R. cIↄ Iↄ cc vI.

IX

GLorioſa res eſt, Iurisconſultos, in digeſtorum initio, a iurisconſultorum principe, Vlpiano, vt ſacerdotes iuſtitiae, aeſtimari & coli: quam, Themidis atque Aſtraeae nomine, a Graecorum & Romanorum vatibus celebratam, & inter ſidera ac Deas relatam, meminimus. Iſta igitur, qualis fortaſſe ab Vlpiano creditur, Dea, quibus ſe rebus, quibus actionibus honorari gaudeat; id, ſi eundem hunc iuris interpretem audiamus, nullis rectius patet, quam qui legum, quibus totius iuſtitiae ratio continetur, ipſorumque adeo legislatorum ſententiam prae ceteris aſſequuntur; &, quo haec vsque procurrat; quando item extendere eam, aut contrahere par ſit; tanquam aliqui iuſtitiae vates, explanant. Et iſtud qui-

dem iuris interpretandi, deque eo quaerentibus, inſtar Pythiae, reſpondendi officium, iureconſultis proprium eſſe; tum ipſa eorum appellatio docet: tum & illorum temporum teſtimonio conſtat, quibus eſſe primum & nominari iureconſulti, poſt latas in imperio leges, coeperunt. Sed nulla adhuc ciuitatis Romanae aetas extitit, vbi non inſtitutis quibusdam, ſalus ciuium, atque publicae rei maieſtas contineretur. Et vrbis quidem initio, regis vnice iuſſa valebant; donec primae leges a Romulo, aliaeque deinceps ab aliis regibus, ad retinendam in obſequio multitudinem, conderentur. Abrogatis regibus, ius duodecim tabularum a decemuiris promulgatum; plebisque & magiſtratus auctoritate, conſtitutiones fere innumerae introductae ſunt. Ex quibus poſtea fontibus ius iuſtinianeum, atque integra legum diſciplina manauit. Quamuis autem in medio poſita, publicisque proſcripta tabulis iura, haud difficulter in notitiam omnium, omni tempore peruenirent; attamen ſenſus ſtatutorum ambiguus, & priſcis ſubinde vocibus atque moribus inuoluta oratio, lucem legum eripiebat oculis ciuium; vt opus eſſet proinde cordatioribus viris, quorum interpreta-

pretamentis, omnis obſcuritas, offuſaeque legibus tenebrae tollerentur. Apud Graecos equidem, ac praeſertim Athenis, oratores forenſes, accepto a clientibus praemio, quicquid in ſe erat ingenii, id ad iura ambigua, ex ſuo atque ſuorum commodo exponenda, & ad deliniendos iudicum animos, conferebant. In republica autem Romana, maior muneris huius grauitas, maior dignitas erat: legumque interpretationes, primum a pontificibus, tanquam oracula edebantur: progreſſu vero temporis, ab illis tantum ſuſcipiebantur, quibus eam auctoritatem ſpectata iam pridem ciuibus ſapientia ac virtus impertiebantur. Tales tantique igitur viri, ſola iuuandi informandique alios cupiditate incenſi, principio, ſponte ſua ſe ciuibus ad reſpondendum praebebant: ac vel domi ſedentes, vel deambulantes in foro, vel curias & iudicia obeuntes, cunctis ſe appellanlantibus conſiliorum ſuorum copiam faciebant. Primus deinde Auguſtus, inauditi antehac moris, non priuato arbitrio, ſed data a principibus facultate, reſponſa reddendi, auctor extitit: eumque primo honorem Maſurio cuidam Sabino largitus eſt. Ex quo tempore, iurisconſultorum reſponſa, ipſis quoque iudicibus pro lege fuerunt; quamuis diu an-

tea, & continuò poſt allatas ex Graecia literas, eorundem ſententiae ſcripto mandari, controuerſiarumque norma haberi, meruerint. Quod ſcripturae equidem genus, incondite, ut ſolet, primum, & ſine arte fiebat. Qualem ſcilicet rationem Tiberius ille Coruncanus inibat: qui excepta a diſcipulis ſuis reſponſa, princeps omnium, poſteritati reliquit. Interiecto tempore, Seruius quidam Sulpicius, iſtius gloriae fructum tulit: vt maius, quam veteres, artificium, tradendis iurisprudentum placitis, adhibuerit: & compoſitis rerum huc relatarum generibus, diſtinctisque partibus, iuris ciuilis, conſtanti ratione docendi, tam aequalibus ſuis, quam poſteris, facem praetulerit. Magna ſunt vero atque praeclara in rempublicam beneficia, quae, inde a prima eius origine, iuſti ac aequi ſcientiae, ex iurisconſultorum ſententiis, eo, quo, aliorum ad ductum, id expoſuimus, modo enatae, atque ad nos adeo propagatae, debentur. Neque minor proinde gratia illis habenda eſt, qui eam, ante tempora Ciceronis incultam, ſuperſtitioſisque potius formulis, quam humanitatis legibus nixam; poſtea autem, longe, quam olim, venuſtiorem,

rem; ductisque ab aequitate, aque publico vſu, interpretationibus temperatam; ſub Auguſto inſuper, ea, quam requirebat adhuc, auctoritate munitam; Iuſtiniani denique, ac principum aliorum auſpiciis, ad hoc perfectionis culmen euectam; magno adhuc ſucceſſu excolunt, atque publico bono ita applicant; vt acquiſitum antehac armis imperium, iuris commercio atque legibus, in hunc diem vsqve ſeruetur. Quos atque complures alios, diuinae iurisprudentiae fructus, nobilisſimi Iureconſulti, D. IOANNIS BERNHARDI FRISII, hereditario nomine Poeſenam tenentis, Parentique noſtro gratioſiſſimo a conſiliis aulae ſanctique concilii, nec non anteceſſoris praeclare merentis, adminiſtratione academica; quam, de publica ſenatorum ſententia, ad proximum iouis diem, in templo Paulino auſpicabitur; vt omnis literatorum ordo percipiat: vtque porro a sereniſſimorum Nutritorum ſalute, academiae pariter ſalus dependeat; vna nobiscum, ciues carisſimi, ſanctis a Deo precibus impetrabitis. Nouum de cetero Prorectorem, tanquam virtutis ac iuſtitiae ſacerdotem, legumque tunc recitandarum cuſtodem, in

 ho-

honore poſthac decenti habebitis. P. P. ſub Acad. Sig. Domin. IV. poſt Epiphan. A. O. R. cIↃ IↃcc vII.

X

QVod laetum auſpicatumque rei literariae futurum, ſperamus; in Prorectoris nunc locum, de ſapientiſſima ſenatorum ſententia, euehendus eſt Vir experientisſimus, IOANNES ADRIANVS SLEVOGTIVS, artis medicae Doctor, ac profeſſor rectisſime meritus; & ſicut in aliis, ita in illa etiam diſciplina praeclarus, quae ſecandorum corporum rationem inire, abſtruſasque latebris partes manifeſtare conſueuit. Sine cuius ſcientiae lumine, caecutire medicos; &, vbi vel ſita ſint viſcera; vel quo morbo vexentur; vel quid ipſis remedii adhibendum ſit; ignorare oportet. Nulla igitur aetas ſilebit, ſiue Herophili illa, ſiue Eraſiſtrati merita: qui omnem philoſophorum, medicorumque veterum, audaciam ſupergeſſus, ad incidenda humana etiam membra, inueſtigandamque noſtri corporis fabricam, primum poſteris ſignum tollebat.

lebat. Nobis, aemulum illis anatomicum, magiſtratus inſignia capientem, cernentibus, nunc in mentem id venit, quod apud Plutarchum, ſcriptorem grauiſſimum, extat; & quo artis iſtius magiſter, a corporum humanorum notitia, ad ſapientiae ciuilis arcana deducitur; eque theatro, in lucem reipublicae quaſi protrahitur. Hoc autem omne illuſtri aliqua comparatione abſoluitur: qua, quemadmodum ciuitas vniuerſa quam proxime ad corporis humani compagem accedere, perhibetur: ſic magiſtratus capiti; ciues auribus; miniſtri autem ac ſerui manibus atque pedibus; homines porro afflicti capillis; amor denique, quo magiſtratus ac ciues ſe mutuo complectuntur, collo ſimilis eſſe docetur. Quae profecto non tam ſimilitudo, quam quoddam oraculum ſapientiae eſſe videtur; neque aliud quicquam, ad intelligendas reipublicae partes, earumque officia explicanda, accommodatius dici poſſet. Quid enim moderatores imperii, niſi capita eſſe, pronunciemus? quae in ſublimiore poſita loco, partes ceteras, dignitate atque virtute, longiſſime poſt ſe relinquunt; facultatibusque ac membris inferioribus in-

imperant, atque ſpiritum & vitam conſeruant? Optime ergo ſaluti ſuae conſulunt ciues; ſi idem cum auribus faciant; dictaque ſuperiorum excipiant, quibus a ſuo quisque periculo ac interitu auocetur. Illi porro, qui in conſilium a regnantibus adhibentur, & oculorum inſtar ſe habent, dum ſubiectorum omnium bono proſpiciunt; & lingua, inſtrumento facundiae, indigent; & publice profutura conſilia, ex corde, ſapientiae ſede, depromunt; & oſſa praeterea repraeſentant, quibus integrum corpus, ſiue totius reipublicae moles, ſuſtineatur. His autem opitulantes miniſtri, per manus iuxta & pedes a Plutarcho notantur; quia illarum beneficio, arma ipſi in hoſtes ac ſontes expediunt; Sicut horum ſubſidio, ea obeunt loca, quo ſuperiorum imperia perferre oportet. Quibus omnibus officii ſui partes implentibus, & ad tuendam iuſtitiam conſpirantibus; haud fruſtra deſiderabunt auxilium, qui iniuria lacerati ſunt, & quorum miſeria a Plutarcho, miſerorum ſimiliter habitu, paſſis ſcilicet crinibus, adumbratur. Quod ſi igitur leuabunt afflictos, qui reipublicae praeſunt; ac, ne quis faciat alteri, quae ſibi fieri ipſe, recuſet, ad Alexandri Seue-

Seueri exemplum, in viis quaſi publicis ſcribi, & proclamari iubebunt; tunc verum ipſi experientur & iſtud, quod a Plutarcho adiicitur: amorem videlicet illud vinculum eſſe, quo, quemadmodum caput corpori, beneficio colli cohaeret; ſic magiſtratus ac ciuium animi inter ſeſe deuinciantur. Breuiter perſecuti iam ſumus, quibus vaſti alias libri implentur: de quibus tamen ſilere, nefas duximus; quando publica Prorectoris creatio ſileri non debet. Cui ad proximum Iouis diem, hora ante meridiem decima, in templo Paulino, non ſine ſinceris, pro ſalute glorioſiſſimorum Principum, votis, atque ſic intereſſe Vos volumus, Ciues optimi; vt ex philoſophi Chaeronenſis praeſcripto, nouum academiae moderatorem, capitis inſtar colatis; ipſi vero imaginem aurium induatis; legumque tunc recitandarum auctoribus & cuſtodibus, nunquam non dicto audientes vos praebeatis. P.P. ſub Acad. Sig. Domin. VI poſt Trinit. A. CIↃ IↃCCVII.

XI

PRaeſidem illum Muſarum, Apollinem, infinitis fere elogiis cohoneſtant poetae, & his veluti inuolucris, multa arcanae ſapientiae capita, more ſuo, occultant: in quibus habendum & iſtud, quod paſtorem eum atque cuſtodem ouium paſſim appellant. Dantur quidem ſcriptores, qui non fingendi gratia, ſed proprie a poetis haec dicta, exiſtimant: eiectumque ex coelo Apollinem, miſerumque & exulem, eo redactum paupertatis fuiſſe, vt ſuam Admeto, Theſſaliae regi, operam, in paſcendis ouibus atque armentis, addixerit. Quae vt ſatis ſibi non conſtant: ita verius ſentiunt, qui Apollinem, ſenſu eodem, magiſtrum ouium nuncupari, euincunt, quo rectores rei publicae, populorum paſtores atque cuſtodes, ab Homero dicuntur. Vnde allatam antea fabulam ita interpretantur: extitiſſe olim Apollinem regem Arcadiae: cumque ſeueriorem ſe in regnando praeberet; pulſum a ciuibus improbis, eque regio dignitatis faſtigio ad vitam priuatam, tanquam e coelo in terram, deiectum fuiſſe. Cui propterea, ad amicum ſibi, Admetum confugienti, is honor a rege ſit habitus: vt homini-

bus,

bus, circa Amphryſum flumen habitantibus, imperaret. Non enim magiſtrum pecorum, ſed principem obiiſſe, vel vnius Herodoti fide firmatur. Vnde mirari quis poſſet, ſummum gubernatorem reipublicae, qualis Phoebus deſcribitur, humili atque contemto paſtoris nomine, a poetis traduci; niſi alia multo, ac hodie, rei paſtoralis facies, temporibus illis poeticis extitiſſet. Nam cum omnem pecuniam, totumque peculium ſuum a pecudibus olim cenſerent, & ex iis ſolum ciuitates ditari, ſtatuerent; propterea oues in tanto tunc pretio habebantur; vt ipſa quoque imperia ab ouibus & agnis portendi, exiſtimarentur. Diadumeno profecto ac Getae, ab ouibus olim purpureis atque aureis, praedictum veluti regnum fuiſſe, hiſtoricorum illius temporis monumenta teſtantur. Neque igitur infra magiſtratuum dignitatem putari poterat appellatio iſta paſtorum: quin tanto ea concinnior videbatur; quoniam ſui omnes officii per eam admonerentur. Neque alio inſtituto poetae, ſuum Apollinem paſtorem dixerunt; niſi vt omnibus eum virtutibus atque laudibus cumulatum oſtenderent. Talem ſcilicet moderatorem imperii, in Muſarum hoc Deo, de illorum ſententia, noſtris

noſtris animis concipiamus, oportet; qualem cuſtodem ouium eſſe decet. Cui ſicut tutela ouium, cuſtodiaque & cura, dies noctesque incumbit: ita curaſſe Apollinem in republica omnia, ac prouidiſſe ex aequo omnibus, & excubias pro ſalute omnium de nocte egiſſe, cenſebimus. In eo autem cum eſſet; duplex veluti pedum, paſtoris inſtar, gerebat: quorum vnum iuſtitia, alterum bonitas, in diuinis quoque oraculis nominatur. His enim virtutibus totam contineri rempublicam: & clementia quidem, in ciuibus bonis amorem; ſeueritate vero pudorem ac metum in hominibus improbis, excitari ſciebat. Ita ergo, exemplo paſtoris, & erigebat afflictos, & fortunam ſtatumque omnium ſaluum praeſtabat. Quodſi interim tam peruerſae aliqui mentis eſſent; iuſtitiae vt praeferrent proteruiam, luporumque rapacium prauitatem ac libidinem aemularentur; eos plagis atque animaduerſionibus a grege arcebat. Porro & id paſtoris officium Apollo implebat, quod in paſcendis reficiendisque ouibus ſitum eſt; quum doctrinis iuxta & legibus, ſubiectorum animos ſatiaret; deque iſtorum ſubſidiis neceſſariis ſapienter omnia ordinaret. Sicut vero hac ratione paſtorem; ita & ducem ſe
ouium

ouium, Apollo praeſtabat, praeſtare certe debebat: relinquendo videlicet ciuibus virtutum laudatiſſimarum exempla; & agendo omnia, quae agenda aliis imperabat. Ceterum in his inſtitutis paſtoralibus, hunc populorum paſtorem, Apollinem, cuius magnum adeo in poeſi eſt nomen, imitari poſthac ſtudebit Vir ampliſſimus, IOANNES GEORGIVS MVLLERVS, poeſeos in hoc prytaneo profeſſor ordinarius; ciuitatis academicae faſces, ad quos, concordibus ſenatorum vocibus nuper delectus eſt, futuro proxime iouis die, in templo Paulino, ſollemniter accepturus. Veſtra intereſt, Ciues, prorectorem hunc veſtrum, haud ſecus atque paſtorem aliquem, obſeruare & ſequi: quod niſi faciant oues; multis periculis, multorumque iniuriis exponuntur. Quae Vos vlterius deceant; recitandae tunc leges academicae inculcabunt. Quas propterea, comparato ad obſequium animo, conceptoque pro sereniſſimis earundem auctoribus, atque academiae totius conſeruatoribus, voto, attente ac pie auſcultabitis. P. P. ſub Acad. Sig. Domin. Septuageſ. A. O. R. cIↄ Iↄcc vIII.

XII

HAeſitarunt nonnulli, vtrum homines ſacri conſiliis publicis intereſſe, aut omnino ad clauum reipublicae admoueri deberent? quoniam metuendum videlicet eſſet, ne profanis diſtricti negotiis, coeleſtia ac diuina deſererent; ac ne etiam illa, praeſulum Romanorum exemplo, parum commode ac decore adminiſtrarent. De his atque ſimilibus malis, quae vel faſtus quorundam, vel imprudentia, ciuitatibus attulit, ſecuros eſſe nos iubet, Vir maxime reuerendus, IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS, diuinioris ſcientiae Doctor pariter & profeſſor, multis laudibus dignus, Prorectoris munere, in ſemeſtre hibernum, de communi patrum ſententia, perfuncturus. Quemadmodum enim publicae ſe rei peritum, cum in gerendo Halenſis academiae magiſtratu, tum in editis praeterea ſcriptis, probauit: ſic pietatis ſincerae ſtudio, quod & ipſe ſequitur, & diſcentibus ſequendum proponit, ſalutaria nobis omnia pollicetur. Ex hac enim virtute, omnis prudentia, imperiique tractandi ſolertia, tanquam ex fonte emanat: neque tam adamantinis illis vinculis,

culis, quae in comminationibus ac poenis conſiſtunt, quam amore & cultu diuino, & ſanctimonia vitae, respublicae continentur. Equidem cauſam illorum in praeſenti non agimus, qui cunctis promiſcue actionibus pietatis nomen imponere, ac ſuis etiam vitiis & criminibus hanc defenſionem praetexere conſueuerunt. Quemadmodum Ferdinandus, Hiſpaniae rex, quamcunque malitiam ſuam colore religionis tegebat: & ante illum Ieroboamus, ſimilem deceptoris perſonam, in Iudaeorum theatro agebat. Non ſancti profecto, ſed improbi; non pii, ſed peruerſi habendi ſunt, qui abuti religione ad facta nefaria, quam ad ſeruandam rempublicam vti, ſatius arbitrantur. Verum ergo & incorruptum penitus pietatis propoſitum in magiſtratu laudamus; quali ſcilicet Dauidem atque Ioſiam inclaruiſſe, accepimus; & ſine quo nulla prudentia, nec in regnando felicitas eſſe poteſt. Quemadmodum enim omnes rerumpublicarum euentus, tam aduerſi, quam proſperi, non niſi a Deo, vitae humanae arbitro, diſpenſantur: ſic gubernator imperii, res ex voto fluentes in caſſum ſibi promittet; niſi is fide & obſequio, Numen ſibi propitium & amicum

 reddi-

reddiderit. Omnis quidem imperantium pietas, non ad felicitatem terrenam, ſed coeleſtem, tanquam ad portum dirigenda eſt; neque homines per religionem cultumque diuinum, aliquid promerentur. Solet tamen ſapientisſimus Deus haec veluti praemia atque ornamenta magiſtratibus probis adiicere: vt omnes ipſis virtutes, & adminicula, quae ad imperandum ſunt neceſſaria, largiatur: vtque ciuium animos ad cultum & obedientiam flectat; atque ita res ordinet, quo omnia recte ac proſpere in ciuitate ſuccedant. Hoc autem non ſacra tantum oracula, & exempla illuſtria, paſſim confirmant; ſed ipſi quoque poetae huc reſpexiſſe videntur: quando aurei aeui hominibus ver aeternum, creſcentesque perpetuo flores ac fructus, atque omnia bona, hac nimirum de cauſa, obtigiſſe, affirmant; quoniam ſponte ſua tunc omnes fidem rectumque coluerint. Ita quippe exiſtimabant: non poſſe non Deum ſanctisſimum illorum fortunare labores atque conſilia, qui ad innocentisſimos mores omne ſtudium conferant, atque toto pectore ſempiterni Numinis cultum ſequantur. Cum proinde ad proximum iouis diem, laudatus ante BVDDEVS, in

in aede Paulina, magiſtratus inſignia capiet; veſtrum erit, o Ciues, duce, ac myſtagogo veluti, Prorectore hoc veſtro, in auguſtisſimum pietatis delubrum ingredi; & quae quantaque illius ſit vis atque poteſtas in republica, ſolicite contemplari. Quibus porro haec actibus coli gaudeat; ſicut ex academiae huius ſtatutis tunc haurietis: ſic eorum auctores ac vindices, ſereniſſimos Nutritores, illi principum principi, Deo, religioſis precibus, ita, vt par eſt, commendabitis. P. P. ſub Acad. Sig. Domin. IX poſt Trinit. A. O. R. cIↃ IↃcc vIII.

XIII

INter varia antiquitatis reconditae monumenta, quae ius Iuſtinianeum, velut locuples doctrinarum theſaurus, pasſim complectitur, peropportune in mentem nunc venit illius: quod, quoties fere mentio ſit eorum, qui adminiſtrandis iudiciis praeſunt; non ambulantes illi, aut ſtantes; ſed, tanquam hoc proprium ac peculiare iudicibus foret, ſedentes repraeſentantur. Hoc videlicet moris erat apud Romanos, vt iuſtitiae o-

lim antiſtites certam in iudiciis ſedem caperent: cumque duplex exiſteret genus iudicum, maiorum atque minorum; illi in ſella curuli, hi in ſubſelliis iudicarent. Atque idem, ſeu ſimile aliquid, in caſtris inualuiſſe; vel vnius Scipionis exemplo, ſedentis habitu ius militibus tribuentis, intelligitur. Enimuero conſuetudinis huius tanta religio erat; vt aliquando ſententia, quam a iudice, ſtando, non ſedendo proferri, contingeret; obſeruatore Bonifacio, nullius eſſe ponderis cenſeretur. Quae res mira fortaſſe, ac ſuperſtitioſa nimium credi poſſet; niſi ſedendi hic ritus ab antiquiſſimis gentibus ad Romanos fluxiſſet. Quis enim Minoa & Aeacum in poetarum carminibus ſedentes deſcribi? quis vetuſtiorem his omnibus Moſen, a prima die ad vltimam, cognitorem cauſarum, in Iſraelitarum corona conſediſſe, idemque cum eo iudices ſequaces feciſſe, ignorat? Quin aeternitati quodammodo conſecrandum hunc morem, & ipſo orbe duraturum diutius eſſe; ex eo quis forte coniecerit: quoniam Chriſtus pariter, ac legati eius diuini, velut mundi iudices; ille nubibus, hi ſoliis inſidentes; in ſacroſanctis oraculis promittuntur. Neque igitur caſu ac temere id conſuetudinis

nis

nis genus inoleuiſſe; ſed, vt alias antiquorum cerimonias, ita etiam hanc, arcana aliqua expreſſiſſe, putandum eſt. Duo autem potisſimum inculcare veteres, ſeſſione hac iudicum, voluerunt: quantum in iudicandi munere dignitatis ac momenti ineſſet? & quaenam in perfunctione eius, ſequenda, quae fugienda occurrerent? Namque ſummum honoris apicem in iure olim ſedendi conſtitiſſe; tum ex ſacris Aegyptiorum literis, tum ex eo inprimis perſpicitur: quia hoc reges ac duces eximium prae hominibus aliis habuerunt. Conſidere enim in clypeo, ſoli imperatores ſolebant: neque aliter Salomonis maieſtas, quam ſolio regio inſidentis, deſcribitur. Quoties ergo iudiciorum arbitros ſedentes adſpicimus; toties illud obuerſari animo debet: nihil eſſe tam regium, quam iudicandi officio fungi; quippe quod ipſi olim principes ac reges obibant. Quin haec ipſa origo creandorum primitus regum extitit: vt, qui hoc ſummi honoris vocabulum vſurparent, ſuum cuique tribuerent, & innocentes ac laeſos a prauorum iniuriis tuerentur. Tanto igitur magis intereſt, vt iudiciorum moderatores, ad iudicandum idonei, & non minori ſapientia, quam grauitate ac religione conſpicui,

 ſpicui,

ſpicui, eligantur; ne tradita ſibi poteſtate, ad perſonae pariter ſuae, ac reipublicae ignominiam, abuti ipſos, contingat. Et prudentiae quidem documentum haud leue in iudicum ſeſſione haberi; vel ex Mineruae ſtatuis apud Euſtathium patet: quam ſedentis ſpecie artifices priſci formabant. Sedendo enim & quieſcendo ſagacitatem quandam animo addi, arbitrabantur. Huius autem virtutis praeſidio, ſi qui alii, egent iudices; vt in rebus iniquis iuſtitiam, in dubiis veritatem cognoſcant. Quod ipſum olim ſignificabant praetores, frontem, ſapientiae ſedem, inter iudicandum percutientes. Quemadmodum vero prudentiae, ita conſtantiae moderationisque indicium, ab actu illo ſedendi, capiebatur. Qua ratione Cicero Academicum ſuum iubet ſedere; vt quid ab ipſo ſtabilius diſſeratur. Magis quippe ſedato & compoſito animo eſſe ſolemus, quando corpus etiam quietum exiſtit. Perſedentem proinde in tribunali iudicem, ab omni perturbatione immunem, inque ſola iuſtitia ac veritate defixum, & immotum penitus eſſe, volebant. Quemadmodum enim ebrii falſum atque ineptum de rebus iudicium ferunt: ita idem euenit illis, quorum animus affectuum

aeſtu

aeſtu abripitur. Qamobrem Alphonſus, Arragoniae rex, hoc frequenter in ore dicitur habuiſſe: ſi contigiſſet ſcilicet ſibi, illis naſci temporibus, quibus respublica Romanorum florebat; e regione curiae templum ſe conſtructurum fuiſſe, Ioui poſitori dicandum: in quo iudices, ſuo iam munere defuncturi, odium & amorem deponerent. Reſtat pietas: quam eadem iudicum ſeſſione ſignificatam fuiſſe, nos exinde coniicimus; quoniam, qui preces olim ad Deum funderent, pari modo ſediſſe leguntur. Quod iudicibus tanto verius congruit; quanto de illis eſt notius: iudicare eos in ipſis etiam templis ſolitos; vt maiore Numinis metu percellerentur. Prout Homerus iudices, in Achillis clypeo ſculptos, in loco religioſo, ſedilibus ſaxeis inſediſſe, affirmat. Sed & iureiurando quondam obſtringebantur, penes quos ſtatuendi ius foret; vt conſiderarent ſubinde: teſtem ſibi ac vindicem Deum eſſe, cuius in iudicando vices obirent; & qui ſimiliter de ſe eſſet iudicaturus, prout ipſi de aliis iudicarent. Patet igitur, quam prudentem & grauem; quamque iuſtum ac pium haberi oporteat iudicem; quo ſui honorem officii tueatur. Verum

longe id clarius ſuo eſt probaturus exemplo, qui de ſapientiſſima Patrum ſententia, rerum academicarum poſtea iudex ſedebit, Vir conſultiſſimus, IOANNES PHILIPPVS SLEVOGTIVS, conſiliarius Saxonicus, iuriumque conſultus & anteceſſor, nec non ordinis ſui ſenior, grauitate, prudentia, ac religione ſpectatus; ad Prorectoris ſcilicet locum, ventura proxime Iouis die, in aede Paulina, ſollemniter euehendus. Sicut vero laudatus Iurisconſultus ſedendo, & ſaluti academicae conſulendo, impoſitas ſibi partes implebit: ſic veſtrum erit, carisſimi, more Romanorum ciuium, ſtare, hoc eſt, honorem & obſequium, tum ſereniſſimis Nutritoribus, quos ſaluos perpetuo ac florentes optabitis; tum Prorectori recenti, legum, dicto iam die recitandarum, cuſtodi, promte ac ſedulo exhibere. P. P. ſub Acad. Sig. Domin. Sexageſ. A. O. R. cIↄ Iↄcc lx.

XIV

INter Chemicae artis ſtatores, multum iam olim ſplendoris conſecutus eſt, Vir experientisſimus, GEORGIVS

VVOLF-

VVOLFGANGVS VVEDELIVS, Schvvarzae praedium hereditarium tenens, ſacrique palatii comes, Doctor item atque profeſſor medicus, nec non conſiliarius atque archiater, meritis ac doctrina egregius, omnium ſenatorum ſuffragio, in ſemeſtre proximum, ciuitati academicae praeſuturus. Qua nobis occaſione, vulgatisſima illa Chemicorum principia, ſalis, ſulphuris ac mercurii nominibus celebrata; ex quibus cuncta corpora coaleſcere, & in quae pariter ea reſolui, ſtatuunt; in memoriam reuocantur. Atque tria haec rerum ſemina auctorem Paracelſum habere, ideoque ab hoc ad Chemicorum ſcholas manaſſe, vulgo creduntur. Aliqui tamen huius inuentionis gloriam Baſilio Valentino atque Iſaaco Hollando vindicant: in quorum deinceps veſtigiis Paracelſus, & poſt ipſum complures inſtiterint. Quamuis autem elementorum iſtorum, vocabulis iisdem appellatorum, nulla mentio apud veteres fiat; vtrum tamen vel Paracelſus, vel Valentinus, tria haec nomina primus omnium introduxerit; an vtrique potius, a maioribus ſuis accepta, in vſum ſuum conuerterint? vix futurum eſt, vt quis accurate decernat; cum nec antiquorum omnium monumenta

menta ad nos peruenerint; & permulta Hermetici ſucceſſoribus ſuis per manus tradiderint. Quo proinde incertior principiorum iſtorum origo; eo certior contra illorum cognitio ac defenſio eſſe putatur; quandoquidem ipſis oculis pateat, partes illas, in quas a flamma & igne corpora reſoluuntur, alias apparere ſiccas & ſapidas; liquidas alias & incenſioni obnoxias; rurſus alias, & volatiles eſſe, & inflammari non poſſe: quarum priores ſalium; ſecundae oleorum ac ſulphurum; tertiae mercurii ac ſpirituum appellatione notantur. Sed horum omnium demonſtratio, a principibus etiam non raro ſuſcepta, a noſtro quidem propoſito paullo alienior eſſe videtur. Id nimirum in praeſenti agendum, vt, cuiusmodi virtutes & actiones hominibus literatis conueniant; ex Chemicorum hoc ſale, & ſulphure, & mercurio, colligamus. A primo horum elementorum, nempe a ſale, vt ordiamur; id ipſis olim Aegyptiis, totius Chemiae repertoribus, tanquam ſapientiae virtutisque imago praedicabatur. Quemadmodum enim ſapores corporum a ſale ducuntur: ita actionum noſtrarum condimentum aliquod, quo ſe vnice Deo atque hominibus

nibus

nibus probant, merito in doctrina ac honeſtate ſtatuitur. Vnde Mediolanenſium aliquis, probitatem non minus, quam ſcientiam deſcripturus, cibos ſale conditos in charta pingebat, atque hoc lemma: reddit ſapidos: picturae adiiciebat. Sulphur autem ac oleum, literarum cultoribus in exemplum proponi, eo minus mirandum eſt; quia oleum, vt ait Phornutus, Palladis donum eſſe creditur; idque ideo, quod inſtar Mineruae, viridem glaucumque colorem quodammodo prae ſe ferat. Quam poetarum veterum fictionem, ſicut noſtram non facimus: ita propius ad inſtitutum noſtrum accedit, quod Chemicorum doctrinis approbatum eſt: quibus id omne, quod inflammari, aut ignem alere poteſt, ſulphuris atque olei nomine deſignatur. Quid prohibet igitur, quo minus honeſta literatorum ambitio, praeclarique eorum conatus, quibus ſcilicet ad maiora altioraque contendunt, flammae in ſulphure conceptae aſſimilentur? Cui imagini ſi quis eam addere ſcriptionem voluerit, quam Italorum nonnemo flammae ardenti adiiciebat: ad ſublimia ſemper: ei haudquaquam refragabimur. Nihil vtique ſtudioſis bonarum artium magis eſt proprium, quam quod ab humili ac igno-

gno-

gnobili vulgo ſe ſeparent, & altius quiddam ac diuinius moliantur. Eodem fere Hermeticorum mercurius ille nos vocat; qua appellatione veniunt ſpiritus, qui ſunt toti volatiles ac aetherei, & unde motio omnis ac vita, & vires cuique rei inſitae, magna ex parte oriuntur. Tales vero, vt ita loquamur, Mercurios, a quibus reipublicae ſacrae aut politicae corpus vitam quaſi ac robur accipiat, omnis ordinis eruditos ſe exhibere oportet. Et qui ſtudiorum ſuorum hunc finem conſequitur; illi Italus quidam, Mercurii volitantis, atque omnia agitantis, effigiem, & haec praeterea verba: partes impellit in omnes: accommodat. Documento hic erit, electus ſuperioribus diebus Prorector, quem ſupra laudauimus: & quem talem, hoc etiam ſemeſtri futurum, ſperamus, qualem vicibus ſeptem ſe praeſtitit; vt videlicet corpus hoc academicum, ſalutem ab ipſo ac vitam, & omnem veluti motum, tanquam a ſuo Mercurio, ſalis quoque ac ſulphuris chemici virtutes repraeſentante, certo ſibi polliceatur. Huius itaque Viri exemplum ac imperium ciues academicos ſequi par eſt; quando ipſi, ad proximum Martis diem, in aede Paulina conuenient, & inter magiſtratus hiberni auſpi-

auſpicia, ſereniſſimorum Principum, ac totius academiae florem, a miſericordisſimo Numine exorabunt; & ad legum tunc recitandarum praeſcripta aures iuxta & animos admouebunt. P. P. ſub Acad. Sig. Domin. X poſt Trinit. A. O. R. CIↃ IↃCCIX.

XV

AD literarum Vos decus, obſequii gloriam, nouo academiae moderatori probandam, vt adiungatis; ſicut omnibus vos modis hortamur: ſic idem a Vobis, ſacramentum academicum, quod ſub athenaei huius ingreſſum dixiſtis, tanto ſeuerius exigit; quanto maior iurisiurandi religio, non Iudaeis & Chriſtianis ſolum, ſed & paganis, omni tempore fuit exiſtimata. Apud Iudaeos documento eſt ritus, quo iuraturi codicem legis, quo nihil ipſis ſanctius creditur, fixis oculis intueri, & loco eius, membranam fronti obductam, ac legis diuinae literis inſignitam, cui phylacterii nomen eſt, manu ſua prehendere conſueuerunt. Nec diuerſa adeo Chriſtianorum mens eſt, cum iusiurandum daturi, aut librum euangelii oſculantur

lantur ac tangunt; aut digitos tres, Dei vnius ac trini indices, ad coelum attollunt. Ex paganis Aegyptii prodeant: quorum legibus, ſi Diodoro Siculo credimus, poena capitis conſtituta fuit aduerſus periuros; velut qui duo maxima perpetrarent flagitia: quod & pietatem in Deos grauiter violarent; & fidem, quae certisſimum ſocietatis humanae eſt firmamentum, prorſus euerterent. Neque vero eſt dubium, quin religionem hanc ſuam actus iurandi a Deo ſanctisſimo trahant: ad cuius quippe ſolius venerationem & cultum, data opera diriguntur; & cuius etiam teſtimonium, ac in periuros vltionem expoſcunt ſollemnes iurisiurandi formulae: ita me Deus adiuuet! Deus teſtis, Deus vindex exiſtat! Numen igitur potentisſimum, veri falſique teſtem dum inuocamus; id neutiquam eo interpretandum eſt: ac ſi mendacium veritatemque, diuino ſemper miraculo confirmari, aut a Deo ad libidinem hominum hic agi, poſcamus. Cuiusmodi ſuperſtitio inter Chriſtianos non minus, quam alios, annis ſuperioribus graſſabatur: modo ferrum iam candens inter iurandum capientes; nunc per aquam ignemque euntes; ac prout illaeſi haec facerent, ita de ſancti-

ctitu-

ctitudine affirmationis religioſae nimis temere arbitrantes. Quod ſtultitiae & audaciae genus, ſicut merito, cum aeui illius barbarie, deteſtamur: ita penitus perſuaſum habemus: niſi in praeſenti hac vita, in futura tamen, quam poſt obitum expectamus, inque extremo iudicio, vel fidem iurantis, vel perfidiam, ſummi Numinis teſtimonio, filiique diuini ſententia, in notitiam omnium peruenturam. Imo etiam iſtud hiſtoriarum monumentis probatum eſt: raro quidem, ſed tamen contingere, vt inſtanti tempore, quam religioſe aut impie quis iurauerit, Dei ſapientiſſimi numen, perſpicuis argumentis ac ſignis teſtetur. Vnum ſaltem, at memoratu prae ceteris dignum, huius rei exemplum, ex Euſebio, ſcriptore grauiſſimo, afferemus. Aduerſus Narciſſum, ſacrorum Hieroſolymitanorum praeſulem, tres profligatiſſimi homines, pium eius in deteſtandis peccatis ſtudium aegre ferentes, nequiter conſpirabant: & vt obiecto crimini firmamentum adderent; iureiurando ſollemni id demonſtrabant; diris ſeſe, ſi fallerent, deuouentes. Primusque eorum: niſi verum dixero, inquit, repentino ignis incendio diſperire exopto. Alter vero: ſi fraudem

iudicibus fecero; precor a Deo iuſtiſſimo, vt meum hoc corpus foediſſimo morbi genere exareſcat. Tandem tertius, etiam atque etiam ſe velle, dicebat, vt, ſi falſo iuraret, oculorum luminibus orbaretur. Mox diuina nemeſis, periurii huius triplicis teſtem ac vindicem ſe gerebat. Prior enim conſceleratorum hominum; dum ſcintilla exigua noctu in aedes ruebat; rapido flammarum ardore, vna cum omni familia, conflagrauit. Similiter corpus ſecundi, eodem, quem ſibi imprecatus fuerat, morbo, ab extremis pedum digitis, ad caput vsque abſumtum, contabuit. Demum tertius, infelices priorum exitus cernens, ſua ſociorumque ſuorum aduerſus Narciſſum maleficia palam confeſſus, eo vsque acerbiſſimas lacrimas ac perennes effudit, donec vtrumque oculum extinxiſſet. Quod ſi enim vel hominem, honore praeſertim & auctoritate praeſtantem, teſtem mendacii aduocare, nefas putatur; multo minus aliquis Deo teſti impune illudet. Quoties porro ſuperioris, & puniendi iure pollentis, teſtimonium petitur; toties ab eodem improbitatis ac perfidiae vltio poſtulatur. Vnde in quouis iureiurando, poenam atque vindictam diuinam in nos depoſcimus;

mus; ſi veritatem mendacio per illud contaminemus. Quod ſignificaturi olim Romani, quando per Iouem lapidem deierarunt, ſilicem manu tenuerunt, addita ſacramenti formula: ſi ſciens fallo, tum me Diespiter, ſalua vrbe arceque, ſicut ego hunc lapidem, bonis eiiciat. Longe verior atque grauior Chriſtianorum eſt clauſula: ita me Deus adiuuet. Summum quippe animaduerſionis eſt genus, ſi quem Deus non adiuuet. Quis enim mortalium vltionem illius ac iram non toto pectore exhorreſcat, qui & omnium rerum eſt conſcius, vt intimos animorum receſſus perſpiciat; & omnipotens, vt puniendi viribus praeſtet, ubi quis peierauerit? Hominum quidem, ſi fors tulerit, robur contemni, ac ſcientia falli poteſt. Vt vero diuina vel eludatur potentia, vel effugiatur notitia, nulla arte ac fraude praeſtabitur. Haec Vos animis Veſtris voluetis, cariſſimi! quum ventura proxime Iouis die, hora ante meridiem decima, ad aedem Paulinam confluetis; pro academiae ac ſereniſſimorum nutritorum ſalute, preces ad Deum ſanctisſimas nobiscum fuſuri; & concordibus ſenatorum vocibus expetitum, ſemeſtris proximi Prorectorem, Virum ampliſſimum, IOAN-

NEM CASPAREM POSNERVM, eloquentiae profeſſorem ordinarium, promta & alacri pietate ac beneuolentia excepturi; nihiloque ſecius, recitandas tunc leges, quibus iureiurando religioſiſſimo omnes vos atque ſingulos obſtrinxiſtis, veſtris mentibus infixuri. P. P. ſub Acad: Sig. die feſto purificatae Mariae, A. O. R. cIↃ IↃCC X.

XVI

TAlis in Viro maxime reuerendo, MICHAELE FOERTSCHIO, diuinarum literarum Doctore ac profeſſore primario, & nominatus nouiſſime, & nunc inaugurandus eſt publice, athenaei iſtius, in ſemeſtre proximum moderator; qualem Veſtro honore & obſequio ante alios dignum ducetis. Cuius tam firmamentum, quam vinculum, ſacramento academico contineri, nemo ordinis Veſtri ignorat. Abſit enim, vt iurisiurandi religione, concedere quicquam velitis veſtris maioribus, profanae adhuc ſuperſtitioni addictis: apud quos, ſi legum Alemannicarum peritis credimus, maior actus iſtius reuerentia, quam apud pleroſque populos, habebatur. Sicut ergo

in

in nuperi magiſtratus auſpicio, ab apertis inter iurandum mendaciis ac periuriis; ſic in praeſenti a fraudibus atque cauillationibus tectis, Vos auocandos cenſuimus. Illorum igitur, vel impietatem, vel inſaniam, toto pectore abhorrebitis: qui, licet res ſerio & ſancte agatur, neutiquam tamen ſe iureiurando teneri, ſomniant; ſi ſuſcepta quidem deliberatione, verum animo ſe non obligandi, iurauerint. Qualis peruerſitas Mediolanenſibus olim tribuebatur, inficete admodum Friderico I imperatori reſpondentibus: iurauimus quidem; at iusiurandum attendere, non promiſimus. Quin purpuratos etiam patres, qui vulgo Cardinales dicuntur, non pudere interdum huius impietatis ac flagitii, cum ad noui electionem pontifices ſe accingunt, inque formam aliquam reformandi regiminis iurant; inter alia, Petri Suauis teſtimonio comprobatum habemus. Cuius generis ludi, in actu maxime ſerio, manifeſte ſunt abſoni, & ab omni penitus ratione abhorrent. Quodſi enim intentione quis tacita poſſet efficere, vti actus aliquis, illo, cui per naturam deſtinatus eſt, effectu careret; vtque adeo affirmatio, Deo teſte ac vindice facta, obligationis vinculum

eſſe ceſſaret ; profecto non iurisiurandi vſus ſolum , ſed omnis praeterea ratio, certis ſe ſignis cuiquam deuinciendi, e ſocietate humana ac republica tolleretur. Nihil proinde abſurdius dici poteſt, quam velle iurare aliquem, nolle tamen iureiurando obſtringi ; velle ſerio verba iurantia recitare , at nolle eadem eo capere ſenſu , quem non iudex ſolum , ſed omnes omnino homines , communi quodam conſenſu, intelligunt. Nullum quoque interpretationis veteratoriae genus , vel diſſoluit periurium, vel inanem ac irritum reddit actum iurandi ; cum vis atque ſignificatio vocum ſit ea, in qua vtitur iſtis, qui ſacramentum alteri defert atque iniungit ; cui videlicet ſoli conuenit, tam concipere dicta iurisiurandi , quam ex propoſito ſuo ac vſu interpretari. Quod ipſum animo olim ſuo cum voluerent cenſores Romani ; teſte Tullio, captiui alicuius perfidiam : qui ſe in caſtra hoſtium rediturum, iurauerat ; ſed , cum paullulum eſſet progreſſus, oblitum ſe aliquid, prae ſe ferens, in caſtra reuertebatur ; atque poſtmodum , tanquam vinculo iurisiurandi ſolutus, in vrbe Roma manebat : huius , inquam , perfidiam, velut hoſtium menti contrariam , aperte damnarunt.

Ipſo

Ipſo ſcilicet facto abominari veſana & improba illa pontificiorum quorundam, de reſeruatis, quae vocant, mentalibus, inſtituta; ab ipſo Innocentio papa, in ſuis quoque cultoribus improbata. Vos, cariſſimi, non tam pontificis cuiusdam decreta, quam numinis ſummi oracula, ab omni captione & fuco inter iurandum, omni tempore deterrebunt. E quibus hoc Dei legislatoris praeceptum, cum lacte quaſi materno, adhuc pueri imbibiſtis: Dei tui ſanctiſſimi nomen ne inaniter adhibeto; quia minime inultum dimittet Numen iuſtiſſimum, qui illud in caſſum, vel improbe vſurpauerit. Conſtat quippe, in iurisiurandi formulis Deum teſtem atque vltorem citari: qui nec aſtu decipitur, nec impune illuditur. Si enim is, qui principis alicuius ſigillum ad res ludicras adhibet, & contemtui aliorum exponit, grauem merito reprehenſionem ac poenam incurrit; quid de illo pronunciare fas erit, qui Dei ter maximi nomine, quo ad veritatem ſtabiliendam, velut ſigillo aliquo, vti debemus, ad cauillationes ac iocos abutitur? Veſtrarum proinde partium erit, ciues optimi, Prorectori futuro, ob ſuam in magiſtratu gerendo religionem ac pru-

dentiam, iam antea Vobis probato, & ad proximum Iouis diem, hora ante meridiem X, exquiſitis cerimoniis, & fuſis pro academiae ac Principum ſereniſſimorum ſalute, ardentiſſimis precibus, ſecunda nunc vice, ad obeundum hoc munus, in ſacram collegii aedem introducendo, candorem ac fidem, vt in aliis, ſic in iurandi potiſſimum actibus, comprobare. Quo Vos omnes ac ſingulos, partim Dei & magiſtratus reuerentia, partim ſtatuta ac leges impellent: tanto attentius a vobis excipiendae; quanto maiori ſanctimonia in eas iuraſtis. P. P. ſub Acad. Sig. Domin. VIII poſt Trin, cIↃ IↃcc x.

XVII

SIngularis, eisque propria, militum Romanorum laus erat: quod ſola Caeſaris voce, qua ipſos Quirites ſalutabat, retineri ſe in officio paſſi; & milites ſe exiſtere; & per omnia dicto eius audites ſe fore, vno ore clamabant. Ineunte iſthoc ſemeſtri, quo Prorectoris decora & inſignia de manu in manum tradenda ſunt; illud nos vehementer optamus, cariſſimi! vt vel ſolum ſtudioſorum iuuenum

uenum nomen, quoties id vel voce effertur, vel animis voluitur, ſui quosque officii ſtatim admoneat! Vt ſtudeatis nimirum; & illis ſolummodo rebus ſtudeatis: quarum gratia, honeſtisſimum ſtudioſorum ordinem, vna cum academiis introductum, ac immunitatibus iſtis donatum, ſuperiorum temporum monumenta teſtantur. Inprimis huc faciunt Friderici, imperatoris glorioſiſſimi verba, in authentica, quae in titulo codicis: ne filius pro patre: a dictione, habita, inchoatur, extantia; atque eum vnice in academiis finem ſpectari, ſignificantia: quo ſtudentium aliquando ſcientia totus mundus illuminetur; & ad obediendum tam Deo, quam magiſtratibus, vita ciuium informetur. Ex quo ſcilicet illam ingenii ac voluntatis perfectionem, qua creati ab opifice ſumus, noſtra culpa amiſimus; nullis mortalium, ad aliquam vel virtutis, vel ſapientiae gloriam adſpirare, ſine magiſtro ac duce, contingit. Vtrique igitur imbecillitati remedium, per honeſtatis & praeclararum artium officinas parare, ſummi principes voluerunt. Vt in iis lectisſimi iuuenes, quae a natura ſortiti non eſſent, inſtitutione ac diſciplina acquirerent; & accepta a praeſtantisſimis viris, ſcientiarum atque

 virtu-

virtutum ſemina, domum referrent; atque ſimilem aliquando ſementem, ſuos apud diſcipulos, facere niterentur. Neque alio ſane inſtituto, electorum optimus ac religioſisſimus, diuus Joannes Fridericus, ad dedicandum hoc athenaeum, ſuas primum cogitationes & curas conuertit; niſi vt pietatis aliquod, & omnis ſapientiae templum exiſteret: in quo iuuenes, ad meliora erecti, Deo atque ſaluti publicae, doctrinarum ac legum ſalutarium ope, initiarentur. Ad hunc itaque ſcopum, velut ad portum reſpicietis, o noſtri! ſi muneris veſtri partes implere, & pulcherrimo ſtudioſorum vocabulo reſpondere velitis. Abſit enim, vt optimarum virtutum & artium ſtudium, quod nomine profitemini, facto negare; eandemque dedecoris notam inurere vobis cupiatis; quam Chriſtianorum aliqui, tum frequenter alias, tum Saluiani praeſertim temporibus, contraxerunt: ſolo nempe Chriſtianorum titulo gloriati; a lege autem & conſortio Chriſti longisſime alieni. Auertat Deus hoc omen! nec de Ienenſi in poſterum academia iudicari permittat, quod de Romanis ſeculi ſui lyceis Seneca, ſcriptor grauisſimus, iudicabat: ceſſare videlicet omne ſtudium;

dium; virtuteſque ac diſciplinas profeſſos, ſine omni frequentia, deſertis ſcholarum angulis praeſidere, ac iuuentutis peruerſae, & circa nepotum focos prementis, vitia deplorare. Eam potius ſtudioſorum hominum laudem ſectamini, quae literatis iuuenibus, ex Hippomachi olim diſciplina dimisſis, propria erat: vt ſtudiorum, morumque elegantium inſtituto, ab aliis cunctis diſcernamini. Ita noſtro pariter, electique in ſemeſtre hoc proximum prorectoris, Viri illuſtris, CHRISTIANI VVILDVOGELII, ſerenisſimi noſtri Parentis a conſiliis intimis, nec non anteceſſoris, atque iurium profeſſoris, celebrioribus longe dotibus atque meritis noti, quam vt noſtra nunc demum praedicatione, haec innoteſcere debeant, voto ac deſiderio reſpondebitis. Hoc igitur modo, iurisiurandi ſimul religionem ſeruabitis: quo ad leges, ſtudioſis hominibus dignas, Vos obſtrinxiſtis: quae ſecuturo proxime Iouis die, inter celebritatis praeſentis ſollemnia, allegatis pro ſerenisſimorum Principum & academiae huius ſalute, precibus, conſecranda, more conſueto recitabuntur. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. Sexageſ. A. O. R. cIↄ Iↄ cc xl.

XVIII

QVemadmodum hortus hic academicus, a Guernero Rolfincio, rei herbariae peritiſſimo, primum inſtructus; progreſſuque poſtea temporis, virorum clariſſimorum, Slegelii, Schelhammeri parentis ac filii, Schenkii, Friderici, Faſchii cura excultus, prorectori nuperius deſignato, IO. ADRIANO SLEVOGTIO, medicae artis Doctori ac profeſſori, eruditione, diligentia, inque regendo iam olim hoc athenaeo, prudentia celebrato, quam plurimum debet: ita ipſe haud grauiter feret, ſi futurum ipſius imperium, & quae ad illud attinere videntur, in hortorum imagine contemplari, & quodammodo intueri, conabimur. Sane ſplendido atque honorifico magiſtratus officio, tanto id magis conueniens fore, ſperamus; quandoquidem ſummi imperatores olim ac reges, & habitare ſaepius hortos, & colere, neutiquam infra dignitatem ſuam putauerint. Rectiſſime vero omnium, comparationis hoc genus, de regimine academico vſurpari; vel ex eo elucet: quoniam ipſae bonorum artium officinae, Epicuri praecipue ac Platonis aetate, in amoe-

amoeniſſimis arbuſtis plantatae ; & a nobili Academi viridario, iam famoſum ac frequens academiarum hodie nomen ſortitae ſunt. Neque mirum proinde, poſt id temporis, literarum ſcientiarumque domicilia, hortis potiſſimum aequiparata fuiſſe. Sic Romanorum academia, quam partheniam vocant, viridarii alicuius, diſciplinarum floribus pleni, & venturas mox apes, bonos puta, cupidosque diſcendi iuuenes, expectantis, imagine, vel, ceu dicere malunt, emblemate, ſe ipſam depinxit. Nobis vero, non aeque ad academias, quam ad regimen academiarum, reſpicientibus; hoc de hortis primum memoratu iam dignum occurrit: quod eorum tutela & cura Veneri, quae amoris eſt Dea, a Romanorum antiquisſimis asſignetur. Quod nos ad magiſtratum academicum ita transferimus: vt optatisſimum omnibus illud eſſe imperium, cum viris cordatis ac politicis ſtatuamus, quod amoris ac beneuolentiae vinculo continetur. Quemadmodum enim Dei benigni ac propitii vicem moderatores reipublicae ſuſtinent: ſic non malo ſuorum, ſed bono electi, atque primitus conſtituti fuerunt. Quare Titus Veſpaſianus, a ſuis aliquando miniſtris admoni-

ni-

nitus : quaſi congruens ipſi non eſſet, vt tam facile cunctis aſſurgeret ac deferret; conuenienter principi, ac ſcite reſpondit: ſicut a Dei numine, ſic ab imperii praeſide, quo nihil Deo ſimilius eſſe deberet, contento & hilari animo omnes homines dimittendos venire. Quae res quantum momenti, ad feliciter ac bene regnandum, conferat; ante ceteros illi perſpiciunt, qui, diuina ſecuti oracula, omnem omnino virtutem, ex beneuolentiae caritatisque affectu, velut ex fonte deriuant. Quamuis autem non ea virtutis & honeſtatis ſit ratio, vt humanis ſpectari oculis queat; eius tamen effigiem quandam repraeſentaturi aliqui, in horto eam potiſſimum elucere, exiſtimant; quandoquidem huic non minus, quam illi, ſit proprium, vt ornare pariter, ac iuuare conentur. Quae vt ſimiliter nos ad magiſtratum accommodemus; decorum ac pulchrum vtique iudicandum eſt, ſi probitate ac laude emineat, qui honore & poteſtate ſupra ceteros conſtituitur. Audiendaque omnino eſt Cyri regis ſententia: haud conuenire cuiquam imperium, iudicantis, qui non praeſtantior atque laudabilior iis exiſteret, quibus praeeſſet. Quae res non ornat ſolum magiſtratus per-

perſonam, verum etiam iuuat; inque ipſa adeo ciuitate hoc praeſtat: vt cum reipublicae gubernator ſit optimus; ciues etiam, ad imperantis exemplum, honeſtatis cultores euadant. Memorabilia plane Theodorici, regis Gothorum, ad Romanorum ſenatum ac populum, verba erant: facilius eſt, errare naturam, quam vt ſui diſſimilem princeps rempublicam poſſit formare ac efficere. In tali igitur ciuitatis rectore, qualem nos modo deſcripſimus, quemadmodum decus ſuum, ita ſpem atque praeſidium ponunt, qui ſibi de eius praeſtantia atque gratia, in rebus aduerſis praecipue, gratulantur. Quod ſolatii genus cum horti alicuius vmbraculo, tribus his vocibus: huc feſſa recurrunt: picturae eius adſcriptis, componere & aequare licebit. Sicut vero in ciues obedientes ac probos benignitas, ſic ſeueritas in licentes ac improbos vſurpanda eſt; ſine qua gubernari ciuitas ſeruarique haud poteſt. Nam ſi digitum etiam praecidi ac vri oportet, ſi eam ob rem gangraena ad brachium atque reliquas partes ventura ſit; quidni putrida atque noxia reipublicae membra tollantur, vnde toti ſocietatis corpori, ingens nonnunquam ac praeſentisſimum diſcrimen impendet? Quemadmodum autem

autem comparatione hac Varro, Romanae olim reipublicae cenſor, eſt vſus: ſic extiterunt nonnulli, qui hoc idem inculcaturi, hortum aliquem obſeratum pinxerunt, qui ſerpentes, a floribus adhuc teneris, magisque ideo gratis, excluderet. Noſtrum quidem, haud ſecus ac Prorectoris futuri, die proximo Iouis, in aede Paulina, rite inaugurandi, eſt votum: vt, ſi non omnes in hoc ornatiſſimo coetu, at ſaltem plerique, duriora id genus remedia, virtute & praeſtantia ſua auertant! Quae Vos omnia, ciues cariſſimi, vna cum sereniſſimorum Principum, atque academiae huius felicitate, inter diei iſtius ſollemnia, ad quae etiam legum ac ſtatutorum, quibus iureiurando vos obligaſtis, recitatio pertinet, piis caſtisque a Deo precibus obtinere, Veſtri eſſe officii, iudicabitis. Ita haec praeclariſſimarum artium ſedes hortum pulcherrimum, & a vento coeleſti afflatum, ſequentique ornatum inſcriptione, imitabitur: hoc adſpirante virebit. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. IX poſt Trinit. A. O. R. cIↃ IↃCC XI.

XIX

XIX

NOn tam mirabile, quam prodigii ſimile videatur, eam hiſtoriarum vim aliquando fuiſſe; vt aegroti aliqui, ſola earum lectione, nullis penitus medicorum auxiliis, a deſperatisſimis, ac prope letalibus morbis conualuerint. Teſtes huius, vt ita loquamur, miraculi, inter alios, Ioannes Bodinus Alphonſum & Ferdinandum, Hiſpaniae ac Siciliae reges, allegat: quorum alter a Tito Liuio; alter a Quinto Curtio, valetudinem diu amiſſam, quam a medicis haud potuerit, confeſtim recuperauerit. Ac de Alphonſo inprimis memoratu eſt dignum, quod Alexandri hiſtoria, apud Curtium, mirifice delectatus, & ſanitati mox redditus, exclamaſſe feratur: valeant Auicenna, Hippocrates, medicique ceteri! viuat Curtius, ſoſpitator meus! Sicut vero hiſtoriarum hunc vſum, in ſananda corporum aegritudine ſitum, & num ex voluptate narrationum incredibili; an ex alio fonte ac principio ille emanet? ſolis medicis, tanquam optimis harum rerum aeſtimatotoribus, arbitrandum relinquimus: ita certior longe ac illuſtrior eſt rerum geſtarum vtilitas, quae in animorum ſci-

licet morbis prauitatibusque tollendis, ſpectatur. Is, inquam, hiſtoriarum eſt fructus praecipuus: quod, propoſitis ornamentis virtutum ac praemiis, vitiorumque opprobriis & ſuppliciis, mentes hominum a vitiis ad virtutes traducant. Hoc enim ipſo, quod omni tempore bonos ornari, inque coelum efferri; malos contra puniri, aeternaque turpitudinis labe notari, mortales intelligunt; ſi non gloriae ac honeſtatis amore, vltionis tamen & infamiae metu mouentur. Enimuero quod Trogus Pompeius de Heroſtrato prodit: malae illum, quam bonae exiſtimationis cupidiorem fuiſſe; id ab aliis deſperationi huius tiranni, mentisque furori tribuitur. Ex aduerſo Tiberius, quamuis multa crudeliter, ac nimis licenter egerit; longe tamen is ſceleratior, teſte Suetonio, fuiſſet futurus; niſi tot aliorum exemplis commonitus, famae ſuae, vel diuinae potius irae, curam aliquam habuiſſet. Sicut igitur in oratione ad ſenatum habita, proſperiorem ſui memoriam, quam ipſe non meruiſſet, omnibus commendabat: ſic in literis, multo cum gemitu exaratis, de acta antehac vita, quam mutare non poſſet, miſere & acerbe conquerebatur.

Nihil

Nihil proinde ad Dei aeterni gloriam, ſalutemque mortalium, maius praeſtari a rerum geſtarum memoria poteſt; quam quod impietas, iniuſtitia & improbitas, eius beneficio infringuntur. Quem hiſtoriae vſum paullo plenius eloquentisſimus Cicero, grauiusque expreſſit, cum vitae eam magiſtram ſalutauit. Illius videlicet vitam ab omni facinore ac errato quam remotisſimam fore, exiſtimauit, qui actiones ſingulas ad ſanctisſimas hiſtoriae leges, tanquam ad Polycleti veteris normam, exigeret, & a propoſitis ibi bonorum atque malorum finibus nunquam recederet. Neque aliud quicquam Dionyſius Halicarnaſſeus, ſapientiam ab exemplis petitam, eandem definiens, inculcare voluit; quam, exemplis docere hiſtoriam, quae, in morum actionumque humanarum philoſophia, praeceptis traduntur. Tota vtique, vitae iſtius moderatrix, prudentia, vt rationis humanae, ſic hiſtoriae fundamentis innititur: & quid publice priuatimque agendum ſit, ex nationum omnium factis ſimilibus, aut contrariis, colligit ac decernit. Quid? quod inutilis plane, vel, vt Bodini verbo vtamur, intermortua iaceret philoſophia, quae vitae dux appellatur; niſi ad acti-

onum ac rerum, ex hiſtoriis deſumtarum, exempla, in omnibus dictis, conſiliisque & auſis, reſpiceret. Vnde verius multo ac iuſtius de narrationum notitia dici poteſt, quod Horatius de poeſi Homerica dixit: quid honeſtum aut turpe; quid vtile arbitrari conueniat; melius eam ac felicius, quam ſcientias ſapientum, monſtrare. Cum enim philoſophia ad primas ac remotisſimas cauſſas deſcendat, inque praeceptis communioribus, ac nimis late diffuſis, acquieſcat; hiſtoria vero ad res ſingulas, in quibus omnis deliberatio atque actio ſita eſt, ſeſe demittat; dubium non eſt, quin multo maiorem vim hiſtoria, ad moderandos hominum actus, obtineat, quam philoſophia. Ad haec, ſapientum doctrinae, ſeueritatis aliquid ac moleſtiae habent; neque plures vtilitate alliciunt, quam difficultate deterrent. Hiſtoria autem, hoc ipſo, quod res ſingulas, atque ſenſibus occurrentes, exponit; aures iuxta & oculos tenet, legentisque ac audientis ſtudium excitat, atque omnium mentes percellit. Veſtram, carisſimi, fidem teſtamur! annon malorum ac perduellium deteſtanda atque infelicisſima ſorte, cuius exempla inſignia & hic etiam extiterunt, efficacius

cius multo, a perduellionis, & cuiusque improbitatis crimine, quam omnibus ſapientum vocibus, auocari vos ſentiatis atque auelli? Quod hiſtoriae commodum, Tito Liuio, & Cornelio Tacito, tanti eſt viſum; vt vel ſolum, ad componendas tractandasque hiſtorias, ſatis id eſſe iudicauerint. Si proinde expertus atque exercitatus medicus, vtilius longe in conſilium adhibetur; quam qui maiorem equidem rerum medicarum notitiam, ex Hippocratis atque Galeni ſcriptis imbiberit; vſus autem atque exercitationis expertem penitus ſe oſtenderit; certe ad emendandam hominum vitam, plus multo valebit, qui documenta virtutum vitiorumque ſingularia ex annalibus ſolerter notauerit; quam qui generalia viuendi ſtatuta, ex philoſophorum tantummodo libris didicerit. Qua de re magiſtratus academici, in ſemeſtre venturum, conſultisſimo Viro, BVRCARDO GOTTHELFO STRVVIO, legitimae diſciplinae Doctori, hiſtoriarumque profeſſori dexterrimo, ad futurum proxime Iouis diem, poſt inita ſenatorum ſuffragia, ſollemniter deferendi, ſucceſſum proſperrimum, certa animi diuinatione

 permo-

permoti, neutiquam deſperamus. Hoc igitur ipſum, o ciues! actum illum, pro eo ac par eſt, conceptis videlicet pro ſerenisſimorum Nutritorum felicitate, religioſisſimis precibus, legumque tunc recitandarum ſancitis in intimum pectus demisſis, in templo Paulino celebraturi, ita a Deo miſericordisſimo contendetis; vt Veſtram in eo ſalutem proſperitatemque poſitam, ſtatuatis. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. Sexageſ. A. O. R. cIↃ IↃCCCXII.

XX

IN deſignati nouisſime prorectoris, Viri maxime reuerendi, IOANNIS FRANCISCI BVDDEI, doctoris ac profeſſoris Theologi, prytaneum hoc noſtrum multis officiis meritisque complexi, magiſtratu academico, vel ea de re ſpem certiſſimam atque optimam collocamus; quod ad illius ſapientiae diſciplinam, ſua hucusque ſtudia, cum ſingulari ſucceſſu ac laude, contulerit; quae quanto eſt ſanctior ac diuinior, tanto ad emendandos ciuium mores aptior ac vtilior, ſuo merito iudicatur. Quemadmodum enim homines, in hunc vnice finem,

ſinem, intellectu iuxta & voluntate a Deo conditore inſtructi ſunt; vt ſuis his facultatibus, ad obſequium honoremque eius vtantur, a quo eas primitus acceperunt: ita in ipſis etiam rebuspublicis, omnes omnium cogitationes & curae ad hunc perpetuo ſcopum dirigendae ſunt: vt illarum virtutum officia ſine intermisſione praeſtentur, quae a Deo, generis humani auctore ac domino, exiguntur. Quaenam autem actionum earum ſit ratio, in quibus & partes ciuium, & virtutes diuinitus imperatae conſiſtant? id vero in ſolis ſanctisſimi Dei praeceptis, optime ac plenisſime continetur. In paganorum enim, & hominum aliorum ſtatutis, ipſa non raro vitia & peccata laudantur; vt nihil abſurdum adeo aut turpe reperiatur, quod non legislatorum aliquis, aut fieri, aut licere, voluerit. Sed & ea officiorum genera, quibus laus alias ſua honeſtasque conſtare putatur, tam ciuilibus, quam naturae corruptae legibus, imperfecte admodum ac ieiune traduntur. Mirum igitur non eſt, vel ipſas mortalium profanorum virtutes, ad hanc videlicet normam directas, ſuis adhuc erroribus ac vitiis laborare; neque vel Ariſtidis iuſtitiam, vel Scipionis continentiam, vel

Lucretiae pudicitiam, in operum vere laudabilium, chriſtianisque congruentium, cenſu haberi. Haec atque ſimilia, inquam, incredulorum hominum facta, rationis peruerſae legibus approbata, ea lege damnantur; quam, a ſapientisſimo Deo acceptam, theologia explicat, & ad hominum inter ſe ſocietatem tuendam, accommodat. Talia quippe in diuinorum ſcriptorum tabulis inculcantur, atque poſcuntur opera: quae & a genii coeleſtis afflatu proficiſcuntur, & ex poſita animorum in Chriſto fiducia, velut ex fonte emanant; & motuum internorum cum externis actibus conſenſum demonſtrant; & illorum praeterea, quae actiones circumſtant, ſanctitudine atque innocentia ſe commendant. His videlicet notis, paganorum pariter, & paganis ſimilium facta; deprauatae quidem naturae iusſibus, & ſtatutis humanis conuenientia; a piorum actibus, voluntati diuinae reſpondentibus, nec niſi ex diſciplina ſublimiori cognitis, dignoſcuntur. Equidem profanorum quoque virorum actionibus, circa res, ſua natura honeſtas ac rectas, verſantibus, neq; parum ad tranquillitatem communem facientibus, ſuum alias pretium poni ſolet; quin & praemia aliqua, in hoc orbe terrarum, a ſummo inter-

interdum Numine tribuuntur. Quodſi tamen & ſcopum agentium, in ambitione aut auaritia ſitum; & eorum, quae ad officia, Deo ipſi probata atque accepta, ſacro in codice requiruntur, penuriam attendamus; nihil reliquum erit, niſi vt hominum ab inſtitutis diuinis alienorum virtutes, peccata quaedam ſplendida, & bonorum operum ſimulacra dicamus. Qua de re Auguſtino, ſicut Pelagianorum veterum, ita Socinianorum ſimul atque Arminianorum recentium, itemque Ieſuitarum, vitiatae naturae viribus, adeoque & legibus, iuſto plus tribuentium, ſtrophas atque argutias eludenti, noſtrum calculum addamus, oportet. Multa equidem ſimulari, & oculis atque auribus dari poſſunt; neque infrequens plane, aut noua eſt conſuetudo impuriſſimi genii, ſanctiorem ſpeciem, moresque innocentiſſimos prae ſe ferendi. Sed Chriſtianorum virtus praecipua, ornatusque, a ſponſo coeleſti praeſcriptus, vt in ſanctiſſimae mentis receſſu quaerendus eſt: ſic a Deo & Chriſto, collocataque in eo fiducia, ortum ſuum arceſſit; neque igitur ex ſtatutis naturae, ſed ex Dei aeterni oraculis, ac interprete horum, theologia, cognoſcitur, auxilioque diuino acquiritur. His auſpiciis,

Ciues cariſſimi! a Prorectore futuro, beatae & arduae huius ſcientiae peritiſſimo, atque ad diem proximum Iouis, feſto ritu, in academicam aedem introducendo, partim edocti, partim iusſi ac moniti, quae Vos deceant iuxta & ornent, ex literarum ſacrarum fontibus, haurietis. Praeterea ſtatutorum, dicto tempore recitandorum, memores, & in preces obteſtationesque, pro ſerenisſimis Nutritoribus, verſi, piorum atque morigerorum ciuium partes implebitis. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. X poſt Trinit. A. R. S. clɔ Iɔcc xII.

XXI

EOdem plane nos animo, legum academicarum tutelam & cuſtodiam, conſultisſimo Viro, GVILIELMO HIERONYMO BRVCKNERO, iurium profesſori atque anteceſſori haud vulgariter merito, ad diem februarii nonam, ſollemnibus ſenatorum ſuffragiis, committemus: quem imperatori olim Iuſtiniano, iuſtisſimo ac religioſiſſimo principi, tunc fuiſſe meminimus; cum ſuarum is legum, inſtitutionibus nempe comprehenſarum, ſancita, & omne adeo earun-

rundem negotium, diuino vnice ſeruatoris auſpicio, ſiue, vt ipſe loquitur: in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti: pie non minus, quam feliciter ordiretur. Quae, in decretis & actibus publicis, Deum optimum maximum compellandi ratio, ab antiquiſſimis Ebraeorum magiſtratibus ad magiſtratus alios propagata, & in praeſentis ſeculi morem translata; a Iuſtiniano eodem, haud diuerſo vtique inſtituto ac ſenſu, in locis etiam aliis, praefationis ſcilicet ac precationis in modum, ſaepius, & quaſi ſollemniter vſurpatur. Principio autem id indicare, ſibique & aliis hoc ad animum reuocare voluit Imperator: imperandi pariter, & ſtatuendi aliquid poteſtatem, Deo, Deique filio, ſummo illi magiſtratuum regi atque auctori, merito ac recte adſcribi. Iſraelitarum ſcilicet imitatus exemplum: Saulem iuxta & reliquos reges, diuinitus vnctos ſalutantium; atque alios quoque imperii ſui praeſides, non niſi a Deo petentium. Quibus poſtea ſuffragati, tam Nabuchodonoſor, quam Cyrus, omnem imperantium dignitatem a Numine diuino concedi, regendisque hominibus, viros, coeleſti ad id conſilio deſtinatos, praeponi, memorabilibus ad totam poſteritatem

tatem effatis, profitebantur. Quamobrem & noſtrae aetatis principes, Caroli magni hac in re pietatem ſecuti, Dei ſe gratia ſummae rerum praeeſſe, in mandatis, ac titulis ipſis, agnoſcunt. Quae religionis primum ac modeſtiae nota, progreſſu deinde temporis, in imperii, elogiorumque ſollemnium pompam degenerauit. Porro & hoc, laudatus ſaepe Iuſtinianus, exordiendi hac formula inculcauit: ferendis cuſtodiendisque in republica legibus, non tam mortalis cuiusdam, quam aeterni Numinis vices adminiſtrari. Quemadmodum enim prima omnium iura, a Deo legislatore profecta, partimque animis noſtris inſcripta, partim vero duabus tabulis inſculpta fuerunt: ita omnia ſuperiorum mandata, ad diuinam hanc normam exprimi, Deique ipſius nomine publicari, & hoc ſimiliter pacto ad ciuium actus accommodari, fas erit. Nam ex hominibus quoque incredulis, Minos Ioui, Lycurgusque ac Numa ſuae ſimiliter gentis numinibus, ſancitorum ſuorum originem acceptam tulerunt. Graecorumque eruditisſimus Plato, vllum reipublicae ſuae ſtatutum valere,aut promulgari antea poſſe, negauit, quam diuinioribus id oraculis confir-

confirmatum, atque adeo conſecratum fuiſſet. Sanctiori autem, magisque ad veri Numinis venerationem & cultum directa cerimonia, Ebraeorum populus, cunctis imperii ſui gubernatoribus, ſub magiſtratus auſpicia, praeceptorum coeleſtium codicem, velut omnium ſtatutorum & actuum cynoſuram ac regulam, in manus tradebat. Similiter primus chriſtianorum caeſarum, & re non minus, quam appellatione maximus, Conſtantinus, cum edicta is aliqua in ſubiectorum notitiam ederet; non paganorum quorundam ſe more, Deum aliquem, ſed Dei potius ſeruum dicebat. Pronunciati illius diuini conſcius: quo leges pariter, & iudicia, Dei vnice cauſſa & vice conſtitui. publicarique dicuntur. Quod ipſum animo contemplatus Iuſtinianus, hanc pietatis praeterea partem, pio adeo legum ſuarum principio, magiſtratibus aliis commendauit: vt in iure dicendo, Dei inprimis auxilio niterentur; diuinamque gratiam ſanctis precibus ſibi conciliarent. Atque hoc, dubio procul Iuſtinianus, a ſapientiſſimo atque maximo regum, Salomone didicerat; ſicut leges ferendi, ita & lites ciuium dirimendi prudentiam, ſuſceptis ad Deum religioſisſimis votis, diuinitus

nitus conſecuto. Forte etiam Conſtantini magni effigies, vultu in coelum ſublato, manibusque expanſis, ad precantium inſtar, in aureis eius nummis expreſſa, oculis tunc eius obuerſabatur. Nam ſapientiae quoque ciuilis initium, ab honore Numinis, quemadmodum aliorum, ſic magiſtratus praecipue inſtituta & conſilia, fideliter dirigentis, ducendum eſt. His igitur omnibus, ac Iuſtiniani potisſimum ſui exemplo monitus, ſemeſtris ſecuturi Prorector; non doctrina ſolum, ſed pietate etiam ſua, inter noſtros ſpectatus, & iam antea celebratus; cum ſalanae iſtius ſtatuta ex egregio publico deinceps tractabit; tunc & dominum illum coeleſtem, cuius munia in imperando obibit; & Chriſtum, rerumpublicarum pariter bono, diuinitus vnctum, & Ieſu non minus titulo cognitum, ceu ſalutis noſtrae auctorem, veneraturus; nec niſi iſtius nomine ac praeſidio, negotia vniuerſa geſturus eſt. Ducem vero hunc veſtrum & Vos, academici Ciues, religione & obſequio veſtro ſequemini: atque vt alias, ſic ventura etiam Iouis die, inaugurando eidem dicata, pro ſereniſſimorum Principum, ac totius academiae

bono

bono, preces caſtisſimas ad Deum fundetis; recitandasque tunc leges, diuini legislatoris gratia freti, nunquam non obſeruabitis. Sic negotia atque conata omnia, ſeruatoris veſtri auſpicio, vel, ſecundum Imperatoris formulam: in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti: ſalutariter ac pie perficietis. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. V poſt Epiphan A. O. R. cIↄ Iↄcc xIII.

XXII

SIcut VVEDELIORVM, in ſalana noſtra florentium, domus, ob ſanandi in ea magiſtros eximios, Aeſculapiorum quaedam familia dici meretur: ita parentis ſolertisſimi dexterrimo filio, IOANNI ADOLPHO VVEDELIO, artis ſalutaris doctori, ac profeſſori ordinario, medicoque ducali prouinciarum Vinarienſium, ac Ienenſis reipublicae phyſico praeſtantisſimo, prorectoris academici faſces, de communibus ſenatorum ſuffragiis, inſtanti hebdomade traditurі; haud praeter rem primi illius Aeſculapii, qui medicamentorum inuentor, medicorumque propterea deus eſt habitus, ſiue hiſtoriam, ſiue fabulam, ſiue vtram-

que, data occaſione tam commoda, nobis proponimus, ac reminiſcendo adeo recognoſcimus. De quo cum infinita fere, & maximam partem ſingularia, notatuque dignisſima, a Graecis pariter ac Romanis iactentur; tum eius praeſertim baculus, ſerpente videlicet inuolutus, qui Dei huius inſigne, &, vt appellarunt poetae, geſtamen eſt creditus, noſtris nunc oculis atque animis obuerſatur. Cuius rei hanc afferunt, vel comminiſcuntur potius rationem: quod ſacerdotum priſcorum aliquis, anguem aliquando exiguum, coronidis, ſeu corniculae ouo incluſerit; & mox, ara extructa, in concionem propulum aduocauerit; fuſisque ad Apollinem atque Aeſculapium precibus, ouum illud, praeſentibus multis, fregerit; pulloque ſerpentis, praeter ſpem reliquorum, inuento, cunctos homines in admirationem haud paruam rapuerit. Paucis vero elapſis diebus, inſignis magnitudinis aſpidem, in loco ſubobſcuro latentem, & artificio aliquo ſe mouentem, oſtendens: Deum hunc eſſe, Apollinis & Coronidis filium: tanto ſucceſſu is dicitur affirmaſſe; vt ex eo tempore angues, Aeſculapii tutelae ſubiectos, atque baculum a ſerpente circumdatum, eius inſignibus contineri,
viuis

viuis iuxta & poſteris perſuaderet. Verum alii, ex hoc poetarum figmento, medicorum ſcilicet gratia, hanc veritatem exſculpunt: ea de cauſa Aeſculapio ſcipionem, ſerpentis amplexu circumplicatum, a paganorum vatibus tribui; quoniam angues medicamentis plurimis atque generoſiſſimis apti ſint; ſanandique artifices, cum Aeſculapio ſuo, efficiant, vt hominum aegrotorum corpora, imbecillitate, ceu pelle, depoſita, ſanitati ſuae atque vigori reſtituantur; haud ſecus ac angues, annis ſingulis cutem exuere, & viciſſim reſumere, perhibentur. De cetero nihil impedit, quo minus nos, libertate eadem, hanc ſerpentis figuram, baculo Aeſculapii iunctam, de magiſtratus officio, ab Aeſculapii quoque filiis, in literarum praeſertim domiciliis, nonnunquam adminiſtrando, & in hoc etiam prytaneo, VVEDELII medici dexteritate ac fide, per ſemeſtris proximi interuallum, explendo, interpretemur, atque imperantibus iuxta & ciuibus, iſto inprimis tempore, inculcemus. Idque ex rationibus aeque grauibus, nec minori antiquitatis conſenſu, praeſtabimus; ſiquidem in oſtentis veterum & praeſagiis, ſumma dignitas, & ipſius imperii amplitudo, ab

angue portendi, ac velut praedici, exiſtimabatur. Sic Seuero imperatori, futurum eius regimen praemonſtrari eſt creditum; cum ipſi, in ſtabulo dormienti, ſerpens aliquis caput cinxiſſet, & ſine noxa, expergefactis acclamantibusque familiaribus, abiiſſet. Ferunt etiam, anguem, Aureliani adhuc pueri peluim circumdediſſe: quem, quandoquidem magiſtratus ipſi honorem, tanquam genius aliquis, ominari, ac promittere videretur; mater, diuinationum perita, laedi atque occidi noluerit. Eamque ob rem, ducum Mediolanenſium id inſigne, celebritatisque & regiminis argumentum habetur: quod in clypeo, ſeu planitie aurea, ille Aeſculapii anguis coeruleus, atque plurimis gyris contortus, appareat. Dignus adeo ſerpens, ante animalia plura eſt habitus, cuius vis maxima atque admirabilis, magiſtratus potentiam atque imperium indicaret: & cuius actiones ac dotes, rerumpublicarum moderatoribus in exemplum proponerentur, maioremque in modum commendarentur. Namque aſpidem, prudentiae & ſagacitatis magiſtram, non Aegyptii ſolum fecerunt; ſed generis quoque humani redemtor, ad anguium inſtar vt ſapia-

ſapiamus, ſolerteſque & cautos nos praebeamus, amice ac ſerio cohortatur. Cum vero in omnibus rebus humanis, ſapientia, & agendi dexteritas requiratur; tum in imperio maxime, vſum ea inſignem atque vberrimum praeſtat; quippe quod, absque virtutis iſtius praeſidio, minus firmum, vel nullum potius eſſe ſolet. Quemadmodum enim nauigia, ſine ferro, cui quis magnetem affricuit, difficulter admodum, & cum ingenti periculo, diriguntur: ita reipublicae nauis gubernari atque ſeruari haud poteſt; niſi rectoris animum ſapientia probe imbutum, & contra tot caſus ac diſcrimina, praemunitum penitus eſſe, contingat. Sine cauſa proinde Conſtantius, Conſtantini imperatoris filius, a quibusdam, literatorum inuidis, reprehenditur; quod neminem in ſenatus ordinem, niſi cordatum ac eruditum, & loquendi inſuper ſapientia ſatis praeſtantem, admiſerit. Eiusmodi vero intelligentiae genus imperantibus conuenit: quale ſapientiſſimus regum, Salomo, ſub regni ſui auſpicium, in votis habebat: cuius nempe principium pietas, aeternique Numinis cultus exiſtit. Huius enim vnius beneficio atque inſtinctu, finem agendi conſulendique praeſtantisſimum,

honeſtatis atque virtutis videlicet gloriam, & omnia eo facientia, maxima aeque ac minima, curae habebit. Id quod indicaturi veteres, ita ſaepius anguem pingebant: vt ſuam is caudam, finis ſcilicet atque ſcopi imaginem, ore ſuo mordicus retineret. Hoc igitur ipſo, talem imperii praeſidem eſſe, optabant; quales olim Auguſtus, Et Antoninus poſtea pius, quin & Traianus, imperatores, celebrabantur: qui ob egregia actionum ſuarum conſiliorumque inſtituta, in coelum elati ſunt. Contra ab Heliogabali, Caracallae, ac Domitiani peruerſitate, deterrere, huiusmodi imaginibus, reipublicae ſuae gubernatores volebant: qui ad ſummum euecti faſtigium, abiecta rerum bonarum, ſcopique neceſſarii cura, ſuas vnice explere cupiditates, vel iure, vel iniuria, conabantur. Quandoquidem vero virtutis ac laudis ſtudium, ſine ſecuritate publica, languere vtplurimum, ac reſtingui conſueuerit; huiusque potiſſimum cauſa, vetuſtiſſimi hominum in ſocietates coiuerint, magiſtratusque elegerint; proinde tutelam defenſionemque ciuium, non alia magis ratione, quam ſerpentis vigilis, pectusque ac verticem erigentis, effigie, commendandam

dam ſuperioribus, cenſuerunt. Cuius memores olim Thebani, Epaminondae, reipublicae ſuae conſeruatori atque cuſtodi egregio, lapideam erexerunt columnam, in qua ſerpens huiusmodi ſculptus conſpiceretur. Is nimirum laudandus, ac praeferendus eſt ceteris magiſtratus; de quo Senecae illud, in conſolatione ad Polybium, dici queat: omnium ſomnos illius vigilantia; omnium otium eius labor; omnium porro delicias iſtius induſtria; omniumque vacationem occupatio eius defendit. [1] Quando igitur de Prorectoris futuri ſapientia, honeſtate, vigilantia, ac virtutibus ceteris, ab Aeſculapii angue ſignificatis, praeclara nobis omnia pollicemur; nihil reliquum eſt, niſi vt iſtud quoque ſerpentis augurium, quo vis eius ſalubris ſalutem publicam olim notabat, de laudato VVEDELIO capiamus. Veſtrarum ergo eſt partium, Ciues cariſſimi! vt ventura proxime lotiis die, non tam in Aeſculapii, quam academiae templo, poſtquam pro sereniſſimorum ſalute Principum, quibus leges tunc recitandas, & in quorumuis pectora defigendas, debetis, ſupplicationes ſanctiſſimas ſuſceperitis; iſtud pariter immortalem Deum oretis: vt VVedeliano iſthoc regimine implea-

tur, quod in Alexandri Seueri nummo extabat: vbi ſimulacro ſedenti, atque pateram porrigenti, anguis aliquis, cum inſcriptione: ſalus publica: aſſurgebat. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. VIII poſt Trinit. A. O. R. cIɔ Iɔcc xiii.

XXIII

SVmmam rerum, in ſapientiae ac virtutis hoc domicilio, verni atque aeſtiui temporis interuallo, de ſenatorum, ea in re conſentientium, voluntate, adminiſtrabit Vir ampliſſimus, IOANNES IACOBVS SYRBIVS, non rationalis tantum, ſed & primae philoſophiae profesſor, inter ordinis ſui philoſophos celebratus. Cui ſcientiae tantum honoris dignitatisque a ſapientibus priſcis tribuitur; vt ſumma etiam ei poteſtas, ac imperium in diſciplinas reliquas, deferatur. Et iſtud quidem regiminis genus, in eo Peripatecici, iſtorumque exemplo, alii ponunt: quod pars iſta philoſophiae praecipua, argumentorum omnium fontes, principiorum nomine inſignitos, artibus ac ſcientiis cunctis aperiat, & dictatoria quaſi auctoritate, eaque addita lege, praeſcribat ae imperet: vt effata

ſata huiuſmodi, cynoſurae in modum ab eruditis hominibus habeantur; ad quam omnia, quae aut veritati ſincerae congruant, aut ab eadem recedant, perpetuo exigantur. Atque ſatis id cauſae exiſtimant, cur ſcientiam iſtam, non primae ſolum philoſophiae, ſummisque honoribus atque laudibus dignae; ſed & architectonicae, quin reginae ac dominae, appellationibus & elogiis cohoneſtent; atque omnibus, qui vnquam victuri ſunt, doctrinarum cultoribus & magiſtris commendent. Sicut autem pronunciatorum, quibus philoſophiae principis ac diuinae imperium continetur, certus ordo ſeruatur; aliorumque veritas ab aliis pendet: ita caput eorum & faſtigium, de Ariſtotelicorum ſententia, in hoc vno conſiſtit: quod neque humanis viribus, neque diuinis, effici queat, vt & eſſe aliquid, & non eſſe, eodem videlicet tempore ac modo, contingat. Cum proinde, ceu ſapientum plurimi opinantur, nulla inter mortales ſcientia, nulla ars atque doctrina reperiatur, quae non eius generis demonſtrationibus atque argumentis vtatur, quorum extrema confirmatio, & aduerſus contradicentes propugnatio, ab hoc principio repetatur; mirum vtique non eſt, ſi imperandi etiam

iam diſciplina, quam vulgo politicam ſalutamus, firmamenta ſaepius ſua, ac praeceptorum ciuilium lucem clariſſimam, ex eodem, vt Varro appellat, proloquio ſortiatur. Et quemadmodum olim Vlyſſis apud Homerum ſociis, herba moly, aduerſus Circes improbae veneficia, a Mercurio monſtrabatur: ita in rebus publicis hoc effatum, ad variorum errorum vitiorumque praeſtigias auertendas atque cauendas, maximopere aptum & validum eſſe videtur. Docet verior, & qualis hominibus Chriſtianis congruit & probatur, regnandi prudentia: quod imperantes pariter & parentes, purgare a vitiis animum, & quamcunque impietatem & malitiam procul habere, vel ea de cauſa oporteat; quia alias Deum, a quo omnis proſperitas pendet, inimicum penitus & aduerſum ſint habituri. Prout ex Ebraeorum regibus atque ciuibus, illi, qui vera animum pietate imbuerant, rebus ſecundis, & ex voto fluentibus, diuino nimirum beneficio, vtebantur. Qui autem a ſempiterni Numinis reuerentia cultuque receſſerant; cum incommodis malisque perpetuis, ex iuſtiſſimi Dei decreto, conflictabantur. Quicunque igitur parum ſe memores pietatis, ſuique in Deum officii, gerunt;
ecquid

ecquid aliud prae ſe ferunt & agunt, quam vt felicitatem in republica ſuam, cuius deſiderio omnes tenentur, cupere; dum autem peruerſis atque improbis moribus, omnis fontem felicitatis obſtruunt, eam ipſam non cupere, &, ex celebri metaphyſicorum effato, omnium bipedum abſurdiſſimi eſſe credantur? Poſt religionem tranquillitas, animorumque coniunctio, tanquam ſocietatis totius, bonique communis vinculum, a rerumpublicarum prudentibus commendatur: & quo pacto concordia paruae res creſcant, ac diſcordia res maximae dilabantur; non tam imperatoris cuiusdam iudicio, quam Graecorum, aliarumque gentium exemplis euincitur. Iam, qui altercationes atque tumultus concitant; illi, melius ſibi & aliis hac ratione futurum, peruerſe & abſone ſomniantes; id tandem diſſenſionibus ſuis ac turbis efficiunt, vt nec ſibi, nec ciuitati melius velle; ſed, quantum in ſe eſt, omnes alios, & ſe etiam ipſos perdere, atque iterum, de philoſophiae primae ſententia, ſuo ſe gladio iugulare, non ſine omnium indignatione atque contemtu, credantur. Idem vero argumenti hoc genus Menenius ille Agrippa, qui de Sabinis triumphauerat, Romanis

hac tempeſtate tumultuantibus, tranquillitatis & concordiae commoda, fictione inſigni commendaturus, ſuo in animo habuiſſe videtur. Olim, inquiebat hic heros, artus humani, cum ventrem tam otioſum cernerent, ſuum eidem miniſterium negandum ducebant. Cum autem hoc pacto & ipſi deficerent; intellexerunt illico, ventrem acceptos ab aliis cibos per omnia membra diſſerere; & cum eo proinde in gratiam redierunt. Sic ſenatum & populum, quaſi vnum aliquod corpus, diſcordia quidem perire, ſed concordia ex aduerſo valere: quique, emolumenti cuiusdam gratia, turbas cieant: bene ſibi ac ſociis cupere, & non cupere; Romanorum populo, mox regredienti, rerumque iſtarum repugnantiam agnoſcenti, perſuaſit. Plura longe, quam a nobis allata & confirmata ſunt, reſtant, e quibus inſignis ac multiplex eiusdem pronunciati in republica vſus elucet. Sed nos, ſpatiis anguſtis excluſi, vnius tantum politicorum adhuc ſanciti meminimus, quo ad magiſtratus electi, tanquam Dei ipſius imaginem ac munus gerentis, reuerentiam & obſequium, ſicut alios ciues, ita & Vos, cariſſimi! excitant illi atque inflammant; quod non alia conditione ac

lege,

lege, quam vt ſuperioribus imperandi, & ſubiectis parendi gloria in ciuitate relinqueretur, ſocietates ciuiles, omni aeuo coaluerint. Si qui igitur ſunt, qui ambitionem ac libidinem ſuam potius, quam eius, qui reipublicae praeeſt, officium dignitatemque reſpiciunt, & in actionibus ſuis ſequuntur; iſti homines eo tandem hallucinationis ac dementiae prolabuntur: vt magiſtratum non gerere eam perſonam, quam gerit, nimis temere ſibi imaginentur: & exiſtere ſimul vnius reipublicae ciues, ac non exiſtere, contra enunciatam a philoſophia laudata ſententiam, animum ſuum inducant. Ne autem id, quod natura non ferret, vt accideret, vſu tamen aliquando venire, per ſubiectorum pertinaciam, cenſeretur; ipſa Dei irati nemeſis, grauiſſimis longe animaduerſionum exemplis, in Coraitarum & ſimilium clade ac interitu editis, cauiſſe videtur. Sicut ergo praecipuum illud philoſophiae principis ac primae effatum, hominibus vitioſis, remque publicam corrumpentibus, velut inſigne Palladis ſcutum, peropportune ac recte obuertitur: ita nulli ambigimus, fore, vt deſignatus nouiſſime, & ad proximum Iouis diem, in templo Paulino inaugurandus, athe-

naei huius Prorector, ſapientiae genuinae ac firmae praeſidiis, cum maximo & exoptatiſſimo rerum academicarum ſucceſſu, vtatur. Nihilque adeo reſtat, niſi vt Vos quoque, o noſtri! tanquam virtutis & ſapientiae cultores, exhibeatis; talique animo leges, in memorata panegyri recitandas, Vobisque omnibus ſalutares, excipiatis; precesque inprimis religioſas & ardentisſimas, pro ſerenisſimorum Principum, atque academiae huius ſalute, illo tempore ad Deum fundatis. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. Sexageſ. A. O. R. cIↄ Iↄcc xiv.

XXIV

ADminiſtrati iam olim, ac laudabiliter geſti regiminis curſus, Viro maxime reuerendo, IOANNI ANDREAE DANZIO; tam diuinioris ſcientiae, quam literarum, in toto oriente cultarum, profeſſori egregio; & quemadmodum in philoſophorum ordine Senioris, ita in theologorum ſenatu, decurionis muniis, in literata hac ciuitate, conſpicuo; atque nunc prorectoris perſonam, communi Patrum conſenſu, per ſemeſtris venturi ſpatium, ſuſcepturo: eam

eam integritatis, ſedulitatisque ac prudentiae opinionem conciliauit; vt fortunata ac laeta ſimiliter omina, de futuris ipſius conſiliis, ac in publicum profuturis negotiis, capiamus. Quodſi enim, qui exercendis iudiciis praeſunt, eadem omnes virtutis ac religionis praeſidia ad hanc functionem afferrent; illud fortaſſe, quod optandum potius in rerum hoc ſtatu, quam ſperandum eſt, vſu aliquando veniret: vt magiſtratuum in orbe chriſtiano obtrectatores, atque ex horum agmine, hodierni quoque Iudaei, non doctrinis tantum firmiſſimis, ſed multo adhuc efficacioribus factis refellerentur, ac de poſtero in pudorem darentur. Namque improba iſta Abrahami religioſi progenies, licet Chriſtianorum ditioni ſubiecta, totque ipſorum beneficiis atque meritis obligata, quibus praemia inuenire ſatis ampla haud poteſt; Phariſaeorum tamen, quibus, alieno ſubeſſe imperio, nefas habetur, inueterato ac peſtilentisſimo errore imbuta, alienisque ſucceſſibus moerens, nullos non, ſicut incredulorum atque Turcarum, ita Chriſto etiam addictarum gentium moderatores, haud aculeatis ſolum dicteriis & conuitiis; ſed horrendis etiam atque impiis execrationibus, vehemen-

menter exagitat, omnique loco ac tempore inſectatur. Inde igitur eſt, quod in noſtratium coetibus, non excelſam amplius domum, ſiue, vt ipſi loquuntur, בית גליא BETH GALIA; ſed domum potius foueae, quam בית כריא BETH CARIA nominant, celebrari; vultumque regium, פני מלך PENEMELECH vocatum, פני כלב PENE KELEBH, hoc eſt faciem caninam videri, impudenter admodum & flagitioſe contendunt: ipſumque praeterea Romanorum imperium, haud ſecus ac מלכות הרשעה MALCVTH HARISCHAH, regnum impium, nimis profecto inique ac turpiter criminantur. Quemadmodum vero ex his, Ebraeorum contemtus, & intolerabilis aduerſus ſuperiores inſolentia, aperte ſatis elucet: ſic maioris adhuc perfidiae ac impietatis arcanum, imperii Edomitici, ſeu מלכות אדום MALCVTH EDOM, ignominioſiſſima appellatione, oſtendunt: qua videlicet chriſtianorum rempublicam ita deſignant, atque in ſcholis adeo ſuis traducunt; vt eius ſimul praeſidibus, crudelitatis illius & malitiae, quae Edomitis propria erat, contumeliam haud obſcure imponant. Huius vero conuitii diuerſae occaſiones a docto-

ctoribus ipſorum diuerſis arripiuntur: Abeneſra quidem, ſanctisſimi ſeruatoris imaginem, in ſacerdotis tunc Edomaei, hoc eſt, vt ipſe interpretatur, Graeci aut Itali manus, a Conſtantino Magno traditam, audacter comminiſcente; aliis autem, vel Titum Veſpaſianum, vel Iulium Caeſarem, vel ciuium Romanorum pleroſque, ſuam originem ad Eſauum referre, ſine idoneo argumento ac teſte, cauſſantibus. Quodſi Moſem, Nachmanis filium, audiamus; inter Eſaui poſteros, Tzepho, ex Aegyptiorum regionibus cum in Campaniam ſe proripuiſſet; initio Cittaeorum prouinciae, hinc Italiae, ac vrbi adeo Romae, ſummo cum imperio praefuit: primumque in hac ciuitate delubrum, a Romanorum ciuibus frequentandum, exſtruxit. Horum omnium vero, quin ſuam ipſorum impudentiam ſuperare cenſendi ſunt, qui ſecretiores nationis Iudaicae libros, a Ioanne Buxtorfio allegatos, magno humani generis malo, compoſuerunt: in quibus, Eſaui anima in Chriſtum migraſſe; atque hominis huius ferocis ac improbi mores hic induiſſe; ſibique adeo ipſe Eſaui; atque aſſeclis ſuis, Chriſtianorum titulo notis,

notis, Eſauitarum, ſiue Edomitarum nomen promeruiſſe, inepte ac ſtolide ſatis commemoratur. Et huiusmodi quidem calumniis, auditu ipſo horrendis, vt colorem quendam inducant; ad Ebraeorum ſuffragia, atque quindecim ſeculorum traditiones, indicio licet nullo probandas, ac figmentis impiis plenas, confugiunt. Eum ſaltem ex ſua malitia atque impudentia fructum habentes: vt, quae de Edomitarum ruina & exitio a vatibus diuinis dicuntur; vel de antichriſti etiam, in codice diuino deſcripti, ſceleribus ac ſuppliciis valent; ea, manifeſto errore, aut flagitio, ad Chriſtianorum regimen, conceſſamque diuinitus poteſtatem, detorqueant. Hoc denique vnum, ad Iudaeorum aduerſus ſuperiores perfidiam atque impietatem, reſtabat; vt preces quoque ſollemnes, at hoſtiles nimium, contra Chriſtianos dirigerent. Quarum formula in eo eſt ſita: vt ipſis, ceu defectoribus improbis, nulla amplius ſpes atque expectatio relinquatur; vtque hi, nationis Iudaicae hoſtes, funditus deleantur, ac imperio ſuo ſuperbo excidant, & precantium adhuc aetate, ſub iugum mittantur. Vos, cariſſimi! bruta haec Iudaeorum fulmina, in capita eorundem recide-

recidere , veſtrique officii eſſe, cenſebitis, vt Dei ipſius imaginem in magiſtratu colatis; atque proximo Iouis die, initiationis ſollemnibus ſacro, tam ſereniſſimorum Saxoniae Ducum, quibus leges, tunc recitandas, debetis, quam Prorectoris futuri felicitatem ac vitam, ſummo numini, rerumpublicarum atque academiarum auctori, in templi academici aede, tanto ſanctius ac religioſius commendetis. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. X poſt Trinit. A. O. R. cIↄ Iↄcc xlv.

XXV

SAlutari prorſus conſilio, viriſque ſapientibus digno, patres academiae huius conſcripti, ex reliqua ſenatorum corona, nobilisſimum, annisque ac meritis grauem iuris antiſtitem, IOANNEM BERNHARDVM FRISIVM, Poeſenenſis praedii clientela conſpicuum, nec non aulae & concilii ſancti conſiliarium, itemque anteceſſorem, ac in prouinciali curia, & ſcabinorum collegio, adſeſſorem eximium, inſtantis nunc veris atque aeſtatis regimini, quod inter ciues academicos geri ſolet, non multo abhinc tempore,

deſtinarunt. Nam ſi Iuſtinianum imperatorem, cuius plurimum debet valere auctoritas, in elementorum ſuorum prooemio, audiamus; quemadmodum nemo, vt ad imperii clauum ſedeat, iuſti ac aequi peritis dignior inuenitur: ſic legitimae diſciplinae cultores, in ſpem iſtam pulcherrimam, a laudato caeſare factam, erudiuntur: futurum videlicet eſſe, vt, perfecto paulatim legitimo opere, res poſtmodum publica, in partibus cuique credendis, bono atque felici omine, ab ipſorum ſingulis gubernetur. Qua in re idem ſtatuit imperator, quod multis ante ſeculis Plato, homo diuinus, ſtatuebat: qui, dum omnibus numeris abſolutae, eamque ob cauſam praeſtantiſſimae ciuitatis imaginem mente ſua conceperat; neque rectius atque ſapientius vllos, quam iuſtitiae ac legum ſcientes, praefuturos eidem, credidit; & iſtorum doctrinam ideo artis regiae titulo & laude ornauit. Etenim iura illa & inſtituta, a quibus ipſi hanc appellationem honorificam habent, vt iureconſulti vocentur; & in quorum interpretatione ac vſu omnes eorum vigiliae conſumuntur; non vincula tantum & fulcra reipublicae, ſed eius etiam vita & anima, ab hominibus cordatis putan-

putantur; quoniam ſine iis, diſſolui & ruere, ac interire imperii corpus, quaſi ex eo anima euolaſſet, neceſſe eſt. Quale quid Romanorum ciuitas, tam tumultuum aliorum temporibus, quam Gracchorum maxime aeuo, experiebatur: quo videlicet, dum ius vi obrutum erat, & pro legibus fraus ac nequitia inualuerant; ipſe ſpiritus ille vitalis, quo ſalus ante publica vixerat & viguerat, exceſſiſſe ex republica, vireſque eius ac robur ſecum tunc abſtuliſſe; non a vulgo tantum, ſed a viris etiam ſapientibus credebatur. Quodſi ergo tam diu ſolum, reſpublica floret, quoad ſuperiorum decretis ſua dignitas atque auctoritas conſtat; quantum, quaeſo, honoris, iureconſultis, velut illorum interpretibus & cuſtodibus, deferendum; quantumque momenti ac ponderis ad ſalutem publicam, in ipſorum non modo conſiliis, ſed imperio quoque, ponendum, cenſebimus? Porro iuſtitiam, a coelo in terras, communi mortalium commodo, deuocatam, imperiorumque omnium matrem, vſque eo ſacerdotes illius, propriam, & tanquam peculium, ſibi vindicant; vt in actionibus ſuis, ad hanc virtutem, ceu ad normam ac

ſcopum, a quo recedere nefas habetur, quadam velut neceſſitate, reſpiciant. Quibus atque ſimilibus cauſis inducti, ex Romanorum imperatoribus, Auguſtus primum; atque poſt ipſum reliqui, ſolis iureconſultis, tanquam ad iſtiusmodi inſtitutum aptisſimis, de iure ac iuſtitia reſpondendi, liteſque adeo ciuium dirimendi, in regnorum ſuorum prouinciis, poteſtatem dederunt. Et quemadmodum ab illorum ſancitis & conſiliis, aeuo veteri, Romanorum iudicum nulli recedere, aut diſcrepare licebat: ſic hodierna adhuc aetate, iureconſultorum reſponſis, ſententiarum ſcilicet inſtar petitis, iudiciorum quorumque moderatores, de lege non minus, quam conſuetudine, obſtricti tenentur. Ex quibus & hoc arguere ac firmare licebit: ſummam rerum vel ideo, doctrinae legitimae arbitris & cuſtodibus tuto ſatis committi; quoniam ipſi, pronunciatis ſubinde ſententiis ac decretis, adminiſtrationem rei publicae, iudiciorumque regimen, aliis cunctis praeſcribere, & quodammodo imperare, auctoritate muniti caeſarea, conſueuerunt. Iam, ſi eos inprimis militiae duces, atque nauium gubernatores optamus, quos in arduis his negotiis aliquamdiu exercitatos,

toſ, & cum maxima laude verſatos, cognouimus; certe illi, regendae reipublicae partibus, cum maiori omnium expectatione ac fiducia, praeponentur, qui ſua hucusque ingenia, in diiudicandis bonorum atque malorum actionibus, praeclare exercuerunt. Vnde optimus atque laudatisſimus imperii ſtatus, qui Seuerorum imperatorum aetate effloruit, ex eo inprimis horum principum conſilio ortus creditur; quod ipſi Papinianos ac Domitios Vlpianosque & Paulos, maxima illa ac praecipua iurisprudentum lumina, ſuis curiis & iudiciis praefecerunt. Quamobrem & nos de Prorectore electo; cuius auſpicia, venturo proxime martis die, inter precationes ſanctisſimas, pro ſerenisſimorum Principum flore ſuſcipiendas, recitationemque legum ſalutarium, a Vobis, o noſtri, religioſe & ſancte obſeruandarum, celebrabuntur; tanto nobis praeclariora promittimus, & vobis quoque ſpondemus; quanto is plures, de hac virtutum, optimarumque artium officina, merendi occaſiones, ex prouincia iudicis, ſemel ac iterum geſta, iam olim amplexus eſt. P. P. ſub Acad. ſig. die feſto, purgatae poſt partum Mariae beatiſſimae ſacro, A.O.R. cIɔ Iɔcc xv.

XXVI

TEmpeſtatis hibernae regimen, haud ſine concordibus ſenatorum ſuffragiis atque gratulationibus, ſuſcepturo, magnae doctrinae atque experientiae Viro, tamque Schvvarzenſis praedii clientela, quam; in ſacro palatio comitis, conſiliariique & archiatri Saxonici dignitate, ac profeſſoris ordinarii functione, multos iam annos praeſtanti, GEORGIO VVOLFGANGO VVEDELIO, ſicut ingenii ac induſtriae monumenta, inque ſcientiam ſuam merita, ſingularem vndique famam circumdederunt: ita nomen, familiae eius proprium, a flabello, vel, vt alii vocant, muſcario; ſiue id caſu aliquo, ſiue certis ex rationibus, aliquando euenerit; ortum videtur. Cuius nos rei ideo mentionem nunc facimus; quoniam inſtrumenti hoc genus, a Phrygibus primum ad Graecos, poſt ad alias nationes traductum, non pauca omnino, de magiſtratu academico recte & ſalutariter cogitandi, materiam nobis & cauſam ſuppeditat. Conſtat quippe, corporibus noſtris, a ſole aeſtiuo, atque nimio calore vexatis, flabelli iam dicti beneficio, gratam quandam temperiem voluptatemque

temque conciliari; dum videlicet illud, vel hominis aeſtu afflicti, vel miniſtri aut comitis manibus, vna ex parte in alteram agitatur. Vnde Itali cuiusdam ingenioſi ac docti inſcriptio, qua alternando recreare flabellum dicitur, eiusque ad varietatem ac viciſſitudinem rerum, accommodatio eſt enata; quandoquidem omnis mutatio, & oblectamento mortalibus, & gaudio eſſe conſueuerit; cum a rei eiusdem continuatione longinqua, aut perpetua, multum faſtidii ac moleſtiae plerumque creetur. Neque vero quis adeo longe ab inſtituto auctoris aut ſcopo diſceſſerit; ſi haec ipſa de magiſtratu intellexerit atque interpretatus fuerit: qui, ſicut in Romanorum atque Athenienſium olim rebuspublicis, ſic in academiarum hodie ciuitatibus, plus commoditatis & gratiae habere putatur; vbi alternis vicibus, & quaſi per circulum quendam ac orbem, a ſenatorum ſingulis ſuſtinetur: vt iam huius, modo illius praeſtantia & auctoritas, in honoris & gloriae hoc theatro conſpiciatur, ac nouis ſubinde ſpeciminibus, factisque egregiis exſplendeſcat. Ad flabella vt redeamus; quoniam cultioris apud veteres moris homines, muſcaria pauonina, atque ex pennis auium, pulchro ordine, in vnum faſciculum colli-

gatis, compoſita, vtplurimum adhibebant; ideo illa id nominis, apud poetam Graecorum, Euripidem, ſortiuntur, vt circuli quidam plumei ac bene compacti appellentur. Interiectis deinde temporibus, vſu venit, vt pauonum, ceterarumque volucrum plumae, in ordinem tam decorum diſpoſitae, a viris cordatis, ac rerumpublicarum peritis, diſciplinae & ordinis, inter milites, ciuitatisque vnius ſocios, ſumme vtilis atque neceſſarii, documenta, & quemadmodum Graeci loquuntur, ſymbola, cenſerentur. Atque merito nihil prius & antiquius olim Spartani, in conſtituenda moderandaque republica inprimis verſati, habuerunt, quam vt ſuorum militum atque ciuium ordo, imperturbatus omnino, ac integer ſeruaretur. Paremque in modum alii, primum atque praecipuum ciuitatis, ac ſpeciatim academicae, firmamentum, in diſciplinae prudentis ordine non tantum conſtituunt; ſed quoties ferme de corrupto ac deſperato reipublicae, aut alicuius interdum academiae ſtatu, verba faciunt; toties iſtius occaſionem, principiumque & cauſam, a diſſolutis ciuium, ac iuuentutis praecipue moribus, atque omnium rerum confuſione, ex turbu-

turbulento viuendi hoc genere, negleſtisque legibus orta, arceſſunt. Atque ad haec ſuperiorum ſancita, quibus diſciplinae publicae norma atque adminiſtratio continetur, corollas illas myrteas, quae flabellorum videlicet vſum, prout ex Ariſtophane patet, Athenienſibus praeſtiterunt, oratorum quorundam exemplo, etiam nobis accommodare, & quodammodo transferre licebit. Myrti quippe, diuerſis circumdatae vinculis, & ligatae figuram, Ioannes olim Baptiſta Mazzolenius, verbis perelegantibus, ac dimidium verſum conficientibus: dant vincula formam: inſigniebat. Quibus ipſe ſuorum temporum iuuentutum alloqui, atque grauiter commonere volebat: ſtatutorum ei ac legum vinculis obligatae, egregiam,& talis fere pulchritudinis dignitatisque formam accedere; qualem, legibus iſtis ſoluta, nunquam ſperare aut acquirere potuiſſet. Sicut enim ſapientiſſimus Plato, inſtituta atque mandata ſalutaria, ſuo iam ſeculo, rerumpublicarum vincula ſalutauit, & hoc nomine commendauit: ita verum vtique, virique iſtius prudentia dignum eſt Petri Georgii dictum, quo deprauatam hominis indolem, & procliuem adeo

ad malum naturam, niſi arte ac legibus ea regatur, diu perſiſtere in ſocietate ac republica poſſe, negauit. Quemadmodum enim, vt Tullii comparatione vtamur, noſtra corpora ſine mente, ſic respublicae ſine ſtatutis, nunquam partibus ſuis ac membris, neruisque & viribus vti poſſunt. Ex quibus per ſe intelligitur, excludendos a republica, & longisſime arcendos venire, qui legum ac diſciplinae auctoritatem nequiter violare & infringere haud verentur. Cuius nos rei flabellum denuo admonet, muſcis nimirum petulantibus atque importunis fugandis, antiquitus deſtinatum; & eiusmodi a nonnullis inſcriptione, qua procaces pellere perhibetur, vere & congruenter notatum. Namque merito, importunitatis ac imprudentiae ſignum ab Oro Apolline muſca ſtatuitur; quia, ſaepius licet reiecta, tantae tamen obliuionis ac proteruiae eſſe videtur; vt redire ſaepius, & nos iterum infeſtare, neutiquam erubeſcat. Vnde Hercules muſcas, ſuae nimirum ſapientiae ac circumſpectioni aduerſas, a ſuo abegiſſe ſacello, atque Myiodem, qui Deus muſcarum extitit, imprecatus fuiſſe, a ſcriptoribus priſcis commemoratur. Iſtis igitur

igitur ac ſimilibus argumentis, veteres, peruerſitatem illorum, quibus pudor, per contumaciam, & ſalutarium legum obliuionem atque contemtum, periit, haud obſcure vituperarunt: eosque a rebuspublicis proſcribendos & eliminandos venire, prudenter ſignificauerunt. Atque hac in homines noxios & malitioſos animaduerſione, ſicut laeſorum ſimul ciuiumque proborum ſecuritas & ſolatium promouetur: ita ſabelli, ventulum quippe dormientibus, vel in vrbe aut via deambulantibus, facientis, vſus ſolitus, & profecta ab eo, corporis iuxta & animi recreatio, iuſti ac aequi, a magiſtratu adminiſtrati, commodum, leuamentumque ex eo & auxilium, in mentem nobis reducit. Plura adhuc iuſtitiae, virtutumque omnium beneficia, ciues cariſſimi! non tam flabelli cuiusdam ſignificatio, quam, qui cognomen etiam ipſum a flabello accepit, VVEDELIVS, vobis omnibus pollicetur ac ſpondet. In cuius initiatione ſollemni, ad diem martis inſtantem, in templo academico celebranda, illius praeterea moris, a chriſtianorum aliquibus introducti, Vos recordari velimus: quo illi, inter ceremonias religioſas & ſacras, eiusmodi flabellis

flabellis vtuntur: in quorum media parte, ſacros genios, ſeraphinorum nomine inſignitos, artificioſe depingunt, tremoremque manibus exprimunt; vt diuini adeo Numinis maieſtatem, non ſine veneratione ac metu, in rebus diuinioribus agnoſcendam adorandamque, demonſtrent. Veſtrarum ſimiliter partium iudicate, o noſtri! Deum ter optimum atque maximum, veluti magiſtratus auctorem ac vindicem, in magiſtratu etiam academico venerari; legesque tunc recitandas, a ſereniſſimis huius athenaei Nutriciis, quorum Vos incolumitatem ac florem ſimul optabitis, ſancitas & latas, haud ſecus ac Dei ſapientisſimi decreta & iuſſa, excipere, illasque nec violabiles, & ſanctas habere. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. VII poſt Trinit. A. O. R. cIↃ IↃCC XV.

XXVII

ET recepta antiquitus in diſciplinarum domiciliis conſuetudo, & tempeſtatis iſtius ratio, depoſcunt ac iubent, vt ebraearum, & quae ad orientis populos porro pertinent, literarum profeſſor ampliſſimus, IOANNES REINHARDVS

RVSSI-

RVSSIVS, ad rei academicae ſummam, de ſenatorum ſuffragio ac ſententia, deinceps adminiſtrandam, ſicut renunciationis publicae beneficio, ita aliis cerimoniarum ſollemnium pompis, initietur. Hoc igitur ipſo, ad animum nobis ac memoriam reuocatur: apud Ebraeos etiam, quorum RVSSIVS verba ac inſtituta explicat, viros illos, qui, in magno inprimis concilio, de republica conſultare, iudiciorumque arbitri eſſe deberent, certis modis ac ritibus, in conuentu ſimiliter publico, conſecratos fuiſſe. Perinſignis praeſertim, neque intermittendus temere, in hoc negotio actus fuit: qui, quod futuri mox iudices, in ſynedrium per eum allegerentur, a Iudaeis סמיכה SEMICHAH, ſiue conſociatio; ob coniunctam vero eidem cerimoniam, a latinis ac graecis, quos Ebraei etiam recentiores ſequuntur, manuum impoſitio ſalutatur. Hac autem Rabbini, ceu honoris iſtius diſpenſatores, ita defungebantur; vt conceptis inſuper verbis, maius ei momentum ac pondus adderent: quae, auctoribus Talmudiſtis, haec erant: אני סומך אותך תהיה סמוך: manum egomet tibi impono! tibique impoſita manus eſto! Nec diuerſam adeo formulam; quae tamen, neglecto etiam

etiam actu, qui per manus fiebat, recitata eſt; Rabbi Moſe Maimonides conſignauit, & ad poſteritatem traduxit: הרי את סמיך ויש לך רשות לדון אפילו דיני קנסות: ecce manum tibi impoſitam, iudiciorumque exercendorum, etiam criminalium, poteſtatem tibi conceſſam, hac videlicet voce ſignifico! Iſti vero manuum impoſitioni venerationem ac vim tanto maiorem tribuunt; quoniam Moſes quoque diuinus Ioſuae, &, quemadmodum pie creditur, ſeptuaginta ſenatoribus, iudicandi pariter, ac de rebus grauiſſimis ſtatuendi arbitrium, hoc adhibito actu, mandauit: qua ſollemnitate finita, ſtatim ſpiritus, coelo demiſſus, animos illorum repleuit. Huius deinde exemplo, conſtituti ſollemniter iudices & Rabbini, aliis quoque iudiciorum diſpenſatoribus, ſedem ſuam, cum eiusdem cerimoniae vſu, asſignauerunt; donec Hillelis, ſenis ſummi aetate, Rabbinorum hoc ius ab ipſius arbitrio ac iuſſu penderet; ſcisſisque in partes, huius & Sameae praeſidis ſectatoribus, tota imponendarum manuum conſuetudo, interiecto tempore, exſpiraret. Id quod eam ob rem Iudaeorum complures moleſte & grauiter ferunt;

runt; quoniam ſub diuino ac peruetuſto hoc ritu, haud parum quoque momenti ac myſterii, tanquam ſub aliquo inuolucro, latuerit. Vſitatum quippe, & aliquo modo ſollemne, antiquiſſimis mortalium fuit, approbationem ſuam atque decretum, extenſis ſubinde digitis, porrectisque manibus, indicare: & quemadmodum ſtatuta ac leges, ſic cuſtodes iſtarum, reipublicae praeſides, per hanc manuum diſpoſitionem & formam, inſtituere. Prout mulierum apud Ariſtophanem chorus, omnia, quae vſus ac neceſſitas praeſens poſceret, porrectis ſe manibus decreturos: paremque in modum Demoſthenes, centuriones ac duces, magiſtrosque equitum, per ſuffragia, explicatis ſic manibus declarata, electos, ac ſollemniter creatos fuiſſe, in orationum ſuarum aliqua, luculenter teſtatur. Neque vero Eberi poſteros ab hoc ritu & inſtituto penitus alienos fuiſſe; non ex magiſtratuum modo & ſacerdotum electione, vſurpatis eam in rem manibus, inſtituta; ſed ex octauo etiam Ieſaiae capite patet: vbi improbi ſuam de aliis, licet impiam ac ſiniſtram ſententiam, extenſis propterea digitis, quod ipſe שלח אצבע, SCHELACH ETZBA appellat, priſci nimirum

mirum ſeculi more, deſignant. Qua de re, Iudaeorum quoque Rabbini, manum hac ratione diſpanſam ſuis iudicibus atque ſenatoribus imponentes, inter alia hoc arguere, & in aliorum notitiam edere, credebantur: approbari & confirmari a ſe, atque dignos adeo hos viros haberi, qui auctoritate de poſtero ſumma, & magiſtratus honore, inter ſuos praecellerent. Solebat & hoc, ex manus impoſitae ſigno & argumento a veteribus iudicari: ingens alicui & grauiſſimum onus iniungi; quale quondam ad victimas, gentis totius criminibus cum hac cerimonia ad eas translatis, ex Ebraeorum lege, deuoluebatur. Ita ergo a ſpectatoribus credi volebant, qui in conſtituendis iudiciorum gubernatoribus, ritum iſtum apud Iudaeos celebrabant: quemadmodum manus capiti, ita arduam ac moleſtam reipublicae molem iudici huic nouello incumbere: quam, vt Cobares apud Curtium Baſſo dicebat, aut moderate admodum ferri; aut in ipſum ruere, qui ea prematur, oporteat. Prima vero atque praecipua manuum, ſuper cuiusquam capite poſitarum, ſignificatio fuit, qua bene alicui, hac adhibita actione ac cerimonia, precabantur. Quo videlicet

delicet pacto Iacobus, morti proximus, ſuis ex Ioſepho nepotibus, manus diſpeſſas & transpoſitas, inter omina laeta ac felicia, admouebat. Veroque omnino ſimile arbitramur: quod, qui ritu hoc inter Ebraeos, in creandis confirmandisque iudicibus, defuncti fuerunt; in votis ſimul habuerint: vt eodem tempore, quo illi hanc manuum impoſitionem ſentirent, ſingularis fauoris & gratiae pignora, ex Dei benignisſimi manu, acciperent. Quid? ſi huiusmodi quoque precationem, inter ſollemnitatis & actionis hoc genus, mente ſua conceperint: vt, quemadmodum Ioſua, ad vſurpatam a Moſe manuum impoſitionem, coeleſtis virtutis & ſapientiae beneficiis ſtatim cumulabatur: ita Deus nunc ſpiritus, velut factorum conſiliorumque ſalutarium auctor, ex aethereis ſedibus, in nouorum magiſtratuum pectora confeſtim delaberetur! dum Rabbini videlicet manus, in ipſorum capita, ad indicandum hoc idem, deſcendere videbatur. Licet autem futurus academiae prorector ac iudex, Rusſius, non tam manuum impoſitione, quam aliis ritibus, imperatorum ac principum iusſu, in publica literarum ſacraria introductis, venturo proxime Iouis die, in-

tra aedem Paulinam, inaugurandus ſit; veſtri tamen officii refert, ciues cariſſimi! res interea ipſas, ſollemni adeo Iudaeorum ceremonia deſignatas, veſtris animis agitare; atque tam magiſtratus academici ſacra pie ac reuerenter habere; quam impoſitum ipſi reipublicae onus, legum tunc recitandarum memores, & gratos agnoſcere: fuſasque pro nutritoribus ſereniſſimis, & ſalute academica, preces, cum votis ſimul, pro initiandi, iudiciorum mox praeſidis, ſucceſſu concipiendis, ita vt par eſt, coniungere. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. IV poſt Epiphan. A. O. R. cIↃ IↃCC xvI.

XXVIII

SEmeſtris iam ſecuturi imperium, a Viro egregio, ac Theologorum noſtratium primo, MICHAELE FOERTSCHIO, de ſapientiſſima patrum conſcriptorum ſententia, in hoc prytaneo gerendum, vel eam ob rem, in laetum perquam & proſperum omen accipimus; quod is muneris huius grauiſſimi rationem, inter alia diſciplinae coeleſtis capita, ex Dei aeterni litteris ac decretis inter-

interpretari, opinionumque falſarum temeritatem & malitiam frangere, haud minori felicitate, quam ſtudio, adhuc contenderit. Futuros enim deinceps, inque medio chriſtianorum coetu victuros, maleferiatos aliquos, ac frontis perfrictae doctores: quos genii praui, & ſua ipſorum peruerſitas, contra magiſtratum ac leges armaret; Petrus iuxta & Iudas, viri diuini, atque Numinis ipſius legati, multo ante denunciarunt. Cuius nunc vaticinii & oraculi fidem euentus probauit; poſtquam non Romanienſes ſolum, pontificis ſui cauſſam acturi, res ac homines ad religionem ſpectantes poteſtati cuiquam ciuili ſubiicere, religioni ſibi duxerunt; ſed Thomae quoque Munzeri, & in Anglia, Mennonis Simonis aſſeclae; a quibus fanaticorum recentium turba, Laeliique & Fauſti Socini familiae parum recedunt; illorum, qui reipublicae praeſunt, auctoritati, quantum in ſe foret, detrahere, vindictamque & poenas, ac iudicia, ex chriſtianorum ſocietate tollere, ac eradicare conati ſunt. His contraria quidem, ſed ciuitatibus tamen haud minus exitioſa, Nicolaus ille Machiauellus, ac Tho-

mas Hobbeſius, tirannorum quorundam gratiam inituri, aliis iuxta & ſibi annis ſuperioribus perſuaſerunt: neque leges aut interdicta imperantibus lata eſſe; neque dici aut fingi aliquid poſſe, quod in arbitratu ipſorum & poteſtate haud poſitum videatur; nimis temere ac impudenter aſſeuerantes. Anaxarchum ſcilicet, Alexandri magni aſſentatorem, ea in re ſecuti: qui, vt ambitioſiſſimo, ac Dei aemulo regi palpum aliquando obtruderet; hac de cauſſa iuſtitiam Ioui optimo atque maximo aſſidere, eſt ratus, quo nihil a principibus perperam aut iniuſte fieri, intelligeretur. Dei vero aeterni prouidentiae ac miſericordiae tribuendum hoc eſt, quod cum illorum, qui magiſtratus honorem & in alios poteſtatem arctis nimis limitibus circumſcribunt, temeritatem & rabiem, in ſcriptis diuinis oppugnauerit; tum adulatorum quoque conatus, ad ſuperiorum licentiam & peruerſitatem tuendam compoſitos, pro eo ac par fuit, compreſſerit. Suo enim vnius auſpicio, & reges regnare; & principes ad imperii clauum ſedere; & magiſtratus, ſub nouo etiam foedere, dignitatem a ſe vnice ortum habere; tam Salomonis

nis, quam Pauli ſanctisſimi ore enunciat. Et quod Noachidis olim, de non fundendo ſanguine, interdictum, a legislatore ac iudice Deo publicabatur; id a Chriſto non minus, quam eius legatis, cum eodem animaduerſionis genere, repetitum; & hoc ipſo, iudiciorum, ad conſeruandos homines, ordo, omni loco ac tempore confirmatus eſt. Vtque eadem apud chriſtianos neceſſitas, quae apud Iudaeos, moderandi imperii, ac ſeruandae tranquillitatis publicae munus depoſcit: ita veteres, ad chriſtianorum caſtra transgreſſos, neque centurionum ac ſenatorum officia, neque alias adminiſtrandae reipublicae partes deſeruiſſe, oracula diuina teſtantur. Ac ne homines, ſacerdotio & negotiis ſanctis dicatos, eximi, aut a magiſtratus ciuilis reuerentia immunes praeſtari, quis ſomniaret; ipſe auditoribus ſuis ac diſcipulis Chriſtus, danda caeſari, quae caeſaris eſſent, iniunxit. Inſtinctuque Numinis, Paulus, quamuis animam, hoc eſt, explanatore Chryſoſtomo, tam ſacerdotes & ſolitarios viros, quam aliorum ordinum ciues, imperantibus morem gerere, non vna quoque addita ratione, edixit. Quod praeterea idem, & redemtoris, & nunciorum ipſi-

us, & doctorum his ſuccedentium; qui ciuilis imperii iugum neutiquam excuſſerunt, nec ab eo ſe liberos, aut indemnes penitus arbitrati ſunt; exemplis firmatur. De cetero vt poteſtatis id genus, quod aliorum ac ciuium bono, imperantibus datum eſt, nec in malitiam vllam, nec in faciendi cuiusuis libidinem verteretur; Dei eos miniſtros, illoque inferiores exiſtere; laudatus antea Paulus ad animum ipſis reuocandum putauit. Qua de re Iudaeorum regibus leges ſuas & familiares admodum eſſe voluit Deus; & verba earum omnia, manu ipſorum, ineunte regno, deſcribi, & accurate impleri, iterum atque iterum imperauit: Saulemque & alios, minus haec penſi habentes, pro eo, ac ipſi meruerant, confeſtim & grauiter caſtigauit. Praeclarum igitur, & philoſopho ſimul ac imperatore dignisſimum Marci Aurelii dictum erat: de priuatis quidem hominibus magiſtratus; de magiſtratibus autem principes; ſed de principibus Deum, ſententiam ſapientem & iuſtam pronunciare. At nemo de his accuratius atque ſanctius iudicabit; quam, qui academicos faſces, die proxima Iouis, in ae-

de Paulina accipiet, & ſemeſtri hoc retinebit, iam antea celebratus Prorector: cuius videlicet eſt, ad rerum diuiniorum adyta auditores ſuos ac ciues deducere, & errorum omnium ſtirpes elidere ac euellere. Vos, cariſſimi! Viri huius dexteritatem, & in magiſtratu gerendo prudentiam, ſemel ac iterum admirati; in praeſenti etiam, dicto eius vos audientes praebebitis: nunquam ad Anabaptiſtarum proteruiam atque contumaciam prolapſuri: tantoque maiorem fiduciam in prorectore optimo atque humaniſſimo poſituri; quanto is longius ab Hobbeſii atque Machiauelli erroribus agendique licentia abhorrere conſueuit. Tali igitur animo, & precationibus ſanctis, pro academiae huius felicitate, ac Principum ſereniſſimorum ſalute, ſuſcipiendis, vna nobiſcum defungemini: & recitanda tunc legum publicarum ſancita, quibus iureiurando Vos adſtrinxiſtis, ſub actus ſplendidiſſimi finem, excipietis. P.P. ſub Acad. ſig. Domin. VIII poſt Trin. A. O. R. CIↃ IↃCC XVI.

XXIX

TAnto feliciori, ceu credimus, maiorique ſucceſſu, conſultisſimus atque ordinarius iuris Iuſtinianei Profeſſor, inque prouincialis curiae & ſcabinorum ſenatu, adſeſſor egregius, IOANNES CHRISTIANVS SCHROETERVS, de concordi penitus patrum conſcriptorum ſententia, ſemeſtri iſthoc venturo, ad rei academicae clauum ſedebit; quanto is honoratius ac celebrius nomen, inter iuſti ac aequi interpretes, adhuc obtinuit. Sine quorum conſilio arque opera, leges etiam praeſtantisſimae, & a ſummis legislatoribus ortae, haud adeo magnum in rebus publicis ac iudiciis vſum praeſtarent; ſed Iuſtiniani adagio, ſiue, vt appellari conſueuit, ſymbolo: ſummum ius, ſummam ſaepe iniuriam eſſe: propter noua indies complemenra, maior quotidie fides, non minus apud homines doctos, quam imperitos, conciliaretur. Atque hoc ab imperatore eiusmodi, qui ad colligenda & ſtatuenda tot iura, animum ſuum adiunxit, exiſtimari ac dici; mirum fortaſſe alicui, & tantum non incredibile videretur; niſi eadem haec ſententia, tum Terentii ac Cice-

ronis

ronis iam aeuo, in prouerbium abiiſſet; tum re etiam ipſa comprobaretur. Cum enim a pluribus, ſummi iuris vocabulum, de malitioſa ac veteratoria, legum pariter & factorum interpretatione, adhibeatur; huius generis ſane temeritatem ac licentiam, qua ſuperiorum ſancita ac verba callide contorquentur, cum iuſtitia omni pugnare, ſummamque iniuriam eſſe, nemo vnquam inficiabitur. Quali improbitate & calumnia, Thraces apud Strabonem, quamuis dierum quorundam inducias cum Boeotiis pacti; noctu tamen hoſtium agros populabantur, praedasque agebant: dies quippe, haud noctes, pactione hac contineri, fraudulenter admodum ac intempeſtiue cauſſati. Eiusdemque eſt loci, quod de Critia, aetatis ſuae tiranno, Xenophon in hunc modum commemorat: legem nimirum in ciuitate Athenienſium viguiſſe: ne quis eorum, quorum nomina in tabulis ſcripta extarent, niſi re penitus iudicata, e medio tolleretur. Theramene autem ſuam poſt accuſationem petente, vt defenſio ſua, de ſtatuti iſtius ſententia, audiretur; hoc a Critia non maligne tantum, ſed & crudeliter eluſum fuiſſe: iuſtam non mi-

nus, quam facilem eſſe recuſationem, aiente, ſi Theramenis nomen; ne pertinere ad eum ſanctio crederetur; ſine mora ex indice deleretur. Sed more tamen loquendi magis proprio, atque crebrius a latinis recepto, ſummum ſtrictumque ius dicitur, vbi rigor ac dictio legis, obſtinatius & auſterius, quam legislatoris propoſitum tulit, in quibuscunque caſibus atque controuerſiis retinetur: ac, licet ratio, locusque ac tempus id ſuadeant; tamen a verbis eius expreſſis, & ſcripto proditis, ne vnguem quidem transuerſum diſceditur. Qua in re, quantum non raro iniuſtitiae ac dementiae inſit; Titus Manlius ille Torquatus; qui filium ſibi cognominem, quamuis prouocatum ab hoſte, victoriaque inſignem, quod aduerſus imperium ducis pugnaſſet, abripi & mactari mox iuſſit; pertinaciae ſuae exemplo docebat. Cuius vitii, Siculorum etiam praetor, Lucius nempe Domilius, reum ſe fecit; cum paſtorum aliquis, quaſi is, aprum venabulo aliquando configens, contra legem praetoriam, cum telo fuiſſet; in crucem illico, iuſſu nempe Domilii, tolleretur. Ita perperam ſaepe, ac praeter auctoris intentionem, ad euentus

tus eiusmodi; quos ipſe, ſi adhuc viueret, legislator, a lege eximeret; verba eius, praeceptionesque ac interdicta, ab imprudente aliquo & iniquo iudice extenduntur. Neque enim, qui edictum aliquod condidit & vulgauit, mentis ſuae tam impos, tamque improbus & inhumanus fuiſſe, credendus eſt; vt de illis etiam cauſis, ac vitae humanae caſibus, ſumi illud voluerit, vnde aliquid inhoneſtum, vel abſonum, aut intolerabile prorſus, conſequeretur; & vbi nec inſtituti iſtius materia, neque ratio, quae legislatoris animum ad promulgandum id impulit, locum ſortitur. Quamobrem inter iureconſultos veteres Celſus, mitius ac benignius leges, quo voluntas earum conſeruaretur, interpretandas diiudicandasque, praecepit. Atque vt Modeſtinus, modeſte non minus ea de re, quam iuſte locutus eſt: nulla, aut iuris ratio, aut aequitatis benignitas patitur; vt, quae ſalubriter, pro vtilitate hominum, introducta ſunt; ea nos, duriori interpretationis genere, ad ſeueritatem, contra iſtorum commoda, perducamus. Quare Herculis clauam oleo madidam, poetae fingebant; vt iuſtitiae ac poenae rigorem, miſericordia,

dia, haud ſecus ac oleo, leniendum, oſtenderent. Eandemque ob cauſſam, apud Romanos Fabius, cum res fortiter ac feliciter, contra imperium dictatoris, geſſiſſet, aequitate defenſus eſt. Ex quo ſimiliter fonte, lex Adriani, in digeſtorum volumine conſeruata, profluxit: qua, ſi aliquis per furorem, vel ſuum quoque parentem occiderit; hic ea de re impunitus pronunciatur; quod furore videlicet ipſo eum puniri, ſufficiat. Quem proinde ad modum ſaepius mitigandas, ita exaſperandas etiam leges; aequi bonique ratio, illarum interpreti atque iudici aliquando iniungit. Ac vero prorſus eſt ſimile, quod Diodotus apud Thucydidem arbitratur: animaduerſiones olim minores mitioresque in maxima ſcelera conſtitutas fuiſſe; ſed cum, progreſſu temporis, leges magis magisque violarentur; delictaque & crimina creſcerent; poenas ſimiliter auctas fuiſſe, ac demum ad ſupplicia proceſſiſſe. Quocirca mortalium antiquiſſimi, iuſtitiam atque nemeſin ita pingebant: vt ea ſtateram manu altera, alteraque gladium ſtrictum geſtaret; quia vt primum iudicis munus, in facultate ſuum cuique aequabiliter tribuendi; ita ſecundum,

in

in puniendis facinoroſis ac improbis ſitum eſſe, exiſtimabant. Vtrisque vero his partibus, pro aequitate & ſolertia ſua, SCHROETERVS, accurate admodum, & ex voto omnium reſpondebit. Nec verendum adeo erit, ne ſub academico Viri illius imperio; cuius ipſe inſignia, ſecuturo proxime iouis die, in diuina collegii aede, accipiet; ſiue exaggeratis, ſiue neglectis praeter meritum poenis, ſummum ius ſumma vnquam iniuria ſit futurum. Veſtra autem hic intereſt, ciues! memorata iam luce, tam ad precationes piisſimas, pro ſalanae iſtius, & ſummorum Principum flore, inſtituendas; quam ad audienda tunc legum ſancita; quorum interpretatio & cuſtodia Prorectori recenti mandabitur; bonis animis, ac frequentes coire. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. Sexageſ. A. O. R. cIↃ IↃCC XVII.

XXX

NObis iuxta, & prytanei Ienenſis patribus, ſine contradictione vllorum, ſuffragantibus, in hac literatorum republica, ſpectatae iam olim virtutis & experientiae Doctor ac medicus, IOAN-

NES ADRIANVS SLEVOGTIVS cum imperio poſthac & poteſtate verſabitur. Cuius functio quia non, ſecandorum duntaxat cadauerum, plagarumque & vulnerum curandorum; ſed plantarum quoque ac florum notitiam ſingularem requirit; idcirco ex his quoque occaſionem, quae cuique ciuium congruant atque incumbant, pro muneris ſui ratione, docendi, arripiet. Atque hoc, non inuito, vt arbitramur, SLEVOGTIO, vel ſolius heliotropii; inde dicti, quod florem ſuum, ceu creditur, ſoli obuertat; noto, ac memorabili perquam exemplo, iam commonſtrabimus. Neque enim vitio nobis dabitur, ſi iubar ſolare de ſapientia, cuius a veteribus auctor ſol ſiue Apollo creditur, capiamus: quam videlicet vnam reſpicere & ſectari, academicos decet; vt errorum & ignorantiae in ipſis caligo, eius lumine ac virtute diſcutiatur. Fama, ceu conſtat, inter poetas percrebuit, herbam iſtam, quae heliotropii hodie appellationem ſortitur, Clytiam olim virginem extitiſſe. Cum enim haec Phoebum iuuenem, longo tempore, efflictimque amaſſet; & quocunque ſe verteret, ſuis eundem oculis ſecuta fuiſſet; huius ipſa beneuolentiae hoc decus ac prae-

mium tuliſſe commemoratur; vt floris adeo pulchri ac ſplendidi formam indueret. Quae ad bonarum artium diſciplinas nos ita transferimus: vt amorem in iis omnia vincere; nec ſine ingenti cupiditate, iuuenum academicorum animos ſcientiis tot ſublimibus ac praeclaris inſtrui; cum ſuffragio atque conſenſu omnium, cenſeamus. Eaque in re haud nauitate ſolum, curaque intenta; ſed conſtantia etiam, pergendique propoſito opus eſt; quoniam bene quidem ordiri, ſed mox deſinere turpiter, ne verus quidem conatus, nec principium appellari meretur. Et hic parem in modum helioſcopia; ortum ſcilicet ſolis & mane reſpicere, & iter eiusdem ſimiliter ad occaſum ſubſequi, & vnum perpetuo ſolem ſpectare, credita; ſuae nobis perſeuerantiae exemplo praelucent. Praeter hanc autem, innumerae adhuc facultates ac dotes heliotropiis adſcribuntur: quarum ope, iam capitis dolores ſedare; modo verrucas tollere; nunc ſerpentes & ſcorpiones fugare; mox contractionibus, multisque aliis morbis obſiſtere, perhibentur. Nihilo autem ſecius, literarum & ſapientiae ſtudio, quod cum florum hoc genere ſupra aequauimus,

mus, ita vtendum eſt; vt illius ſubſidio, ſui quisque animi vitia, ceu morbos, profliget; ac libidines & affectus cohibeat atque exſtirpet. Idem enim cuiusuis doctrinae ac ſcientiae finis, qui philoſophiae olim Socraticae, eſſe debet: vt mala quis ſua animaduertat & perſpiciat; vtque liber a vitiis animus ac indemnis praeſtetur. Neque Vos, ciues carisſimi! ab eruditionis hoc ſcopo aberrabitis, aut in deuia vnquam abripiemini; ſi, vt academicis legibus, die proximo Iouis, magiſtratus futuri auſpiciis ſacro, veſtra gratia recitandis; ſic prorectoris delecti, cerimoniisque conſuetis inaugurandi, edictis ac monitis, aures deinceps praebebitis. Cuius obedientiae ſimulacrum, ac velut effigies quaedam, in helioſcopio rurſus apparet; quando ad omnes ſolaris corporis vias & motus, circumagi illud ac flecti videtur. In Piſani palatii porta, quae, vt peregrinatores, ac Itali ipſi memorant, aere eſt fuſa, inter cetera praeclarorum artificum opera, helioſcopium quoddum, vna cum loti, ſolarisque, ceu vocant, oculi flore, inclinari ad ſolem, magosque tres, Chriſto infanti ſupplices, adumbrare, animaduertitur. Quae Piſanorum pictura,

ad

ad religionem ſinceram, qua Deum, academiae huius ſtatorem, publicaeque ſalutis auſpicem, dicta antehac Iouis die, in templo Paulino proſequemini, ſupplicationesque ad ipſum ſollemnes, ſemeſtri hoc toto ſuſcipietis, vos excitabit atque incendet. Praecipue vero glorioſiſſimorum Principum, diſciplinarum hanc ſedem liberaliter conſeruantium, atque nouis indies bonitatis & gratiae ſuae muneribus, docentes pariter ac diſcentes ſibi deuincientium, proſperitatem ac vitam Deo ter magno commendabitis, pietatemque adeo illis, & animos gratos declarabitis. Quo videlicet modo heliotropium; quandoquidem vires ſuas & incrementa ſoli debeat; vt magnae huius beneficentiae vicem aliquo modo rependat; ſidus hoc ſuum prono veluti capite intuetur & colit. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. XI poſt Trinit A. O. R. cIↃ IↃCC xvII.

XXXI

QVod anni huius frugibus accidit, vt ab aeſtu pariter, effuſisque imbribus, detrimentum haud unum acce-

perint; hoc idem fere honoribus academicis, ſtudiorum veluti fructibus, iam maiorum noſtrorum aetate, ſemel ac iterum vſu venit: vt ab importunis quibusdam ingeniis, veſanoque in literas odio inflammatis, hinc inde infeſtarentur. Prima huius maſitiae incunabula in fanaticorum furore ponenda ſunt: quo correptus, Martini noſtri Lutheri tempore, Caroloſtadius, quicquid eſt titulorum ac rituum, in ſocietatibus adhuc academicis ſeruatorum, id, vna cum ipſis academiis & ſcholis, exterminandum, auerſandumque penitus, iudicauit. A quibus ipſe principiis eo tandem proceſſit inſaniae; vt ex doctore ruſticus fieri, librosque & chartas cum ſecuri & ſarculo commutare, picemque ac vinum aduſtum vendere, quin imo vicinus noſter Andreas, ex paganorum formula, ſalutari, neutiquam erubuerit. Talem igitur ducem ſequuntur, quicunque graduum academicorum nomina, in rerum priuatim ac publice noxiarum, vel certe vanarum ac inutilium claſſe, hodieque reponunt. Cuius quidem erroris ſocietatem ineunt, qui vel diuino quodam afflatu, ſupra dignitatum iſtarum faſtigia, ſponte ſua ſe tolli, exiſtimant; vel earum

earum diſciplinarum ſtudia excitari his titulis, atque ornari, metuunt, quibus fraudes ipſorum ac vitia quam maxime oppugnentur. Quod mortalium genus quemadmodum inter peſtes reipublicae, coetusque diuinioris carcinomata, ſuo merito numeratur: ſic rectisſime rebus ſuis conſulere arbitrandus eſt, myſteriorum ſacrorum, in vrbe Longoſaliſſana, adminiſtrator perdoctus, ac diaconi ſubſtituti nomine, ad ſanctam Bonifacii aedem, conſpicuus, GAROLVS LVDOVICVS HAHNIVS, in oppido hoc Thuringiae natus; quando ab his, aliisq; fanaticis, vt ſtudiorum ac vitae propoſito, ſic Magiſtri philoſophi gradu, ſe longisſime diſtinguendum putauit. Tanto igitur maiori alacritate ac ſtudio, ordo noſter, huic Viri clarisſimi, & tam religione ac ſcientia ſua, quam diuinioris officii dignitate praeſtantis, ſpei ac deſiderio ſatisfaciet: hodierna ſcilicet die, philoſophiae ipſum Doctorem, in priuato ſenatorum conſeſſu, renunciaturus, & omnibus eum priuilegiis atque iuribus, non ſine felici auſpicio, ornaturus. Accedent mox publici actus ſollemnia; quae vero inter nos ſolos ſint geſta, praeſens haec

ſcriptio, ſigillo pariter noſtro, & mea decani manu, munita, teſtabitur. Dab. Ienae, die III nonas ſeptembres, A. R. S. cIↄ Iↄcc xI.

XXXII

EBraeorum equidem, multis, nec ſemper ineptis ritibus adſuetorum, inque chriſtianorum praecipue terris degentium, conſuetudo: qua Rabbinos, ſiue Magiſtros, cum pompa conſtituunt; tamque in publicis ſcholis, quam priuatis, renunciant; primam, ſi non originem, certe occaſionem, eidem fere apud nos inſtituto, ad Germanorum academias a Gallis traducto, atque ad noſtra tempora propagato, dediſſe; non vnis, iisque acutisſimis viris videtur. Quem tamen ad modum fluminibus, per altisſimos montes ac valles praecipitantibus, ſucci pariter & colores, a principiis ſuis ac fontibus diuerſi adhaerent: ita chriſtianorum, in eiusmodi actu, cerimoniae, a Iudaeorum ritibus, longe adeo, in hunc diem vsque recedunt; vt animi pendere quis posſit, vtrum illae a pontificibus ac Principibus, ad horum exemplum imitationemq;, expreſ-

expreſſae ſint. Cum enim in hominum recutitorum magiſtros, non a toto collegio, in varias quippe diſſentientium factiones diſcerpto, ſed a ſecta illius aliqua inquiratur; contra chriſtianorum moribus, illi, qui ad honoris academici gradum adſpirant, profeſſorum omnium examen ſubire, & ſua ipſis ſtudia approbare tenentur. Actus inſuper illi ac geſtus, quibus Rabbinorum praefecti magiſtros ſuos initiant, ſicut maximam partem a noſtris abeunt: ita his fere cerimoniis, obſeruatore inprimis Altingio, abſoluuntur. Collocatis nempe in cathedram candidatis, initio clauem & pugillares tradere; dehinc manus imponere; tum Rabbinorum titulum & iura tribuere; tandemque omnibus, dignitatem eorum aut priuilegia minuentibus, inclementer dicere; ſollemnis ipſis eſt conſuetudo. Accedit, quod Ebraeorum magiſtris, informandi deinceps alios, non poteſtas ſolum; ſed munus quoque docendi ordinarium, & ea ſimul auctoritas, qua ipſi, ad Romanorum pontificum inſtar, nunquam fallere poſſint aut falli; non ſine chriſtianorum veterum, & Chriſti quoque ipſius; hoc videlicet ſenſu, appellationem

nem Magiſtri ſeuere interdicentium, deteſtatione, & contradictione acerrima, tribuatur. Qualis illorum ſuperſtitio ac ſuperbia, velut a Magiſtrorum virtute ac modeſtia procul abhorret: ita nec dignitatis iſtius abuſum ferimus, quo ineptis haud raro atque inſulſis hominibus, ceu Rabbinorum ipſorum teſtimoniis conſtat, a Iudaeorum doctoribus ea confertur. Cuiusmodi quid metuere, ac vel leuiter ſuſpicari, haudquaquam conueniet; quando Dei, Imperatoris, ſummorumque Principum auctoritate innixus, conſultisſimus, excellentisſimusque Vir, Burcardus Gotthelffus Struuius philoſophiae ac iurium Doctor, nec non glorioſiſſimorum Saxoniae ducum a conſiliis & re hiſtorica, ac legitimarum diſplinarum extraordinarius, hiſtoriarumque ordinarius in hoc prytaneo profeſſor; velut honorum ſollemnium diſpenſator egregius, clarisſimum Iuuenem, CAROLVM LVDOVICVM HOHEISELIVM, Gedanenſem, in illo academicae aedis conclaui, quod profeſſorum conuentibus & conſiliis deſtinatum eſt, philoſophiae Magiſtrum, ſiue Doctorem, ritibus conſuetis initiabit.

bit. Namque doctrinam hic ſuam eximiam, cum pari vitae integritate coniunctam, inque pluribus literarum domiciliis partam, nobis omnibus, eam de more explorantibus, abunde teſtatus eſt. Ad quem renuntiationis publicae actum, poſt ſecundam ab hodierno meridie horam, ſua quoque praeſentia illuſtrandum, Prorector magnificus, patres academiae venerandi, hoſpitesque ac ciues lectiſſimi, tum inuitatione hac noſtra, tum ſua quoque ipſorum humanitate, adduci ſe patientur. P.P. ſub Facult. ſig. d. XXIII Februar. A.O.R. cIↃ IↃCC XV.

XXXIII

QVi Iudaeorum non modo, ſed Chriſtianorum quoque antiquitates ita ſcrutantur, vt vtrarumque ſecreta & rationes inter ſe conferant; illi permultas conſuetudines, receptosque in noſtris rebuspublicis ritus, ab Ebraeorum ſtatutis, velut a fontibus ac principiis ſuis, deriuant. Iam pridem eſt enim, quod ſcriptores grauiſſimi, haud diſſimiles adeo, cum coenae noſtrae diuinae, tum lauacro ſimiliter ſancto,

cerimonias, eosdemque propemodum ſacerdotum titulos, cultusque publici modos, in populi huius ſe coetibus inueniſſe; ſi non argumentis euidentibus ſemper ac veris; at vero tamen proximis, docuerunt. Neque mirum eſt ideo, ſi vetuſti illius & laudatisſimi moris, quo ſcientiarum Doctores in academiis noſtris conſtituuntur, rudimenta aliqua ac veſtigia, in Iudaeorum ſimiliter ſcholis occurrant. Conſtat enim, non paucis iam retro ſeculis, eam apud has gentes conſuetudinem viguiſſe, ac tempore adhuc hodierno vigere: vt, qui legum & artium tradendarum negotiis adhibendi ſunt; Rabbinorum, ſiue, vt nos loquimur, Magiſtrorum cognomen, docendique adeo facultatem obtineant. Atque vt noſtris moribus, candidatorum ingenia atque ſtudia explorari antea conſueuerunt: ita Rabbini, ſi Tertulliano eſt fides, non niſi cognitos & probatos ad dignitatis hoc genus admittere, ſui eſſe officii arbitrantur. Qui vero dignus hoc nomine ac honore exiſtimatur; is a primario ſcholae magiſtro, quemadmodum apud nos a dignitatis iſtius diſpenſatore, voce publica, introductis iam olim ritibus proclamatur; comminatione haud leui addi-

addita, ſi quis praerogetiuam ac titulum, Magiſtrorum ordini congruentem, deferre & attribuere illi, recuſet. Quodſi inſuper dictis Eberi poſteris, primam inſtituti iſtius facem praeferentibus, fas vſitatumque fuit, non in conuentibus tantum ſollemnibus, ſed in priuatis etiam ſcholis, Magiſtros renunciare; nemo vtique nobis vitio vertet, quod Dei & Imperatoris, nec non Principum glorioſiſſimorum auſpicio, poſt hodierni meridiei horam alteram, conſultisſimi Viri, excellentisſimique, Burcardi Gotthelfi Struuii, philoſophiae ac legitimae diſciplinae Doctoris, nec non ſerenisſimorum Saxoniae ducum conſiliarii & hiſtorici, itemque iurium extraordinarii, hiſtoriarumque ordinarii in athenaeo hoc profeſſoris, velut brabeutae, ceu vocant, grauisſimi ore, clarisſimum Iuuenem, IOANNEM HENRICVM THAMERVM, Aquisgranenſem, virtutis ac ſcientiae ſuae ſpeciminibus, in examinibus conſuetis probatum; honorifico, eiusque meritis digno, Magiſtri philoſophi cognomento ac iuribus, in conſeſſus ſenatorii loco, cohoneſtabimus. Quaeſumus ergo magnificum huius academiae Prorectorem, nec non proceres

eius, hoſpitesque ac ciues honoratisſimos; vt coniunctis hodie, conſpirantibusque ad gratulationem & plauſum animis, in memorato aedis academicae conclaui adeſſe, ſuamque in nos beneuolentiam teſtari dignentur. P. P. ſub Facult. ſig. d. XXIII Februar. A. O. R. cIɔ Iɔcc xV.

XXXIV

QVemadmodum fines rerum actionumque, ex quibus & bonitatem earum, & malitiam, praecipue aeſtimamus, a diuerſis hominibus, ſapientia etiam ac doctrina praeſtantibus, ſaepenumero diuerſi ponuntur: ita hoc minus mirandum eſt, ſi in honoribus academicis, quos Magiſtrorum atque Doctorum gradus dicimus, idem penitus, non ſuperioribus tantum ſeculis vſu venerit; ſed in hunc diem vsque contingat. Cum proinde in chriſtianorum coetibus, eruditionis ac ſpei praeclarae iuuenes, hoc ſtudiorum ſuorum praemio, ad ampliores conatus, maioremque virtutem ac modeſtiam prouocentur; ex aduerſo Iudaei, a chriſtianorum hac pietate & gloria longisſime alie-

alieni, Rabbinorum, ſeu Magiſtrorum inſignibus, velut ambitionis cuiusdam ridiculae, ac inſanae ſuperbiae inſtrumentis, vtuntur. Qui enim haec apud Ebraeos nomina atque decora conſecuti ſunt; illi & quiduis docendi conſtituendique licentiam ſibi vindicant; & ſuperioris cuiusque imperium, ſique a vero aut recto abierint, interdictum recuſant. Atque fidem adeo ſibi, haud ſecus ac veridicis diis, haberi, nec obſiſti aut contradici ab vllo, poſtulant; ſi vel maxime, prout ipſorum quondam aſſecla, Lyranus teſtatur, dextri nomine ſiniſtrum commendent; aut hoc viciſſim illius appellatione inſigniant. Quem tumorem ipſorum & faſtum, vel ipſe docentium habitus ac ſitus oſtendit: quo, ſedere Magiſtri in loco editiore; proſtratosque ad pedes, ac in ſolo iacentes diſcipulos, ſupercilio alto adſpicere, vel deſpicere potius, conſueuerunt. His atque ſimilibus cauſis inductus, generis humani redemtor, ea ſcilicet intentione ac mente, Rabbini, ſiue Magiſtri titulum ſuis prohibuit; ne in arrogantiae cuiusdam Iudaicae, cum detrectatione ſuperiorum, quae Deo tantum & magiſtratibus ſummis conuenit,

nit, copulatae, materiam eum conuerterent. Licet cognomenti hoc genus; ſi nihil in ſe ſuperbi habeat, dignitatemque & ius, cum pari modeſtia ac virtute coniunctum, arguat; Chriſti pariter & Ioannis exemplo, in libris diuinis cnmprobetur. Neque igitur alia inſtituti noſtri ratio fuit, quo clarisſimum ac egregium Iuuenem, DAVIDEM RICHTERVM, Guſtrouiae apud Mecklenburgenſes genitum, octaua calendas iunii, ad magiſterii academici dignitatem, in publico ſenatorum conclaui, euteximus; niſi vt virtus eiusdem ac eruditio, in noſtro non minus, quam Roſtochienſi lyceo, gnauiter, nec paucorum annorum ſpatio, comparata, atque publicis priuatisque ſpeciminibus luculenter teſtata, tanto clarius, ad aliorum exemplum & vſum, exſplendeſceret. Id quod literis iſtis, noſtri ordinis ſigillo munitis, ſollemniter profiteri, atque nouum hoc ſapientiae, adhuc vigentis, tropaeum orbi literato oſtendere, e re noſtra cenſuimus. P. P. ſub Facult. ſig. VI Calend. Iun. A. O. R. cIɔ Iɔcc xv.

XXXV

QVi recepto in academiis, & ab ipſis imperatoribus ac principibus comprobato, magiſterii titulo, ſiue priuato, ſiue publico ritu, ornantur; illis id ſimul negotii atque muneris ab honorum iſtorum diſpenſatore iniungitur: vt ad parandam deinceps perficiendamque docendi, & tradendarum artium facultatem, omni opera & contentione adſpirent. Cum enim erudiendi, ac ingenia aliorum formandi dexteritas, multum in ſe, non laboris tantum, ſed & difficultatis contineat; neque plures, ſi ſapientibus priſcis habenda eſt fides, ad obeundam cum laude, praeceptoris prouinciam, quam ad gerendam purpuram, ſatis ſeſe idoneos inſtructosque oſtendant; ſane conſequens atque neceſſarium hoc eſſe videtur; vt ſtudiorum & doctrinarum liberalium duces futuri, per plurimarum exercitationum actionumque ſtadia, ad hanc metam decurrant; atque animos adeo, ſcholis priuatis & academicis probe ſubactos, ad ordinarias atque publicas, vbi commiſſae poſtea ipſis a ſuperioribus fuerint, docendarum artium partes, adiungant. Quamobrem Ebraei, duo iam olim

olim Magiſtrorum genera ſtatuerunt, diuerſisque, vt ſolent, nominibus, a ſe inuicem ſepararunt: illis ſcilicet, qui perſonas docentium publicas ſuſtinerent, Rabbinorum titulo & auctoritate praeſtantibus; verum aliis, qui inſtitutione adhuc domeſtica, ad maiorem erudiendi ſolertiam, ſe ipſos inſtruerent, ſociorum, ſiue contubernalium nomen gerentibus; nec ſollemne Magiſtri vocabulum, Rabbino adhuc ſuperſtite, vſurpantibus. Ad poſteriorem hunc cenſum, haud incommode aliquis philoſophiae Magiſtros, in literarum hodie domiciliis, hac dignatione cohoneſtatos, retulerit: quos, honoris hoc pignore, ad id vnice prouocamus atque obſtringimus: vt tam diu domeſticis exercitiis, exhibitisque docendi ſpeciminibus, inter commilitones ſuos ſpectentur; donec progreſſu temporis, ſatis periti, ac diſciplinarum liberalium vſu perfecti, ad ſeria demum docendi officia, per hos veluti gradus, adſcendant. Namque laudem non minus, quam imitationem meretur, Pythagorae, ſummi olim in Graecia magiſtri, exemplum: qui philoſophum potius, hoc eſt amatorem ſapientiae, quam ſapientem ſe appellare,

cum

cum animum ad docendum iam appuliſſet, aequum maxime, ac perſonae philoſophi dignum exiſtimabat. Quod moderationis ac modeſtiae genus, ornatiſſimus & clariſſimus iuuenis, AVGVSTINVS GERDESIVS, vrbem ſuam natalem, Pomeranorum Stargardiam nactus: cuius honores philoſophici, quos magiſterium vocant, poſt conſueta examina, die octaua calendas iunii, in priuato ordinis noſtri conſeſſu, rite obtenti, in aliorum notitiam nunc edendi ſunt; amplectendum pariter ac ſequendum, ſibi propoſuit. Quod vt ipſi non modo, ſed etiam rei literariae, ac noſtrae praeſertim academiae, feliciter cedat, Deum, ſapientiae humanae auctorem, pii ac ſupplices veneramur. P. P. ſub Facult. ſig. d. v. Calend. Iun. A. O. R. cIↃ IↃ CC XV.

XXXVI

Literatorum honores, & parta in academiis praemia, ſicut plurimis, nec valde diuerſis titulis paſſim ornantur: ſic tritum inprimis, ac prae ceteris ad rem iſtam accommodatum eſt nomen, quo

quo veluti gradus aliqui, apud noſtrates, imo etiam apud exteros, celebrantur. Neque noua, ſed a Romanis antiquiſſimis ad nos traducta eſt conſuetudo, vt ordines illi ac dignitates, quibus homines, domi & militiae, ſeparari ab aliis, dignoſcique inter ſe ſolent, gradus vocentur. Hoc vel ex Tullii illa oratione, quam pro Muraena habuit, & vbi is duas ſtatuit artes, imperatoris alteram, atque alteram oratoris, quae ſuorum temporum homines in praecipuo gradu honoris dignitatisque locauerint, manifeſtum euadit. Et quod Suetonio, in vita Othonis caeſaris, ampliorem in gradum promoueri dicitur; illud Tacitus, ne de ſenſu locutionis quis dubitet, ordinem altiorem interpretatur ac reddit. Quamobrem a vetuſtiſſimis atque optimis Romae ſcriptoribus, appellationis hoc genus, ad ſacros Italiae praeſules, tanquam primos honorum, in ſcholis chriſtianorum, auctores, dubio procul manauit. Ab his enim iisdem, illarum etiam dignitatum diſcrimina, quas nominati ab ipſis epiſcopi & abbates, praepoſitique & ſacerdotes, ac ſimiles, conſequuntur, iam ante academias apud chriſtianos fundatas, graduum nomen tulerunt; vt, qui earum aliquas intermitte-

mitterent, aut reſpuerent, hi per ſaltum promoti, in canonico, ſiue pontificio iure, pronunciarentur. Quamuis autem & peruulgata, & vetus vocabuli huius ſit notio, qua honores, hominibus honeſtis & doctis, a collegiis profeſſorum exhibiti, per illud ſignantur; principio tamen haud dignitates vel tituli, ſed partes illae ſcalarum, quae vel ſupremum, vel medium atque infimum locum occupant, vt earum propterea ope, ab imo ad ſummum tendatur, graduum appellationem ſortitae ſunt. Auctore enim Varrone, patre illo grammaticorum, ſi ſcanſione ſimplici, in lectum non altum, ſuo ſeculo ſcanderetur, ſcabellum; quodſi in altiorem, tunc ſcamnum; ſi denique duplicata ſcanſio eſſet, tum gradus ſalutabatur; quod ab inferiori aliquis loco ad ſuperiorem, eius beneficio, graderetur. Sic rupem Tarpeiam Tacitus, tam literarum elegantiae, quam prudentiae ac hiſtoriarum magiſter grauiſſimus, centum gradibus adiri teſtatur. Neque tamen inepte, aut male, vocabulum iſtud, a pontificibus primum Romanis, deinde ab imperatoribus ac principibus, ad academicos gradus, hac nimirum de cauſa, translatum eſt; quia iſtorum alii,

velut doctorum & magiſtorum honores, parem ad modum in certis collegiis primi ac ſummi; alii vero, ceu candidatorum, & vbi recepti ſunt, baccalaureorum ordines, poſtremi ac imi habentur: quibus alii rurſus, vt licentiatorum & magiſtrandorum, quos vocant, tituli, ceu ſcalarum aliqui gradus, interiacent. De cetero dignitatum hae claſſes, voce graduum indicatae, ipſius naturae legibus, inter homines literatos praeſertim cuſtodiendis, nituntur. Ius enim ac aequum poſtulat, vt, ſi ſua virtutibus doctrinisque praemia tribuantur; tanto honoratiore quis loco ponatur; quantum alios ſuis dotibus atque ſpeciminibus antecedit. Cuius nos ordinis ac iuſtitiae exemplum daturi; clariſſimum, & compluribus documentis probatum, IOANNEM ANDREAM PFEFFERKORNIVM, Cruciburgi in Thuringia natum, ſtudiisque diuinioribus, in ciuitatis Iſennacenſis ſeminario, operantem; quod virtute & ſapientia ſua ante alios promereri id putaretur; in conſeſſus academici loco, die XIV auguſti, ad ſummum honoris philoſophici gradum nos ita eueximus; vt hoc praemium eius, in notitiam omnium mox magis edendum, ac ſollemniter conſe-

conſecrandum, nunc promittamus. Dab. ſub Facult. ſig. Domin. XII poſt Trinit. A. O. R. cIɔ Iɔcc xvII.

XXXVII

QVoniam ſua pro conſuetudine veteres, in ipſis ſaepe nominibus, doctrinae & ſapientiae aliquid occultarunt; proinde in graduum academicorum vocabulo, a ſcalis petito, morem illos eundem retinuiſſe; data modo occaſione, atque cauſa etiam rei huius allata, monuimus. Cui in praeſenti aliud, quod medicorum Argentoratenſium princeps, Sebizius nobis ſuppeditat, argumentum iungemus. Quemadmodum enim, qui ad partes ſcalarum altisſimas tendunt, vix vnquam ad has perueniunt, niſi imos antea atque intermedios gradus conſcenderint: ita ad ſummum honorum, in ſcholis ſublimioribus, apicem adſpirare haud poſſunt, qui per titulos gradusque inferiores eo non promouentur. Quod ipſum in academia Pariſienſi, ceu chriſtianorum antiquisſima, longis adeo interuallis temporum, moris fuiſſe; vel ex ſtudio illo medico, quod anno cIɔ Iɔc xxx iu-

ris publici factum, & a Melchiore Sebizio repetitum eſt, planum euadit. Enimuero qui medicorum hic praemia optant & ambiunt; hos praeceptis primum inſtitutisque philoſophorum imbui; dehinc artium liberalium magiſtros creari; atque tum demum medentium ſcholas adire, doctrinasque eorum & placita haurire oportet. Quibus inſtructi mediocriter, medicorum ſtadia ingredi; inque his, trium interuallo annorum, decurrere; ac biennio primo, ad indipiſcendos baccalaureorum titulos, mentem ſuam de huius ſcientiae argumentis, ſibi propoſitis, aperire; & mox ea, in ore & oculis omnium, contra opponentium tela defendere conſueuerunt. Tertio autem ſtadii, ſeu curriculi academici anno; vt licentiae gradum, quem dicunt, obtineant; examina rurſus ſubeunt, diſceptationesque ſollemnes inſtituunt; a quo tempore ad promeritum Doctoris honorem & faſtigium prouehuntur. Atque ſimiles gradus, ac veluti anabathra aliqua, a theologis, aliarumque ſcientiarum magiſtris, in academiae Pariſienſis theatro, de veteri more diſponi; iſtiusque exemplo, apud Monſpelienſes ſeruari; nominatus antea, & nunc ite-

rum

rum nominandus Sebizius, bona ſide teſtatur. Similiter in Louanienſi lyceo, ſi qui aditum ſibi ad dignitates academicas parant ac muniunt; illos, quod Cicero de ſe ipſo confeſſus eſt, non curſores aliquos, ſed gradarios eſſe; Nicolai inprimis Vernulaei teſtimonio, in ſcholae iſtius hiſtoria, comprobatum habemus. Porro in noſtris hodie academiis, ſi non gradationes easdem, a Pariſienſibus tamen haud admodum alienas fieri, res ipſa demonſtrat. Atque huc, in philoſophorum apud nos ordine, id retuleris: quod qui nomina hic ſua profeſſi ſunt, illi candidatorum primum; deinde magiſtrandorum titulis; poſtremoque doctorum & magiſtrorum inſignibus decorantur. Ac ne temere, vel ſine cauſſa id fieri, iudicetur; Papinianus ſeculi ſui, Caſpar Zieglerus, de maieſtatis iuribus agens, hanc affert: quia ſatius eſſe videtur, gradatim prouehi ad academiarum honores, & in progreſſu, ſi quae defecerint, emendare; quam in faſtigium, vno ſaltu ac impetu ferri, & inter homines doctos tunc anxie, & cum aliqua deſperatione, verſari. Quamobrem edicto aliquo inſtitutum, diuique Pii ad Titianum literis ſancitum fuiſſe, vt a minoribus di-

gnitatum gradibus ad maiores perueniretur, Herennius Modeſtinus, dignus vtique Vlpiano magiſtro diſcipulus, luculenter oſtendit. Poſtquam igitur probitatis ac ſcientiae haud vulgaris iuueni, IACOBO IOHANSENIO, Regiomonti apud Boruſſos genito, inque doctrinis potiſſimum ſanctis elaboranti, in ſenatorum conclaui, ſumma heri Doctoris philoſophi, ſiue Magiſtri decora, ita contulimus; vt mox publici ritus, quem proclamationem nominant, pompam addere, decreuerimus; nihil penitus obſtitiſſe eidem, quo minus, per memoratos examinum titulorumque gradus, ad dignitatem hanc ſummam adſcenderet; ſcriptione hac publica declarandum, aſſeuerandumque cenſuimus. Dab. ſub Facult. ſig. Domin. XII poſt Trinit. A. O. R. clↄ Iↄ ccxvII.

XXXVIII

PLerorumque verborum, a viris praeſertim ſapientibus repertorum, & ad ſcientias traductorum, cognitione, in rerum ipſarum notitia & conſideratione ſolerti, nos mirifice adiuuari; cum ab omnibus criticorum magiſtris praecipitur;

tur; tum graduum academicorum exemplo ac ſpecimine adhuc apparuit. Praeter alia vero, appellationis iſtius principium, a Iacobo Middendorpio, atque Thoma Lanſio, illo Coloniae, hoc Tubingae iurisconſulto, ex eo arceſſitur: quod honorum huiusmodi beneficio, viri ac iuuenes literati, ad ſummas etiam alias, in ſacra atque ciuili republica, dignitates, velut ſcalarum gradibus ad loca aliqua digniora, magisque ſublimia, enitantur. Prout in Tridentinorum concilio, inter tot mala & noxia, ſalutare hoc tamen & bonum curiae Romanae decretum promulgabatur: vt epiſcopi dignitatem ac inſulam nemo poſtea ſuorum conſequeretur, qui magiſtri, licentiatique, ceu loquebantur, ac doctoris inſignia, in academia quadam non reportaſſet. Similiter in Baſileenſi conuentu, ab aulae Romanienſis proceribus, ſiue, vt vulgo audiunt, cardinalibus, id quoque exigebatur: vt in gradibus his ſcholaſticis a viris ſe doctis locatos, & praeclaris proinde officiis dignos, oſtenderent. Eandemque ob cauſſam, in magnis quibusdam Germaniae tribunalibus & collegiis, adſeſſores & iudices, titulo quodam academico clari, poſcuntur. In ipſis profecto academiis, non a Gallis ſolum,

 ſed

ſed etiam a noſtratibus, tam docendi, quam actus quoscunque publicos moderandi facultas, nemini datur; niſi in Magiſtrorum Doctorumque corona is comparuerit. Res autem potiſſimum duas, per pulchrum eiusmodi atque vtile inſtitutum, docere, non tantum pontifices, ſed imperatores quoque ac principes voluerunt. Quarum prima eſt: vt, qui ad magna & ardua in republica tendunt, certos laborum ſcientiarumque in academiis ſe gradus feciſſe; neque rudibus, parumque inſtructis animis, negotiorum ingentium atque grauium ſacra profanaturos, veris ac publicis ſtudiorum, recto ordine tractatorum, teſtimoniis comprobarent. Admonitio altera, a moris iam dicti auctoribus & cuſtodibus data, in dignitatum & graduum ſcopo conſiſtit: vt his nempe calcaribus iuuenes ad maiora exſtimularentur; neque in primis aut mediis, ignauorum hominum more, ſubſiſtere; ſed ab illis ad haec progredi, & ad ſumma ſe tollere ac eniti, ſuarum omnino partium iudicarent. Non enim, vt ſomniantes antehac in Parnaſſi vertice, poetae & vates; ita homines docti & honorati euadunt, qui in literatorum hoſpitiis, deſidiae quaſi longae indormiunt,

unt, neque ſpatia in doctrinis & artibus ampliora conficiunt. A quibus cum clarus doctusque iuuenis, CHRISTIANVS HENRICVS GVTTHERVS, Regiomontum Boruſſiae ſuam patriam laudans, & ad diuiniores praeſertim literas animum adhuc intendens, quam longiſſime, ſicut ſtudio, ita virtute, ſe disiunxerit; ac ſe de poſtero disiuncturum, ſpem nobis egregiam ac certiſſimam fecerit; ideo ſigna ei victricia, dignitatisque maioris indices, philoſophiae honores, qui in hoc ordine ſummi habentur, in conſeſſu heſterno detulimus; breuique poſt, me ſponſore & vade, in templo Paulino confirmabimus. Dab. Ienae, ſub Facult. ſig. Domin. XII poſt Trinit. A. O. R. CIↃ IↃ CC XVII.

XXXIX

APud mortalium vetuſtisſimos, quaeuis doctrinae ac ſcientiae, eruditionis ambitu comprehenſae, ita inter ſe aptae colligataeque fuerunt; vt poetis primum, & poſt eos philoſophis, voce ac ſcripto, ad viuos iuxta & poſteros propagandae, aque interitu vindicandae, committerentur. Vtut enim iurispru-

 den-

dentia hodie, ſanandique ratio, a philoſophia diuelli, ſeparatimque doceri ac diſci inceperint; primam tamen earum, ad ciuilem philoſophorum ſapientiam; atque alteram ad naturae doctrinam, velut fructum ipſius ac propaginem, primis ſeculis relatam fuiſſe; quin & theologorum ſcientiam, a chriſtianorum patribus, ceu diuiniorem quandam philoſophiam, humanaeque idcirco ſapientiae complementum ac regulam, & appellatam principio eſſe, & cultam; nemo, illorum temporum gnarus, inficiabitur. Quia igitur nulla doctrinae gloria, nullumque ingenuarum artium decus, in philoſophia primitus ſitum non fuit; propterea, ſicut abſurditatis haud paruae, ita ingrati leuisque animi notam vix vnquam effugient, qui Magiſtros philoſophiae; cui totum docendi artificium, in ſcientiis vniuerſis, debetur; Doctorum tamen ordine atque titulo defraudare, ſeculo demum ſuperiore, conati ſunt. Tanto autem hi magis hallucinari, vel potius ineptire videntur; quanto apertius ipſis antiquitas; a qua vſus ac vis verborum omnium diſci debet; aduerſatur pariter ac reclamat. Quemadmodum enim Caſtricius, apud noctium Atticarum auctorem, Aulum Gellium, diſci-

plinae

plinae rhetoricae Doctor citatur: ſic fabularum, viuente adhuc Terentio, conditores, ceu Donatus obſeruat, iſto nomine decorati ſunt. Iuliique deinde Caeſaris aeuo, quarumuis artium liberalium Doctores vixiſſe, & hoc titulo celebratos fuiſſe, ſatis certe extantibus verbis Tranquillus teſtatur. Ac ne de imperatorum & principum voluntate; quibus nos obſequi, neque contradicere, par eſt; quicquam dubii relinquatur; ipſius Caroli quinti ſcriptum aliquod, ad academiam Vindobonenſem, ſeculo ſexto ac decimo exaratum, a Melchiore Goldaſto ſeruatur: in quo philoſophi aeque, ac diſciplinarum aliarum magiſtri, expreſſo Doctorum nomine praedicantur. Idemque hoc maximorum caeſarum inſtitutum, ex Reuſneriano diplomate, academiae noſtrae profeſſor ſolertiſſimus, & Vratislauiam inde vocatus, Thomas Sagittarius, exercitatione perdocta, deque comitum palatinorum iuribus ſcripta, euicit. Vt Ioannem Chriſtianum Itterum, de Francofurtenſi olim republica, neque minus de ſtudiis noſtris, bene meritum, pluraque hanc in rem argumenta ac teſtimonia conducentem, nunc taceamus. Accedit, quod magiſterium, quo magiſtros priuare, nimis abſo-

abſonum ac ridiculum foret, apud Gellium, pro munere ac iure docendi, ſiue, vt nunc nominant, pro Doctoris praerogatiua ſumatur; & quod iidem hodie viri, ſiue philoſophorum, ſiue aliorum collegiorum praemia tulerint, modo magiſtri, nunc doctores, in imperantium literis ſalutentur. Sicut igitur academiarum, quod nos quidem ſciamus, omnium profeſſores, philoſophiam in Germania explicantes, ambo haec nomina candidatis ſuis imponunt: ita cum clarus admodum, & honore hoc dignus iuuenis, CHRISTHOPHORVS nempe CRAMERVS, Schiffenburgae in Pruſſia procreatus, inque moribus ac ſcientiis honeſtiſſimis bene ac feliciter inſtitutus, die heſterna, in profeſſorum excellentiſſimorum conuentu, Doctor a me philoſophiae renunciaretur; proclamationisque, quam vocant, publicae ſpem acciperet; noſtro nos iure ſimiliter vſos eſſe, gradumque ſic noſtri ordinis primum & ſummum, ſuo CRAMERVM merito conſcendiſſe, palam faciendum putauimus. Dab. Ienae, ſub Facult. ſig. Domin. XII poſt Trin. A. CIↃ IↃCC XVII.

XL Eo-

XL

EO potiſſimum fine & conſilio, ſapientiae humanae Magiſtri conſtituuntur; vt ad docendi officium ſe iuxta & alios praeparent, inque formandis iuuenum animis ſe exerceant; quandoquidem ipſum magiſterii nomen, quod in artibus ac ſcientiis, quarum indicium atque argumentum haud fallax, in docendo eſt ſitum, magis ipſos, quam vulgus eruditorum, excellere iubet, id arguere ac probare videtur. Vix proinde alicui, ex literatorum, aut politorum hominum coetu, in mentem veniſſe, quis iudicauerit: ipſos ſcilicet docendi magiſtros vt a Doctorum ſocietate arceret ac excluderet; niſi illepidus quidam, Rotenburgenſis reipublicae, praecedente ſeculo, iuriſconſultus, parumque in ea re cautus conſiliarius, cui Georgii Chriſtophori VValtheri eſt nomen, ſpem atque opinionem hic plurium feſelliſſet. Is enim, Doctorum omnium ſtatum, & iura ac priuilegia, ſcripto aliquo complexurus; eas ſe partes, nec recte, nec feliciter impleturum, eſt ratus; niſi Magiſtros, omneſque in vniuerſum philoſophos, Doctorum elogio atque titulo, non tam vti, quam imprudenter abuti; argu-

argumentis aliquibus, vt ipſe quidem exiſtimauit, firmiſſimis, ſed, vt alii arbitrantur, ineptis ac ridiculis fretus, oſtenderet. Principio enim, Doctorum, quam Magiſtrorum dignitas maior ac praeſtantior, VValthero iudice, obſtat, quo minus hi appellationem illorum obtineant & participent; ne gradu ſapientiae ſummo ſuperiorem aliquem introducere atque fingere, cum ipſorum ludibrio ſapientum, oporteat. Mirum eſt vero, lynceum adeo iuriſconſultum, qui magis acutum, quam philoſophos omnes, ſe cernere, opinatus eſt, videre tamen haud potuiſſe: quod, ſi momenti & roboris quicquam haberet haec ratio; iuris pariter atque medicae artis Doctores; quum theologis ipſi Doctoribus dignitate ac ordine cedant; minus etiam accurate, ſed iniuſte ac perperam, cum ſcientiae diuinae magiſtris, veluti ſe ſuperioribus, in eiusdem honoris ac tituli ſocietatem venirent. Neque philoſophis magis, quam ordinum aliorum Doctoribus, altera eius calumnia obeſt: ſolis nempe Doctoribus, non item Magiſtris, in aliquibus imperii legibus, tam amictum nobilibus congruentem, quam alia eorundem iura, concedi; atque abſonum nimis videri, philoſo-

loſophiae Magiſtrum, Doctoris vocabubulum quidem, non vero immunitates, honorisque insignia obtinere. Quum enim in conſtitutionibus iſtis, iurium tantum Doctoribus, ad praerogatiuas dignitatesque eiusmodi, quae neque theologos, neque medicos decent, via aperiatur; ſane conſequens erit, ſi lex iſta Doctores efficiat aut reiiciat; vt theologiae non minus ac medicinae interpretes, quam philoſophi, iſto titulo, bona VValtheri pace, priuentur. Hic autem inuidia atque odio, contra philoſophiae Magiſtros vnice ardens, ſolos ſcilicet iſtos, a Doctorum ſplendore & gloria alienos pronunciat. Id quod neutiquam facturus fuiſſet; ſi apud latinos non minus, quam graecos, dignitatis maximae vocem ac notam, magiſterium olim fuiſſe; & qui ad legitimae atque medicae diſciplinae, ac theologiae praecipue gradum, annis ſuperioribus adſpirarunt, Magiſtrorum potius, quam Doctorum titulis, gloriari ſolitos eſſe, ex Ioanne Meurſio, aliisque antiquitatum cuſtodibus, didiciſſet. Nos vero non argumentis tantum; quibus iam olim Cellarius atque Itterus obtrectationes huiusmodi proſtrauerunt; ſed re etiam ipſa, refellendum pariter

atque

atque eludendum VValtherum, cenſuimus. Cum enim clariſſimus ac eximius iuuenis, COELESTINVS CONRADVS NEVFELDVS, Regiomonti Boruſſiae in hanc lucem editus, & ad theologiam praeſertim ſtudium ſuum inclinans, eas praeterea literas atque artes excoluiſſet, inque ſuſceptis examinibus comprobaſſet, quae his titulis decus laudemque afferunt; Magiſtrum illum ſimul ac Doctorem philoſophiae, in collegii noſtri conclaui, atque in profeſſorum ſuffragantium conſpectu ac ore, creauimus; in panegyri poſthac publica, hanc ſententiam noſtram corroboraturi. Dab. Ienae, ſub Facult. ſig. Domin. XII poſt Trin. A. O. R. clɔ Iɔcc xvII.

XLI

HAbet obtrectatores ſuos etiam ſapientia
Sed ſolos inſipientes
Qui rectius ſapiunt
Illi
Quicquid in diſciplinis eſt recti aut ſolidi
Iſtud literis ac philoſophiae adſcribunt
Per hanc enim

Theolo-

Theologi a Fanaticis
Iureconſulti a Rabulis
Medici a Circumforaneis
Dignoſcuntur
Quod igitur felix fauſtumque
Summus ſapientiae arbiter
Eſſe iubeat
De contemtorum ſuorum inſipientia
Triumphum denuo ducet haec Diua
Quando
Inuictiſſimi Romanorum Imperatoris
LEOPOLDI MAGNI
Ac
Sereniſſimorum huius Academiae NVTRITORVM
Auctoritate
Rerum ſummam hic adminiſtrantibus
Tam
Rectore Magnificentiſſimo
Paternarum virtutum
Ac prouinciarum Herede
Domino
GVILIELMO HENRICO
Saxoniae Iuliaci Cliuiae Montium Angariae & Gueſtphaliae Duce
Reliqua
Principe noſtro clementiſſimo
Quam
Prorectore magnifico
Summe reuerendo excellentiſſimoque
X Viro

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Viro
PHILIPPO MVLLERO
Sanctae Theologiae Doctore
Et Profeſſore ordinario
Sereniſſimorumque Saxoniae Ducum
A conſiliis ſacris
Nec non Praepoſiti & Praelati Magdeburgenſis
Dignitatem ſortito
A
Nobiliſſimo Viro excellentiſſimoque
IOANNE ANDREA DANZIO
Sacrarum reliquarumque orientis linguarum
Profeſſore celeberrimo
Noſtrique nunc ordinis Seniore
Inſigniter merito
Collega noſtro iamque Procancellario
Ac honorum diſpenſatore
Maxime venerando
Viris atque Iuuenibus XVII
Magiſterii iura ac decora
Velut virtutis & ſapientiae praemia
V Octobris Anni cIↃ IↃcc II
Sollemniter tribuentur
Quibus
Prorector academiae magnificus
Patres conſcripti
Venerabiles ſacrorum praecones
Ac fautorum philoſophiae
Commilitonumque corona
Ornatiſſima

Vt

Vt
Maleuolis quoque inuitis
Dicta dic applaudant
Non tam meis,
Quam totius Collegii verbis
Iisque officioſiſſimis
Cunctos inuito.
P. P. D. V Octobr. CIↃ IↃCCII.

XLII

VEr annum iam aperit
Sed & Honoris aperit templum
Ad quod
Non niſi per templum Virtutis
Aditus patet
Quare
Merito ſuo vtrumque ingreditur
Candidatus dignisſimus
Quando
Ex hoc in illud perrexit
Vernis iam floribus
Conſpergenda eſt via
Virtutis vlteriorisque hono-
ris mox fructum ominaturis
Qualis
A vere promittitur
Ab aeſtate atque auctumno producitur
Nam
Quod feliciter vertat

Dei
Imperatoris
Principum
Facultatis noſtrae
Auſpicio
Nobilisſimus excellentisſi-
musque Vir
IANNES ANDREAS DANZIVS
Sacrarum ceterarumque linguarum
In terris orientalibus receptarum
Profeſſor egregius
Ordinis noſtri Senior venerandus
Rite iam conſtitutus Brabeuta
Bonis artibus egregie expolito Iuueni
LVDOLPHO ANTONIO HANSENIO
Hildeſiae Saxonum procreato
Diuinarum literarum cultori ſolerti
Doctoris philoſophi ſiue Magiſtri
Titulum
Quem Ei
Poſt vſitatata examina
Ordo noſter adſcripſit
Eruditio poſthac firmabit
Virtus ornabit
Hodie Hora poſt meridiem III
In ſollemni panegyri
Intra aedem collegii
Conferet
Adeſte
Generoſi ac nobilisſimi Iuuenes
Atque plauſum veſtrum

Fauo-

Digitized by Google

Fauore
Ore
Re
Teſtamini
P. P. ſub Facultatis ſigillo D. XXX Martii
A. O. R. CIↃ IↃCC vIII.

XLIII

ADes
Regum atque Imperatorum Numen
Ades
Regi & Romanorum Imperatori
Iam coronando
Ades
CAROLO
Inter Hiſpaniarum Reges Tertio
Inter Germanorum Caeſares Sexto
Inter Heroes praeſtantiſſimos
Primo
Ades Ipſi propitie Deus
Vt viciſſim nobis propitius adſit
Aque tropaeis Hiſpanicis & Italicis
In victricem Germaniam properet
Quo
Cum victore Principe
Feſta pax oriatur
Accedat igitur Pius
Qui pietatis artes propaget

Adueniat Felix
A quo multorum felicitas pendeat
Ingrediatur Auguſtus
Florem ſcilicet Germaniae vniuerſae au-
ctarus
Nouus hic Sol
Caligantibus paſſim Academiis oriatur
Nouum ſtudiis academicis iubar
Nouam ſtudiorum honoribus lucem
Foeneraturus
Serua Principum princeps
Sicut Imperatorem venturum
Ita Principum atque Imperatorum ſan-
guinem
Academiae huius Conſeruatores ſereniſ-
ſimos
Quorum auſpicio
Rectore academiae Magnificentiſſimo
Sereniſſimo Principe

GVILIELMO HENRICO
Saxoniae Iuliaci Cliuiae Montium
Angariae & Gueſtphaliae Duce Land-
grauio Thuringiae Marchione Mi-
ſniae Principe Comite Henneber-
giae Comite Marcae ac Rauensber-
gae Sayniae & VVittgenſteinii
Dynaſta Rauenſteinii
Prouinciarum Saxo-Iſennacenſium
Ac virtutum paternarum Herede
Prore-

Prorectore magnifico
Nobiliſſimo experientiſſimo excellentiſſimoque
Viro
IO. HADRIANO SLEVOGTIO
Medicae artis Doctore
Anatomiae Chirurgiae ac Botanices
Profeſſore ordinario
Medicoque prouinciarum ducalium
Tam doctrina quam meritis celebrato
Procancellario ac honorum diſpenſatore
Per Ordinis noſtri decretum
Ad hunc actum ſollemniter conſtituto
Nobiliſſimo conſultiſſimo excellentiſſimoque
Viro
IOANNE IACOBO MVLLERO
Iuris Doctore
necnon ethices ac ciuilis ſcientiae
Profeſſore celeberrimo
Ad diem III ineuntis Nouembris
A. O. R. cIↃ IↃcc xI
Viri Iuuenesque XXI clariſſimi
Poſtquam
Ex virtutis & ſapientiae contubernio
In academiis pluribus culto
Plenum virtutis & ſapientiae animum
Retulerunt
Inque examinibus abunde probarunt
Vtriusque praemia
Magiſtrorum honores & priuilegia

In ipſo honoris academici templo
Partim nunc obtinebunt
Partim nuper
In concilio Profeſſorum
obtenta
Proclamationis publicae beneficio
Sollemniora reddi gaudebunt
Cui Sapientum panegyri
Magnificum academiae Prorectorem
Comites illuſtrisſimos
Splendidisſimos aulae Proceres
Profeſſores excellentisſimos
Ornatisſimos ordinis cuiuscunque
Hoſpites
Iuuenes florentisſimos
Fautores
Spectatores
Teſtes
Decentisſime oro
Et
Si fieri poſſit
Exoro
P. P. ſub Facultatis ſigillo
Domin. XXII poſt Trinit.
A. R. S.
cIↃ IↃcc xl.

XLIV

XLIV

Conditore ſiderum Deo volente
Nouum ac multiplex Sapientiae ſidus
Coeli Ienenſis ſpatia
Nouo lumine auget
Soli ſiderum regi aemulum
Quin illuſtrius iſto hac tempeſtate futurum
Dum enim Sol
A terrarum hoc tractu remotior
Noctes longius quam dies extendit
Illud in ſolis quoque occaſu exoritur
Hibernis barbariei tenebris
Obſtiturum
Ac breuiſſimis anni diebus
Virtutis & ſcientiae lucem
Prorogaturum
Imo
Frigoris quaſi brumalis remedio
Tot lucidorum ignium
Quot ingeniorum praeſtantium
Pompam explicaturum
Et quemadmodum
Imperatoris optimi maximi
C A R O L I VI
Pii Felicis ac ſemper Auguſti

Auſpicio
Ita
Glorioſiſſimorum Saxoniae Ducum
Academiae huius ſtatorum
Auctoritate
Non pauciora quam Sol
Orbi terrarum commoda ac ſolatia
Largiturum
Quo videlicet fine
Dum
Sub Rectoris Magnificentisſimi
GVILIELMI HENRICI
Saxoniae Iuliaci Cliuiae Montium Angariae item ac Gueſtphaliae Ducis Landgrauii ThuringiaeMarchionisMiſniae Principis Comitis Hennebergiae ComitisMarcae & Rauensbergae Saynae ac VVittgenſteinii Dynaſtae Rauenſteinii Domini noſtri clementisſimi
Imperio Academico
Vir
Magnificus nobilisſimus experientisſimus excellentisſimusque
GEORGIVS VVOLFGANGIVS VVEDELIVS
Schvvarzenſis praedii clientela conſpicuus
Artis medicae Doctor
Sacri palatii caeſarei Comes

Se-

Sereniſſimorum Saxoniae Ducum
A conſiliis ac re medica
Theoretices item Profeſſor ordinarius
Magnam inter medicos famam adeptus
Prorectoris in hoc prytaneo faſtigium
tenet
Nobiliſſimus conſultiſſimus excellen-
tiſſimusque
Vir
BVRCARDVS GOTTHELFVS STRVVIVS
Philoſophiae ac diſciplinae legiti-
mae Doctor
Sereniſſimorum Saxoniae Ducum
Conſiliarius & Hiſto-
riographus
Atque iurium extraordinarius
Hiſtoriarumque ordinarius
In hoc athenaeo Profeſſor
Doctrina ac meritis florentiſſimus
Collega noſter atque adhuc Decanus
Plurimum honorandus
Tanquam rite iam conſtituti Brabeutae
Ac Procancellarii
Dignitate ornatus
Viros Iuuenesque XVI clariſſimos
Qui
Quod virtutes pariter ac ſcientias
Nouis honorum luminibus dignas
Examinibus conſuetis oſtenderint
Partim antea ad Magiſterii Philo-
ſophici

ſophici gradum euecti
Partim nunc euehendi ſunt
Ventura proxime Iouis die
In ſanctisſima Collegii aede
Tanquam ſtellas philoſophiae totidem
Deinceps futuros
Proclamationis ſollemnis beneficio
In publicam Academiae atque orbis literarii lucem
Producet
Cui Muſarum ſpectaculo
Vt adeſſe dignentur
Prorector magnificus
Proceres aulae ſplendidisſimi
Academiae Patres excellentisſimi
Sacrorum Antiſtites venerandi
Et quicunque
Hoſpitum atque Ciuium literatorum
Spectandi haec talia atque auſcultandi
Cupidine flagrant
Vt inquam huc oculos ſuos
Huc aures aduertant
Totius philoſophorum Senatus
Nomine precor
P. P. ſub Facult. ſig. Domin. II. Adu.
A. O. R. cIↃ IↃCC xV.

ELOQVENTIAE ACADEMICAE
ARGVMENTA
TERTII ORDINIS

QVAE SVNT

SCRIPTORVM
PRAELECTIONES SEMESTRES
DENVNTIANTIVM

CVM

PROLVSIONE AVCTORIS
AVSPICALI.

Digitized by Google

I

RVdi illa barbarie, quam ne nominari quidem in academiis par erat, nihil indignius foediusque, vel dicendo efferri, vel imaginando concipi poſſe videtur. Si enim id deteſtamur maxime, quod optimae ac pulcherrimae rei poſſeſſione nos ſolet deiicere; quo execrationis genere, quaeſo, tam pernicioſum, quam turpe, ignorantiae vitium proſequemur? Quod dum doctrina ſcientiaque animos exuit; impedimento eſt nobis, ne ſupra communem mortalium ſortem euehi, & in diuinitatis conſortium aliquod venire queamus. Citra ſapientiam certe, ſi duos philoſophorum principes, Platonem ac Ariſtotelem, audiamus; nudae, aut raſae inſtar tabulae habet, ac ſpiſſis vndique tenebris intellectus, a ſcientia Dei longiſſime alienus, inuoluitur. Huic autem barbariei oppoſitam, atque inſitam nobis, ad diſcendum propenſionem, verbis his prodidit Stagirita: πάντες ἄνθρωποι τοῦ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει. naturali quodam ſciendi deſiderio homines cuncti tenentur. Ipſi igitur obluctari naturae, bel-

bellumque indicere, iudicandi ſunt, qui ingenitam ſibi cupiditatem, inclinationemque honeſtam, bonis artibus non explere contendunt. Atque facile ſuas in partes nos trahunt Pythogoraei: qui genuinam arbitrati ſunt vitam, non qua caducum & fragile corpus vigeret, ſed qua hominis parti praeſtantiori, in ſtatu hoc miſero, bene eſſet; & cuius nos contra deſertio ad infimam beſtiarum conditionem detruderet. Vnde illis, qui inſuper habita reiectaque philoſophia, vulgo ſe miſcuiſſent, ſepulchra quaedam inania, tanquam mortuis, exſtruebant. Nec praeter rem ille ex Graecia ſapiens, viros plebeios, ac literarum expertes, quaſi lapides ſuper lapidibus, ſedere pronunciabat. O igitur foedam, & omnibus deteſtandam inſcitiam! O indignum, non Teutonibus noſtris ſolum, ſed toto humano genere, eruditionis contemtum! Quem, nil penitus bonae frugis hominibus afferentem, infamia, deſperatio, fames, perpetuo comitantur. Fugite ergo, o noſtri, hanc beſtiam! & quae aduerſus eandem, in publicis priuatisque nos ſcholis: quarum denuo in futurum ſemeſtre, quod bonum fauſtumque Deus ter optimus eſſe iubebit! indicem exhiberi, vetus atque ſollemnis exigit conſuetudo; praeſidia

praeſidia atque arma inſtruimus; ea mature ac ſolicite Vobis parate. P. P. ſub Acad. ſig. VI Maii, A. O. R. cIↄ Iↄc xcvI.

II

Pythagoram, primum illum philoſophiae, quantum ad nomen attinet, repertorem, vt ſolidioris doctrinae & ſapientiae apparatu pectus inſtrueret; non Aegyptum duntaxat peragraſſe; ſed Chaldaeorum etiam ac Perſarum adiiſſe prouincias; & in Cretam inſulam, antrumque Idaeum penetrauiſſe; praeter ceteros, Diogenes Laertius annotauit. Et quam longinqua itinera Epicurus, Democritus, Plato, bonarum artium cauſa, ſuſceperint; nemo forte in ſuperiorum hiſtoria temporum tam infans aut hoſpes eſt, vt ignoret. Imponebatur nimirum haec peregrinandi neceſſitas diſciplinarum olim tironibus; quia ſub alio atq; alio coelo venandae tunc erant ſcientiae, quae regionis vnius limitibus nondum includebantur. Maior autem recentioris eſt aeui felicitas: vbi ſuperſedere excurſionum iſtarum difficultate ac moleſtia poſſumus; dum ſcho-

larum nunc nobis & academiarum facta eſt copia: vbi, tanquam in artium praeclariſſimarum mercatu, quicquid pulchri & ſolidi in doctrinis occurrit, paruo admodum labore ac ſumtu paratur. Neque alio ſcopo, immortalis memoriae elector ac princeps, diuus IOANNES FRIDERICVS, hanc pietatis & ſapientiae officinam condendi, coeleſtia prorſus conſilia agitauit, & diuina etiam ope perfecit; niſi vt hoc vberiori foecunditate, religionis & omnis elegantiae ſtudia efflorescerent, atque indies augerentur. Quae res, praeſentis auſpicio Numinis, ex bonorum omnium voto ſucceſſit; quandoquidem sereniſſimorum Principum cura & beneficio, ex athenaeo hoc noſtro, tanquam ex equo Troiano, lectiſſima, doctrinisque optimis perpolita ingenia, ex hoc tempore prodierunt. Nec de futuro etiam deſperamus; ſi vniuerſi ac ſinguli, tam qui diſcentium augent ordinem, quam qui formandis praeſunt iisdem, officii ſui partes impleuerint; ſique aſſiduitas veſtra, o ciues! curae ac fidei noſtrae reſponderit. Quod igitur felix laetumque Deus ter optimus eſſe iubeat! exhibemus denuo operarum noſtrarum elenchum; & quid futuro ſemeſtri,

quili-

quilibet noſtrum in veſtra ſtudia colla-
turus ſit, vobis omnibus aperimus. Nihil reſtat, niſi vt opportunae occaſioni manum pariter ſedulam & promtam iniiciatis: quam, vt poeta id effert, ſi occuparis, teneas; elapſam ſemel non ipſe poſſit Iupiter reprehendere. P. P. ſub Acad. ſig. IV Octob. An. Chr. cIↃ IↃc xcvI, Academiae cxxxIx.

III

SIcut in potiori felicitatis, inter mortales miſeros, parte ponendum eſt, inuenire magiſtros, quorum auſpicio, mores & ſtudia iuuentutis in maius quotidie prouehantur: ita callida illa ſophiſtarum natio, omni aeuo, plus diſcentibus mali attulit, quam ignes fatui viatoribus cladis important. Notabantur olim hoc titulo, teſte Platone, qui vel dicendi ſpecimina, vel aliarum artium argumenta, quorum ipſi perfectionem haud vulgarem aut paruam mentiebantur, fuco ac lenociniis quibusdam inficiebant. Et quoniam toti ad oſtentationem & auaritiam erant compoſiti; propterea, vt imperitorum iuuenum auram captarent; reiectis atque exploſis, quae ſapientum antehac ſcholas occupauerant, doctrinis & placitis, res no-

uas & incredibiles iactitabant. Quale quid in Zenone pariter ac Meliſſo, Protagoraque & Gorgia, Iſocrates obſeruauit. Si Philoſtratum audiamus; paruis ſaepe materiis, & ob tenuitatem ipſarum, minime ad dicendum accommodatis, auditorum animos detinebant. Quemadmodum Dio Pruſiaeus de pſittaco; Lucianus de muſca; Pſellus de pulice; Pittacusque de mola; parum vtilem, ac ridiculum prorſus ſermonem inſtituebant. Sed & pudenda, atque auribus honeſtis indigna, in medium protuliſſe ſophiſtas, Aulus Gellius nobis teſtatur. Quibus rebus, ceu fieri ſolet, hoc aſſequebantur plerique, vt plauſus & acclamatio iuuenum ipſos comitaretur. Praeterea ſubornabant nonnullos, qui gratulantium & ouantium voces: grande ſophos! egregie dixiſti! in publica auditorum corona, ipſorum ſubinde gratia, ordirentur. Plinii certe iunioris tempore, Laudiceni innotuerunt: inde appellationem ſortiti; quia laudem hanc, ſuis ab auditoribus, coena emebant. Inculcanda haec vobis, ciues optimi! & ad animum reuocanda fuerunt; quando iterum, quod felix auſpicatumque Deus ter optimus eſſe velit! operarum noſtrarum indicem in ſemeſtre

meſtre hoc proximum, publicamus; vt ſingularem oppido ſereniſſimorum Principum, genuinos in hoc athenaeo doctores fouentium, bonitatem & gratiam nobiſcum concelebretis; & poetae etiam illud identidem recolatis: aetate fruere; mobili curſu fugit. P. P. D. IX Octobr. A.R.S. cIↄ Iↄcc l.

IV

TAli quidem ſcientiae omnes cognatione ac vinculo continentur; vt vna ſubinde alterius ope indigeat; neque ex vlla earum inſignem is laudem reportet, qui naturae huc inflammantis auſpicia non ſecutus fuerit; neque ex ſingulis, quantum ſatis eſt, deguſtauerit. Quodſi tamen quis cunctas promiſcue diſciplinas & artes, tanquam proprium fundum, colendas, putauerit; is eandem cum peregrinatore inepto, qui omnia, in quibus pernoctat aut prandet, diuerſoria, & omnes, quas praeterit, vrbes ac aedes, habitandas poſtea ſibi, exiſtimat, ſtoliditatis vel imprudentiae notam incurret. Nam adeo magna ſcientiarum eſt amplitudo; tam anguſta ſpatia, tam innumerae occupationes & curae, totque impedimen-

ta& obſtacula, vitam noſtram circumſtant; vt id ſuſcipi praeſtarique a nobis non poſſit. Ita inſuper comparatae ſunt artes; vt promtam aliae ad inueniendum, atque celerem indolem; aliae firmam fidamque memoriam; rurſus aliae ſolers quoddam & acre iudicium, in poſſeſſore ſuo requirant. Norunt autem naturalium rerum indagatores, facultates huiusmodi cum diuerſa adeo cerebri atque ſanguinis diſpoſitione coniungi, vt rebus ac ſcientiis vniuerſis accommodata earum perfectio, vnum in hominem nunquam, aut raro cadere videatur. Conſtat etiam, genus diſciplinarum quodcunque, non tantum intelligentia, ſed & exercitio contineri: quae duae res, in doctrinis ſingulis, totam fere aetatem, totumque hominis ſtudium, ſibi depoſcunt. Quamobrem ab eruditisſimis viris notatum eſt: felicisſima quaeque, ac ſcientias multas complexa ingenia, in potioribus atque pluribus defeciſſe; neque paucos, inani πολυμαθείας ſtudio, in vanam & ſtolidam quandam loquacitatem, cum aliorum contemtu ac riſu, degeneraſſe. Idem fere expertos, quod catillonibus uſu venit: qui dum varia atque infinita deuorant; nihil digerunt, neque in nutrimentum corpo-

corporis ſuccumque conuertunt. Ceterum documento vobis haec erunt, o noſtri! quam ſalutari atque egregio inſtituto, ſereniſſimi academiae huius ſtatores, docentium ordinem, non in quatuor tantum ſocietates ſeu claſſes diſtribuerint; ſed & peculiares cuilibet diſciplinas, publice priuatimque tradendas, mandauerint; vt, quoniam vniuerſa haud poſſent ab vno; ſingula, dum res ita iuberet, a ſingulis, in ſalutem ac decus rei literariae conferrentur. Patebit ſimul, quam imprudenter & male ſuis ſtudiis conſulant, qui, ſi magiſtri vnius, in lyceo aliquo, ſputa lingant; omnium ita diſciplinarum circulum emetiri ſe poſſe, praeſumunt. Verendum eſt enim magnopere, ne pro Iunone nubem captantes, dum in vnius alicuius doctrinis ſe macerant, parum tamen, vel nihil proficiant. Quod ne accidat; orare inprimis Deum oportet: vt, quas in ſemeſtre iſthoc aeſtiuum proponimus operas; eas ex vſu reipublicae, ac feliciter euenire, efficiat! P. P. d. X Maii, A. cIɔ Iɔcc II.

V

SIqui peregre in vrbem quandam praeclaram adueniunt; illi res fama atque ſermone hominum praecipue celebratas, ſicut oculis, ita animo ſuo perluſtraturi, viros eam ad rem a magiſtratu delectos adeunt; quo ad loca inſigniora comites eos ac duces adhibeant. Similiter illis, qui ignotum antea ſapientiae iter aggrediuntur, mentemque hic ſuam per vaſtum diſciplinarum & artium orbem circumferunt, certis magiſtris opus eſt, a quibus, ad omnem doctrinam & excellentiam, aditus ipſis aperiatur. Nam ſicut momentum reipublicae ingens atque egregium in eo eſt ſitum; vt ex vſu iſtius, ſcopoque propoſito, quisque inſtituatur; & in tenera atque vegeta adhuc aetate, primum virtutis & ſapientiae ſuccum imbibat: ita plurimum intereſt, quibus vtatur quis ducibus atque moderatoribus; vt eiusmodi diſciplinis & artibus, quae in toto deinceps vitae curriculo maximum ei fructum ſint allaturae, animum ſuum exornet. Magna igitur voluptate Philippus, Macedoniae rex, perfuſum ac delibutum ſe, teſtabatur; quod filii ſui, Alexandri, qui magni poſtea nomen obtinuit, ortus, in magni

pariter

pariter philoſophiae magiſtri, Ariſtotelis ſeculum incidiſſet. Iactaturque ea de re ad Stagiritam iam dictum epiſtola, tam cordato alias principe haud indigna: quam hoc loco referre, ac repetere, ad propoſitum praeſens fortaſſe expediet: Filium, inquit, mihi nunc genitum eſſe, ſcias; ob quod equidem Diis gratias ago; non, quod datus is mihi natusque ſit; ſed quod tuae temporibus vitae, naſci eum, contigerit. Spes enim me tenet, futurum, vt inſtructus eruditusque a te, dignus ipſe & nobis, & negotiis noſtris ſuſcipiendis, euadat. Idem vero hoc, maximis atque prudentisſimis omnis aeui principibus cordi fuit: vt idonei ad id muneris viri, florenti adhuc, & cupidae diſciplinarum liberalium iuuentuti, praeficerentur. Sereniſſimorum profecto huius academiae nutritorum, inaeſtimabilis, in hac etiam parte, bonitas, & prouidentia incredibilis, etſi dignis efferri laudibus, & exhauriri a nobis non poteſt; grata tamen ac memori mente vt agnoſcatur, &, cum aliter in praeſenti non liceat, humillimis pro ſalute ipſorum precibus compenſetur, fas iuſtumque exiſtit. Vos praeſertim, cariſſimi! hoc laudabili pietatis officio, erga munificentiſſimos Duces, defungemini; & quando nunc iterum,

quod feliciter vertat! praelectionum noſtrarum indicem publicamus; Quintiliani illud ſimul in pectus intimum defigetis: quemadmodum terra cultu, ſic animus diſciplina & literis, melior vberiorque fit. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. XVII poſt Trinit. A. cIɔ Iɔcc II.

VI

Solebat ſapientisſimus Plato, ſicut alias honeſtarum mentium dotes, ſic φιλοπονίαν inprimis, hoc eſt laboris asſiduitatisque amorem, ad praeclararum artium cultum exigere; atque veterum illud: quod Dî bona ſua laboribus vendant: ſolicite atque crebro omnibus inculcare. Neque enim, vt primis noſtris parentibus, illud prudentiae ac intelligentiae lumen iam nobis innaſcitur; aut, velut in hominum diuiuorum animos, derepente ex coelo delabitur; ſed ingenti opera atque ſtudio opus eſt, vt coeleſtis hic foetus ex intellectu hodie eruatur. Id quod memorabili perquam imagine ſignificabant Romani: quando & Agenoriam, quae ad agendum homines incitaret; & Stimulam, quae ad ſumma nos omnia ſtimularet; & Strenuam, quae

quae efficeret ſtrenuos, intra vrbem colebant. Idem vero, ſi vanitatem ſuperſtitionemque ridiculam demas; literarum quoque cultoribus ad animos reuocandum videtur. Vobis, certe, o noſtri! quibus, quod fauſtum fortunatumque ſit! hic operarum ſemeſtrium index iam publicatur, eo curatius reputandum hoc venit; quo ſpem omnes praeclariorem in patria ſuſtinetis; & quo maius honoris ac gloriae decus, recte poſitam in bonis doctrinis operam, aliquando ornabit; cum ignauiam contra paupertas, ſqualorque ac ignominia conſequantur. P. P. D. XXIX Aprilis, A. cIɔ Iɔcc III.

VII

QVemadmodum tres in anima hominis facultates ſeu partes ineſſe, iam olim ſunt creditae; naturalis videlicet vna, ad quam omnis refertur nutritio; altera vero vitalis, ſiue, vt ſcholae loquuntur, iraſcibilis, vnde affectus & motus, tanquam ex fonte aliquo, deriuantur; tertiaque intelligens ac rationabilis, in qua mens, puriorque cognitio reſidere putatur: ita fuerunt ſuperioribus

bus annis, qui agriculturam in republica; quia haec alimenta ſuppeditat ciuibus; cum animae nutrientis virtute; bellicam vero artem, qua vis externa repellitur, cum iraſcentis potentia; literarumque & ſapientiae ſtudia, cum facultate intelligendi, non ſine doctorum ſuffragio, compararunt. In quo politicorum atque oratorum inuento, id notari praecipue ac laudari meretur: quod diſciplinarum liberalium cultus, cum praeſtantisſima omnium, maximeque diuina noſtrae animae parte, ſatis commode conferatur. Reliquae enim in ſocietatibus actiones & artes, ſine debita cautione & prudentia, quam ſcientiae ſuis velut vberibus alunt & augent, nec florere ex voto, nec ſubſiſtere diu, cernuntur. Quamobrem Charondas, in condenda aſſerendaque Thuriorum republica, meliorum artium ſtudia, tanquam ſalutaria valde ac neceſſaria, ſingulari, prae rebus ceteris, curae habebat. Tuliſſe enim eum tunc legem, ab antiquis omiſſam, Diodorus Siculus memorat: qua liberi ciuium vniuerſi, in ludo aliquo literarum, profuturis ad eas praeceptis inſtrui, conductis ad id mercede & aere publico praeceptoribus, iubebantur. In chriſtianorum ſimiliter orbe,

inde

inde a Conſtantini M. temporibus, piorum tot principum nomina, haud minori pro literis, earumque domiciliis, cura ac prouidentia celebratur. Quorum tamen plerisque, ſereniſſimi academiae noſtrae conſeruatores, palmam adhuc, vel praeripuiſſe omnino, vel ambiguam feciſſe videntur. Horum profecto gratiae ac tutelae inaeſtimabili acceptum vnice ferri oportet, quod, publicato nunc iterum praelectionum hibernarum elencho, perdurantem in oppido noſtro, ſaluberrimarum artium florem oſtendere, excitatoque velut tropaeo, hominibus quoque exteris, partim incredulis, partim inuidis, teſtari queamus. Veſtrum igitur erit, o ciues! tantis ſummorum Principum beneficiis atque impenſis, nullo non pietatis, laborisque ac ſtudii genere, quantum in vobis eſt poſitum, reſpondere. Enimuero, vt canit poeta, militibus placuiſſe duci, non vltima laus eſt. P. P. D. VII. Octobr. A. cIↄ Iↄcc II.

VIII

VIII

EA hodie intellectus & voluntatis humanae eſt ratio, vt innumeris ambo erroribus atque vitiis, haud ſecus ac morbis quibusdam peſtilentisſimis, conflictentur. Quandoquidem vero ex ſolis ſapientum praeceptis ac monitis, parari nobis remedia poſſunt, quibus mala tot noxia profligentur, ſuamque ad ſanitatem animus reducatur; propterea non minori periculo, ſapientiae artibus, quam quotidiano fere medicinae praeſidio, carere licebit. Imo compertum ſaepius fuit, non tam facile medicorum, quam ſapientum contemtu, reges ac regna integra periiſſe. Cum enim in probi atque experti medici ope, paucorum plerumque hominum ſalus vertatur; literatorum ex aduerſo penuria, in populos totos, praeſentisſima aliquando pernicies ac peſtis irruecta eſt. Sicut ergo tot hominum barbarorum imperia, virtutis & ſapientiae fuga, peſſum iuerunt: ita optimo contra inſtituto, Romani, cordatos & doctos vndique viros conquiſiuerunt, qui ſalutarem, nutanti interdum reipublicae, manum porrigerent. Neque alia magis ratione, quam incredibili illa,

illa, de fouendis ſcientiarum magiſtris, ſolicitudine, ſereniſſimi Duces noſtri, vel certiorem nominibus ſuis gloriam, vel promtiorem, ciuium animis ac morbis medelam, tempore iam multo pararunt. Vos proinde, o noſtri! dum nunc iterum recitationum noſtrarum elenchum perluſtrabitis; tot profutura mentibus veſtris medicamenta & auxilia, quot praecepta vtilia, perlibenter & auide omnibus haurienda, partim porrigi, partim promitti, cenſebitis. P. P. ſub Acad. ſig. D. XIII Aprilis, A. cIↄ Iↄcc Iv.

IX

OPerarum nunc hiemalium indicem, quod bene ac feliciter euenire iubeat Deus! in omnium rurſus notitiam edituri; hoc ſane in votis optatisque habemus, vt adeo bonae ac opportunae, in praeclararum artium diſciplinis proficiendi, occaſioni, cupidam omnes manum iniiciatis! Quod ita a Vobis praeſtari, atque ita deſiderium noſtrum impleri, velimus; vt & ſapere elegantius, & rectius viuere, veſtros animos inducatis. Vix enim pretium erit operae, vt didiciſſe vel ſcire aliquis

aliquis plura ſe iactitet; ſi non vberem, quoque ex illa ſcientia vſum fructumque oſtendat. Nam quid prodeſſe putabimus Martis alumno, omnia artis bellicae inſtituta & placita ad vnguem nouiſſe; niſi in committendis praeliis, inque hoſtibus profligandis, probe exercitatum ſe ac peritum commonſtret? Sic albis, quod aiunt, dentibus eum excipi, fas eſt, qui, oſtentata glorioſius tot linguarum notitia, ſuam regere & compeſcere linguam, neſciuerit; aut, cognitis rerum creatarum naturis ac viribus, de colendo & adorando ipſarum opifice, Deo, neutiquam cogitauerit. Veſtrum itaque erit, o ciues! in hauriendis excolendisque ſcientiis, ſcientiarum omnium ſummam, quae in religioſa Numinis veneratione, honeſtoque viuendi inſtituto conſiſtit, cupide & aſſidue intueri. P.P. ſub Acad ſig. D. XVI Nou. A. cIↃ IↃCC Iv.

X

GEnus quoddam picturae ingenioſiſſimum, & mirifica arte perfectum, ab auctoribus priſcis laudatur: in quo tria capita, collo tenus inter ſeſe connexa, absque corpore, ſed vngibus tamen gallinaceis, tanquam fulcris innixa, exhibebantur. Primum vero ex capitibus iſtis equinum; ſecundum arietis; tertium hominis eſſe videbatur. Atque triplici hac imagine, partes tres, prout tunc erant cognitae, orbis terrarum: equo nimirum Africa, ariete Aſia, homineque Europa, deſignabantur. Cuius rei hanc allegare rationem ſolebant: quod Europaea, quam nos incolimus, plaga, ſemper cultior & humanior ceteris, quae cum animalibus brutis aequantur; & habita fuerit, & extiterit. Reſpiciebant fortaſſe hi homines ad nobile illud Pythagoraeorum inuentum: quo ſapientiae ac doctrinae expertes, quamcunque potius aliam, quam hominum appellationem mereri, exiſtimantur. Cum enim naturam hominis, non ex corporis motione aut ſenſu, ſed ex ratione ac mente diiudicemus; eo vtique potiori quis iure, humanam ſuſtinere perſonam, arbitran-

dus eſt ; quo magis intelligentiae vi vſuque excellit. Quod ipſum a ſtudiis ac ſcientiis honeſtis praeſtari, nemo ignorat. Tanta eſt excellentia literarum ac dignitas! quarum doctrinas quo ſimus deinceps ordine ac modo propoſituri; ex edito iterum, quod ſalutare ac proſperum esſe iubeat Deus! praelectionum indice apparebit. Veſtrum erit, o ciues! id nobiscum eniti, ne eadem forte querimonia in lyceo hoc noſtro locum inueniat; qua literatorum aliquem apud Arnobium, cum ſeptem tantum appellatos & habitos ſapientes, audiret, vſum legimus: o miſerum calamitoſumque ſeculum! quo per orbem videlicet totum, ſeptem ſoli fuerunt, qui hominum tunc vocabulo cierentur! P. P. ſub Acad. ſig. D. XXVI April. A. cIɔ Iɔcc V.

XI

SOllemne eſt alchymiſtarum filiis, vt tabulam quandam ſmaragdinam crebris laudibus efferant: a neſcimus qua muliere, Zara, ſiue in valle Hebronis, ſiue in Hermetis Trismegiſti ſepulchro, primum

primum deteɛtam; & ab Alexandro poſtea magno, inter peregrinandum repertam: in qua Mercurius, omnis doɛtrinae reconditae ac philoſophiae arcana, aureis quondam literis conſignauerit. Ceterum illam, Hermeticorum complures, non pro genuino ſolum Mercurii Trismegiſti ſcripto agnoſcunt; ſed & lapidis inſtar Lydii opinionum omnium habent: parumque cum veritate ea omnia conſentire, affirmant, quae cum tabula ſua ſmaragina heud conſentiant. Reperiuntur quidem nonnulli, qui, quod ea de re altum ſit apud omnes ſcriptores ſilentium, Graecos inprimis; qui data tamen opera, in Aegyptum, quae vetus Mercurii regnum creditur, excurrerunt; diɛtam lapidis tabulam, vſitatis ideo alchymiſtarum commentis, & vt coniiciunt aliqui, a Bernhardo quodam Caneſio orbi obtruſis, annumerare haud dubitant. Contra alii, vel ex eo, huic tabulae fidem quandam adſtruere ſuſtinent; quod quamplurimas olim in Aegypto Hermetis ſiue columnas, ſiue tabulas, eiusdemque placitis inſignitas, fuiſſe, ex Iamblichi pariter atque Lycii Procli monumentis appareat; neque vulgaris illa traditio: a muliere eam Zara, in antro quopiam, prope He-

bron, inuentam: vlla ex parte male ſe habeat; ſi ea de Abrahami coniuge, Sara, accipiatur. Addunt denique: mirum non eſſe, ſi monumenti iſtius notitia peregrinatores Graecos latuerit; quandoquidem vſu receptum apud Aegyptios fuerit, vt, qui peregre adueniſſent, in conſcientiam arcanorum ſacerdotalium nunquam admitterentur. Quicquid ſit; nihil profecto aliud egit ſapientiſſimus huius academiae conditor, diuus Ioannes Fridericus elector, niſi vt tabulam quaſi ſmaragdinam in hac vrbe ſuſpenderet: cui omnes diſciplinarum liberalium, atque artium bonarum theſauri, non quidem Hermetis cuiusdam Aegyptii manu, ſed coeleſtis prouidentiae munere, crederentur. Hanc ergo nos tabulam, publicandi nunc indicis ope, in conſpectum veſtrum producimus, ciues cariſſimi! atque vt Alexandri magni exemplo, non niſi diſcendi proficiendique inſtituto huc accedatis, ſerio cohortamur. Faxit denique Numen, vt prima tabulae huius Hermeticae verba: verum ſine mendacio, certum & veriſſimum: complementa apud nos ſua, in docentium pariter atque audientium

ani-

animis, ſortiantur: P. P. ſub Acad. ſig. die Michaelis ſollemni, A.O.R. cIↃ IↃccV.

XII

INter ceteras eruditorum ſocietates, quarum adhuc foecunda & fauſta prae aliis mater Italia extitit, in illuſtri Florentiae vrbe, ACADEMIA DELLA CRVSCA annis ſuperioribus orta eſt: nomen pariter & imaginem ſuam, a furfure, noto pollinis purgamento, ſortita. Ad molentium quippe exemplum, farinamque a furfure ſeparantium, id pro ſcopo, collegii iſtius auctores habebant: vt, quae in ſtudiis bona & recta exiſterent, haec a prauis ac falſis ſedulo & cum cura ſecernerentur. Namque doctis non minus, quam rudibus literarum hominibus, vſu venit, vt aliter res, quam natura ſua ſe habent, interdum imaginentur, nubemque, quod aiunt, pro Iunone agnoſcant. Ita coelum veteribus, corporis inſtar vitrei apparebat, vbi erratica, atque reliqua ſidera, ſuo quaelibet loco affixa haererent. Quoties porro a multis affirmandorum negatio, & negandorum affirmatio inſtituitur? Quemadmodum Anaxagoras haud minori ſtoliditate,

niuem hieme nigram cadere, ſtatuebat; qua, albam eſſe eandem, inficiabatur. Dantur demum ſophiſtae, qui omnia fere ex omnibus colligi, & vel aquam ex pumice elici a ſe poſſe, praeſumunt. Cuiusmodi argumentorum portenta, primus omnium Satanas, in horto Edenis produxit. Ab his igitur, aliisque id genus erroribus, vt, ex academiae Florentinae ſancito, veritas, quae ſaluberrimum atque vnicum animorum eſt pabulum, tanquam ab excremento & furfure, repurgetur; ante omnia, dictorum errorum originem remoueri par erit: quae partim ab inſita noſtris mentibus labe; partim ab educationis conuerſationisque vitio; partim a ſua cuiusque negligentia ac mollitie; partim a praeiudiciis, veri nempe iudicii nihil habentibus, arceſſenda videtur. Praemonere haec in praeſenti voluimus; dum, quod bene vertere, omnes precamur, aeſtiuarum praelectionum nunc indicem promulgamus. Hoc enim doctorum, hoc diſcentium opus eſt: veritatis, vt ita loquamur, farinam, a quocunque errorum furfure, decenti induſtria & cura purgare. P. P. ſub Acad. A. O. R. CIↃ IↃCC Iv.

XIII

QVoties ferme de primis academiae noſtrae natalibus, quibus annus octauus & quinquageſimus ſeculi ſexti ac decimi conſecratus eſt, cogitare incipimus; toties noſtris animis imago redit eorum, quae de naſcente olim Carthagine poetarum princeps commemorat: magiſtratum alios, ſanctumque, vt vocat, ſenatum legiſſe; alios alta theatris ſplendidisſimis fundamenta locaſſe, ingentesque columnas rupibus excidiſſe, quae ſcenis futuris, edendisque ſpectaculis inſeruirent. Conſtituebatur enim tunc temporis, ad modum fere ſimilem, Ienae noſtrae, ſtatutisque egregiis ſtabiliebatur, ſenatorum amplisſimus ordo: qui concreditis ſibi ciuibus praecepta pariter & exempla praeiret. Ita vero adornabatur theatrum hoc famae pulcherrimum, in quo plures de poſtero, tam ſocietatis ſanctisſimae, quam rerum publicarum columnae, ac velut Mercurii quidam, ex idoneis lignis parandi, & ſcenis ac ſeculis ornamento futuri, manu artificum formarentur. Apes etiam, quarum laboribus ingenioſisſimus vates illam opificum Carthaginienſium

diligentiam comparat, imitati tunc ſunt, noſtroque adhuc tempore imitantur, quibus fingendae poliendaeque iuuentutis academicae munus iniunctum eſt. Namque & nos, foetus quotidie noſtros, in doctrinarum omnis generis campos, pro virili educimus; collectisque floribus, fauos quaſi ac mella ſtipamus. Faxit Deus, vt veſtra, o ciues! induſtria, hoc ſemeſtri hiberno: cuius nunc indicem, quod felix auſpicatumque ſit! publicamus: profeſſorum ſtudia excitet; neque crabrones ac fuci aduolent, qui vel pabula rapiant, vel dira quaeque apibus comminentur! P. P. ſub Acad. ſig. Domin. XIX poſt Trinit. A. O. R. cIↃ IↃcc vI.

XIV

DEridemus aliquos noui orbis incolas, Aſanegis nomen eſt, quibus illi habentur pro optimis atque gratioſisſimis, qui peſſime olere putantur. Ora igitur ſua, ex quibus teterrimus ſemper halitus, vt ex ſentina, emittitur, haud ſecus ac res pudendas, tecta circumferunt; quo ipſo omnium laudibus & officiis digni creduntur. Quorum quidem veſaniam

am ſtrenue imitantur, vel ſuperant potius, qui eruditioni inſcitiam, contemtumque bonarum artium anteponunt. Nam turpiſſimo horum, vt ita loquamur, foetore, non tam nares laeduntur, quam Deus offenditur: qui ſicut in corpore, nihil intellectu humano diuinius; ita in mente nihil praeſtantius ſapientia, nec orbi Chriſtiano vtilius, collocauit. Huius enim emolumento ac praeſtantia, ceu ſalutari quodam odore, afflatur religio, ac ſtudium omne perficitur. Quare vix peius aut peſtilentius aliquid vlla vnquam exhalare mephitis potuiſſet, quam hoſtile & callidum Iuliani imperatoris conſilium, quo, ereptis ſcientiarum & artium officinis, quantum in ſe poſitum eſſet, totam ſimul Chriſtianorum rempublicam perdere ac delere inſtituebat. Ex parte contraria, immortalem laudem merentur Saxoniae principes ſereniſſimi: quorum auſpicio, quicquid eſt foedum & barbarum, ſecura adhuc deſpexit haec ſtudiorum liberalium ſedes, atque etiam porro deſpiciet. Quibus hac quoque aeſtate, operam ſingularem & multam Vos dabitis, ciues optimi! ne idem Vos cum Aſanegis facere, labiorumq; veſtrorum turpitudinem tegere, in clarorum atque eruditorum hominum coetu,

oporteat. P. P. ſub Acad. ſig. D. VII Maii, A. cIↄ Iↄcc vII.

XV

QVod de bonarum artium ſtudioſis, ſuo iam tempore, Menedemus pronunciauit: pleroſque eorum, ſapientes ſibimet ipſis videri primum; deinde philoſophos; poſtea rhetores; denique idiotas: hoc idem de noſtri ſeculi academicis ſaepenumero vſurpare licebit. Plurimi enim, priusquam in litteris aliquid aſſecuti ſunt, nihil non ſcire, inanique opinione ac faſtu turgere, ipſoſque haud raro magiſtros alto ſupercilio ſpernere conſueuerunt. Poſtquam vero in ſtudiorum curriculo aliquantum progreſſi ſunt; tum deſcendere demum in ſe, & quomodo ea, quae ſcimus, ſit minima pars eorum, quae ignoramus, vere agnoſcere, & palam profiteri incipiunt. Spicis videlicet ſimiles: quam diu nihil granorum continent, in altum erectis; ſimul vero ac fertiles & plenae apparent, deorſum vergentibus atque depresſis. Sicut igitur hae, ad terram humilem inclinatae, magis ſe probant agricolis: ita vos, ciues carisſimi! compo-

compoſito ad modeſtiam, non ad arrogantiam, animo, lectionibus noſtris hibernis, quarum nunc ſummam edimus, intereſſe optamus; ne, ſi ſecus feceritis, cum illo Eraſmi amico in comparationem de poſtero veniatis: quem ea de re, abſolutae is eruditionis hominem appellabat; quoniam, vt ipſe interpretabatur, ab eruditione ſolida ſolutus ac liber exiſteret. P.P. ſub Acad. ſig. D. II Octobr. A. cIↃ IↃcc vII.

XVI

Nihil prius habuit Ianus Huartus, medicus quondam Hiſpanus, quam vt medicamentum eiusmodi inueniret ac proderet, cuius ope, ingenia atque mentes hominum, ſummae praeſtantiae ac perfectionis apicem obtinerent. Qua in re quidem neſcimus, an ſe aeque felicem dextrumque probauerit, ac Graecorum Democritus: a quo excogitatum compoſitumque remedium ferunt, ex quo boni & pulchri, fortunatique liberi gignerentur. Quod ſi fieri poſſet; exoptandum maxime foret, vt medicamenti iſtius notitia, non ad pharmacopolas ſolum ac medicos, ſed ratione eadem

ad alios perueniſſet. Interque res omnes deperditas, nulla forte inueniretur, cuius iactura hominibus vel magis dolenda, vel ſtudioſius requirenda veniret. Neque eſſet, cur tantum laboris ac temporis, in excolendis perpoliendisque mentibus, in ſcholis impenderemus; ſi, quicquid perfectionis artisque habetur, vnius medicamenti hauſtu imbibere, ac deuorare liceret. Sed in caſſum, putamus, alia noſtri animi medicina quaeretur, quam quae doctrina ac inſtitutione abſoluitur. Haec enim ſola diſcentes ab ignorantiae ac ſtultitiae morbo liberat, ſiue, vt Plato id effert, animos bonos ingenerat. Commendatũ igitur hoc ſibi habebunt remedium, quibus animorum ſuorum ſanitas atque emendatio curae eſt, & in docentium officinis ac ſcholis, quas in ſemeſtre iſtud aeſtiuum cunctis offerimus, & parandi illius, & in tempore adhibendi, datam ſibi occaſionem captabunt. P. P. ſub Academ. ſig. D. XXIX Aprilis, A. O. R. cIↄ Iↄcc vIII.

Digitized by

XVII

EIusmodi olim conſuetudinem extitiſſe, ſeruatamque aliquandiu fuiſſe, Plutarchus, Graecorum eruditisſimus, tradit: vt, ſi qui peregrinatores ac hoſpites templi Delphici aedem adirent; alta illico voce, quae ab omnibus poſſet audiri ac percipi, inclamaret ſacerdos: hic homines fiunt! Quod quidem virtutis, ſicut mendacisſimi vates oraculo ſuo, conſulentibus ſe mortalibus per reſponſa inania illudenti, praeter meritum tribuebant: ita verius longe literarum ſacrariis, quae ſcholas & academias dicimus, vindicari posſe videtur. Tales hic enim doctrinae ac ſcientiae auditorum animis inſtillantur, quibus ſolis homines, vere ac recte intelligentes, cenſentur. Absque his certe ſi foret; pari propemodum ratione cum beſtiis vitam tranſirent; neque prae ſimiis ipſi, aut leporibus brutis, praeclari aliquid poſſiderent. Nam ſi natura ac dignitas hominis, non ex corpore hoc ignobili, quod ſenſus incurrit; ſed ex diuino ac immortali, qui intus habitat, animo aeſtimanda eſt; profecto is demum, veri hominis decus merebitur, qui partem ſui praeſtantio-

ſtantiorem, humanoque generi propriam, hoc eſt rationem ac mentem, bonis artibus excoluerit. Vnde Socratem legimus, a Xenophonte rogatum, vbi homines frugi fierent? manu hunc ſua apprehendiſſe, atque ad coetus ſtudioſorum iuuenum deduxiſſe. Eadem vero, non tam Apollinis Delphici, quam ſapientiae ac doctrinae delubra, vobis etiam adeunda ſunt, ciues cariſſimi! ſi naturae vos veſtrae dignitatem tueri, ac prae vrſis & canibus eminere deſideratis. Dum proinde, quod bonum fortunatumque ſit! operarum noſtrarum elenchum denuo diuulgamus; eam omnes occaſionem, quae prae manibus eſt, ſicut alias, ita hoc quoque ſemeſtri, prenſabitis; diſciplinisque egregiis, a rudi atque ignobili vulgo Vos diſtinguetis. P. P. ſub Acad. ſig. D. VII Octobris, A. O. R. cIↃ IↃCC vIII.

XVIII

Rogatus a familiarium quodam Ageſilaus, quae potiſſimum ſuis ciuibus excolenda, ac diſcentium animis inſtillanda venirent? ea, reſpondit, quorum in aetate virili, vſus maximus

ac

ac praecipius eſt futurus. Plane ad ciuitatis Lacedaemoniae, cuius clauum tunc moderabatur dux iſte fortisſimus, inſtitutum! vbi, reiectis voluptatibus, rebusque inanibus, ad ſolam vtilitatem, & in re publica ac domeſtica fructum, ex Lycurgi legislatoris ſancito, reſpiciebatur. Idem vero & vobis, carisſimi! dictum putabitis: de ſemeſtris futuri operis, hic propoſitis, eas vnice ſelecturi, quae ſuis cuiusque rationibus atque ſtudiis inprimis conducent. Neque enim in vita academica, imprudentiores nos nautis ac viatoribus, certum ſui itineris ſcopum ac portum ante oculos ſemper habentibus, praebere debemus. Duo autem in quolibet ſtudiorum genere attendenda, & ad vſum adeo futurum paranda ſunt: quorum vnum Plutarchus ſapientiam, alterumque virtutem appellat. Quemadmodum enim duae ſunt partes noſtrae animae, intellectus atque voluntas: ita reipublicae intereſt, illum ſcientiis, iſtam moribus honeſtis ornari. Nam ſine doctrinis & artibus caecutire homines, ac nihil, vel parum, quod publice priuatimque expediat, videre contingit. A virtutibus autem alieni qui ſunt; illos & facienda in ciuitate fugere, & fugienda ſectari, & ſumma imis miſce-

miſcere, animaduertimus. Id proinde, o ciues! nobiscum optabitis, vt hoc etiam tempore, quo aliquid noui diſcendum eſt, eam omnibus atque ſingulis mentem iniiciat benignisſimum Numen, quae ad verum pariter ac honeſtum feratur. P. P. ſub Academ. ſig. D. IV Maii, A. O. R. cIↄ Iↄcc lx.

XIX

BOnus firmusque corporis habitus, vel ideo cunctis ceteris bonis, ſi a Deo rebusque diuinioribus diſcedamus, anteponendus eſt; quod, qui morbis & valetudine minus commoda conflictantur, iſti omnium fere eorum, quae ad felicitatem, ſtatumque in vita hac meliorem faciunt, fructum amittunt. Neque enim vel Croeſus aliquis ſuis diuitiis, vel Sardanapalus voluptatibus, vel Alexander victoriis frui poteſt; quando ſurgere ipſum volentem, infirmitas ac morbus retardat. Vnde Pindarus, poeta ingenioſisſimus, ſanitatem non auream tantum nominat; ſed ne aurum quidem tam aureum, quam robur ac incolumitatem corporis eſſe, contendit. Huius igitur ſummam ac praecipuam rationem habendam, & vel fuga eidem, ſi non aliter

aliter liceat, conſulendum venire, nemo forte mortalium dubitabit. Quod idem & nos quoque facturi, & ex noſtris his ſedibus diſceſſuri eſſemus; ſi, quod inuido atque mendaciſſimo rumore eſt ſparſum, infamis peſtilitate aut contagio aer has terras vreret; ſique oppidi huius is incolas, ciuesque in eo academicos attigiſſet. Sed auertet miſericordisſimus Deus hoc omen! atque amplius coelo ſalubri nos vti, honeſtisque artibus operari, permittet! Licet enim auctumni intemperies quibusdam infeſta, & aliquibus quoque mortifera, ceu vtplurimum ſolet, extiterit; neque tamen mortuorum nos funera, multo, quam annis aliis, plura extulimus; ac vis ipſius dyſenteriae, aliquamdiu graſſatae, ante aliquot iam dies remiſit. Quid? quod experimentis haud vnis patuit, ſanitati ciuium, ſi ſeptendecim horum, eosque infirma per ſe affectione corporis, partem maximam laborantes, excipiamus; in hoc etiam loco, Dei atque medentium ope, conſultum fuiſſe: conſulique in poſterum poſſe; ſi quis ipſe, vt diſciplinis egregiis, ſic valetudini ſuae ac vitae, operam dare voluerit. Auſpicato igitur omine, & collegia nunc hiberna indicimus; & florem academiae, ſtudiorumque in iſta perpetuum,

ab immortali Deo precamur. P. P. ſub Acad. ſig. Die VI Octobris, A. O. R. cIɔ Iɔcc Ix.

XX

QVemadmodum bonis artibus ipſius virtutis ac prudentiae ſemina continentur: ita nemo mirabitur, Marcum Tullium, praeſtantem doctrina & eloquentia virum, tantum momenti, ad gubernandam amplificandamque rempublicam, in his ſtudiis poſuiſſe; vt nullum exiſtimaret fieri poſſe ciuem egregium, qui non animum, diſciplinis liberalibus praeparatum atque inſtructum, afferret. Permultis enim experimentis atque exemplis teſtatum eſt, ſine eruditionis ſubſidio, nihil plerumque, vel alicuius potentiam, vel opes valere. Ita pecunioſi equidem, ipſo Hercule, vt aiebant, amico, Metelli Romae fuerunt. Parum autem his profuerunt res atque fortunae; cum tam eſſent indocti ac ſtupidi, vt de matre ipſorum Scipio Aemilianus pronunciaret: aſinos eam tum parituram, ſi filios adhuc plures pepererit. Pari modo Licinium, ſummam apud Romanos auctoritatem ac poten-

potentiam habuiſſe, accepimus. Sed cum rudis adeo literarum atque ineptus exiſteret, vt vix nomini ſuo, decretis publicis ſubſcribendo, par eſſet; quin imo ipſas literas venenum reipublicae appellaret; peſtis tandem is ciuitatis Romanae, atque florentisſimi olim imperii euerſor euaſit. Ne vero & Vos, dilectisſimi ciues! ad ciuilem & ſacram rempublicam aliquando adſpiraturi, vel ſtolidi quidam Metelli, vel furioſi Licinii exiſtatis; ſublatoque honeſto ac aequo, pro caeca poſthac libidine, cuncta geratis; Veſtrarum omnino partium erit, ſicut nullo non tempore, ita ſemeſtri iſthoc venturo, earum diſciplinarum praeſidia e doctorum ſolertium ore ac ſcriptis haurire, quibus animi, ad res ex vſu communi ac praeclare agendas, Dei ac principum ſerenisſimorum auſpicio, inſtruentur. P. P. ſub Acad. ſig. Die IV Maii, A. O. R. cIↃ IↃcc x.

XXI

Recitationum noſtrarum indicem dum recepta in academiis conſuetudine, felicique, vt arbitramur, omine, publicamus; illud omnibus commendandum inclamandumque videtur, quo praecones olim in ſacris, ceterorum animos ad ſilentium atque attentionem accendere & hortari ſolebant: hoc age! Quemadmodum enim nihil ſalutarius atque honeſtius eſſe poteſt, quam ſi docentium fidei, auditorum diligentia & cura reſpondeat: ita non paucos alia quaeuis facere, atque perperam ſtudioſorum nomen tueri; haud vtique noſtra, ſed ipſorum gratia, vehementer dolemus. Non iam de illis dicemus, qui deſerta & vacua plane relinquunt magiſtrorum ſubſellia; ſero fortaſſe cum Phrygibus imprudentiam ſuam & noxam deploraturi. Sed eorum nunc negligentiam leuitatemque carpemus, qui in ipſis non raro auditoriis, ſuos animos, ſiue ſegnes nimium, ſiue ſtudiis alienis diſtractos, a praeceptore auertunt. Priſcis in eo athletis ſimiles, ambas saepius aures obſtruentibus, ne ad ictus paterent aut exhorreſcerent. Vel cum virginis

ginis ſtatua apud Aeſopum aequandi: quam adſpiciens vulpes, ac naturae & artis ſimilitudinem admirata: o pulchrum caput! dicebat; verum cerebro ac mente priuatum! Belle etiam de eiusmodi auditoribus, a docente auerſis, eruditorum aliquis affirmare ſolebat: vbi ſunt, abſunt; & cum adſunt, abeſſe debebant. Neque igitur iſti homines, ex profeſſorum omnium ſcholis, plus laudis ac fructus, quam olim Iudaei ex ſermonibus Chriſti, reportant: qui, licet ſat altam & vaſtam aurium molem ad conciones afferrent; auſcultandi tamen officio cum adeo male defungerentur; nullum prorſus eorum, quae dicta atque euicta fuerant, vſum praeſtabant. Vos autem, o boni! quales vnice lectionibus noſtris adeſſe optamus; ad maiorem attentionem, animorumque praeſentiam, tum ipſa ſcientiarum praeſtantia ac vtilitas; tum, qui eas conſequitur, honor & gloria inuitabunt. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. XVI poſt Trinit. A. O. R. cIↃ IↃCC X.

XXII

LEpidum ſatis ac ridiculum, Agathonis cuiusdam ad Socratem, ſapientum tunc principem, votum erat: vt doctrina in hominem eo penitus modo deflueret; quo aqua in vas aliquod vacuum, per lanam aut linum, ſubito ac inopinato deducitur. Idem hoc vero ignauis ac mollibus literarum cultoribus, noſtro etiam aeuo, gratum fortaſſe & iucundum accideret; ſi praeſertim bonarum artium diſciplinas culullis & pateris aureis haurire liceret. Verum aliter longe res habet; neque ludicri aut parui laboris negotium credi debet, adſperſam hominibus ignorantiae labem eluere, ac tot arduas diffuſasque ſcientias comparare. Haud anguſtis profecto terminis ſapientiae regnum includitur; ſed, vt orbis aethereus, nullos propemodum fines agnoſcit: & quo plura didicimus, eo diſcenda veniunt plura, quae ignoramus. Qua de re veterum ſapientum aliqui, ſi in ipſo ſepulchro pedem iam alterum poſuiſſent; tamen ſe diſcere adhuc velle, profitebantur. Diuerſi longe ab illis, qui ſatis hodie habent, de doctrinis tam longe patentibus, ſicut canes de Nilo, potare.

Aurem

Aurem vero his vellicare vel ipſe hic operarum noſtrarum elenchus poterit: annuente Numine, eo iterum fine a nobis propoſitus; vt, quantum ex peritisſimi cuiusque praeceptis proficere quisque debeat, hoc veluti monitore ac ſuſcitabulo, doceatur. P. P. ſub Acad. ſig. Die XXVI Aprilis, A. O. R. cIↄ Iↄcc xI.

XXIII

PErmulti quidem reperiuntur, qui Germanos veteres, tanquam hebetes plane ac rudes, & omnis ſapientiae contemtores, ore pariter ac ſcriptis traducunt: partim Graecorum, ſtolidis atque barbaris populis maiores noſtros annumerantium; partim Latinorum quorundam, inque primis Cornelii Taciti, auctoritate commoti: cuius effato, literarum ſecreta viri iuxta & foeminae ignorarunt. In qua cauſa, maiorne Romanorum atque Graecorum ambitio ac temeritas; an aduerſus hanc nationem inimicitia ac inuidia; an potius rerum Alemannicarum imperitia atque ignorantia, accuſari debeat? an denique criminationes ipſorum, atque inhu-

inhumanius dicta, non niſi ad infimam gentis Teutonicae plebem; vel eo ſolum pertineant, vt non omnes omnino literae, ſed literarum duntaxat ſecreta, priſcis Germaniae incolis denegentur? diſceptare nonnullos, inque varias inter ſe partes abire, deprehendimus. Vtut autem res iſta ſe habeat; ſane ipſis, Graiorum non minus, quam Latinorum veterum, & ſpeciatim Strabonis ac Caeſaris monumentis teſtatum eſt: omni Germanos tempore, atque eo etiam, quo barbariem nondum exuiſſe animis credebantur, literarum & optimarum artium ſtudia cum exercitationibus corporis coniunxiſſe. Qua de re tria praecipue ſacerdotum, ſiue, vt hodie loqui mos eſt, profeſſorum genera, Bardos, vates, ac Druidas, ſingulari inter ſe honore ac loco habebant. Hi in ſpecu, aut abditis ſaltibus, nobiliſſimos gentis, annis non raro vicenis in diſciplina permanere ſolitos, clam & crebro docebant; licet praecepta ſapientiae nondum literis mandarentur, neque in libros redigerentur; ſed in ore ſolum vigerent; & ſermone ac verſibus, quorum ingentem numerum ediſcebant, propagarentur. Quod ipſum, ſi Iulio Caeſari habenda eſt fides, duabus

prae-

praeſertim de cauſis inſtituerunt: quod diſciplinam efferri, nefas crederent; & eos, qui diſcerent, ſcriptis confiſos, prout plerisque accidit, memoriae minus ſtudere, arbitrarentur. Quamuis autem & Caroli magni prouidentia; & poſt emendatam religionem, Martini inprimis Lutheri, ac Philippi Melanchthonis opera; & huius denique ac ſuperioris aeui ingenia, rudiorem prius Germaniam, diſciplinarum omnium luce magis magisque illuſtrauerint; tamen adhuc nobis cauendum, atque in id elaborandum eſt, ne literarum atque ſcientiarum ſtudio, a Germanis adhuc indoctis, quales ſcilicet Graecis & Romanis ſunt viſi, & barbaris, vinci nos patiamur. Cuius rei Vos etiam atque etiam admonere, ciues cariſſimi! dumque praelectionum indicem, quod felix laetumque ſit! de veteri more edimus; ad operam ac ſedulitatem, in iis ponendam artibus, cohortari voluimus; quas vetuſtiores Germani ſi cum tanto inſtructu atque ornatu habuiſſent, auidis omnes auribus, propenſisque animis excepiſſent. P. P. ſub Acad. ſig. Die IV Octobris, A. CIƆ IƆCC XI.

XXIV

EArum nunc diſciplinarum cultura melior ac vberior Vobis promittitur; quarum non tantum veſtigia, ſed rudimenta etiam aliqua, apud veteres Germanos apparuerunt. Ad theologiam quod attinet; multa Druides, ſi Caeſari tribuenda eſt fides, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputauerunt, & iuuentuti Germanicae tradiderunt. Neque parum etiam veri continet, maiorum noſtrorum, de numinibus, quorum plura, ex paganorum conſuetudine, coluerunt, decretum, a Cornelio Tacito literarum monumentis proditum: quo haud cohibendos parietibus Deos, nec in humani ſpeciem oris aſſimilandos, ex magnitudine rerum coeleſtium, arbitrabantur: Deorumque nominibus non niſi ſecretum aliquid appellabant, quod ſola ſe reuerentia videre, aiebant. Hoc igitur ipſo, & praeſentem omnibus Deum, & humana negotia curae habentem, eo ſanctius puriusque colendum, ſignificarunt; quo minus hic oculis noſtris ſenſibusque pateret. Iuſti porro ac aequi ſcientiam apud Teutones priſcos ſi requiramus; ea non legibus quidem ſcriptis, ſed in-

ſtitutis

ſtitutis tamen ac moribus ore traditis, & ad poſteros propagatis, conſtabant. Cumque Alamanni ac Friſii, Bauarique & Franci, quinto poſt genitum ſeruatorem ſeculo, legum ſuarum ſancita, ſicut aliae gentes, literis conſignaſſent; certe paucitas ſtatutorum, actionumque forenſium breuitas, reipublicae optimae & iuſtisſimae documenta fuerunt. Nec medendi omnino ſapientia, Germanorum Druidas, veluti vatum, ſic medicorum titulo, apud Plinium inſignitos, deſtituit. Inter praecipua vero morborum, quin & ſterilitatis, ac veneni remedia, viſcum in quercu genitum, ac ſelaginem herbam, ſabinae haud diſſimilem, celebrabant. Interiecto deinde tempore, ſicut Gothi, Romanorum atque Graecorum de more, hanc artem excoluerunt: ita Franci, Gothorum ſecuti veſtigia, tanto eam in pretio habuerunt; vt peculiare eam in rem, Caroli magni ſtatutum, quo medicinam ſcilicet artem infantes etiam diſcere iubebantur, in lucem exierit. Philoſophiae ſtudia, parem in modum apud antiquos Teutonas celebrata, poſtremo hic addere volebamus. Sed chartis in praeſenti anguſtis excludimur: atque etiam ea, quae allata iam ſunt, ad

ad maiorem contentionem animi, in diſciplinis liberalibus, neque a rudi adhuc Germania prorſus neglectis, aſſidue adhibendam, quemlibet veſtrum, cariſſimi! in hoc potisſimum flore annorum, tanquam his rebus aptisſimo, cohortantur pariter atque impellunt. P. P. ſub Acad. ſig. Die X Aprilis, A. O. R. cIↄ Iↄcc xII.

XXV

QVousque, non in Deorum ſolum, ſed etiam legum, ac medicamentorum notitia, noſtri olim maiores, quamuis barbarorum tunc nomine a Graecis ac Romanis notati, proceſſerint; ſub ſemeſtris nuper aeſtiui auſpicia, ex horum pariter ac illorum teſtimoniis ſcriptisque apparuit. Sed reliquarum non minus artium ac ſcientiarum, a Deo hominibus conceſſarum, earumque magis liberalium, haud ſpernenda principia apud Teutonas antiquos inueniuntur. Et literarum quidem praecepta, procul dubio Germanorum vetuſtisſimis, non maiori, quam politioribus quoque populis, curae fuerunt; quandoquidem primus omnium, ſi Eginhardo eſt fides, Carolus magnus impe-

imperator grammaticam, quae patrii fuit ſermonis, exorſus eſt: ventosque ac menſes, ante id temporis partim ignotos, partim latinis barbarisque vocabulis nuncupatos, duodecim appellationibus propriis inſigniuit. Artis tamen ſcribendi exercitationem & vſum, apud Tuiſconas, ex Druidarum videlicet diſciplina, inualuiſſe; ſique diſciplinarum ſecreta excipiamus, in quibuscunque aliis rebus, literas Graecas, in publicis priuatisque rationibus, vſurpatas fuiſſe, Iulius Caeſar commemorat. Parem in modum Tacitus, de Germanorũ exponens moribus, auctor eſt: monumenta ac tumulos quosdaã, literis Graecis inſcriptos, in Germaniae Rhetiaeque confinio adhuc extare. Quibus ex locis criticorum aliqui id non tantum arguere, ſed & euincere voluerunt: notas ſcribendi graecanicas, Germanis quondam familiares, & ab Achiuis ad hos propagatas fuiſſe. Verum, obſeruatore Poſtello, Druidum, hoc eſt Germanorum doctrina, diu admodum, in toto iam oriente floruerat; antequam vlla, inter Babylonios iuxta & Graecos, publica literarum memoria haberetur. Siue igitur, quae Hottomanni eſt coniectura, hoc vocabulum: graecis: in contextum latinum, auctoribus his inuitis,

uitis, irrepſerit; ſiue Romani literas Germanorum ignotas pro Graecis habuerint; multo ſane eſt credibilius, characteres Teutonibus proprios, magnam licet cum Graecis affinitatem habentes, diu ante Graiorum literas extitiſſe. Iam enim tum agnoſcebant, vel facto potius ipſo profitebantur Germani: ſi literarum notitiam tollas; fruſtra omnino tentari, quaecunque in omni negotiorum ſtudiorumque genere, agenda ſuſcipiuntur. Id quod illorum praeſertim gratia memoramus, qui omne id vile ac ſordidum, & indignum adeo academicorum perſonis, exiſtimant, quod a dicendi ſcribendique his artibus, ad ſcholas hodie triuiales, inſano ſeculi more, damnatis, proficiſcatur; neque certos, vt decet, ſtudiorum gradus faciunt, quibus non ad philoſophiae tantum; ſed theologiae etiam, & prudentiae iuris, ac medicinae ſcientias, recte alii ac ſcite progrediuntur. Quamobrem & nos, quod felix fauſtumque ſit! omnium diſciplinarum elenchum, non alio certe nunc fine, oculis Veſtris exponimus; quam vt nullam earum contemtim Vos habeatis, ſed iuſtum ſingulis pretium ſtatuatis. P. P. ſub Acad. Sig. Die II. Octobris, A. O. R. cIↄ Iↄcc xii.

XXVI

VEtuſtisſimi aeui Germanos, certaminibus ac bellis adſuetos, inter cetera literarum ſtudia, orationis decorae, & ad mouendum accommodatae, rationem haud minimam habuiſſe; mirum, veroque parum ſimile poſſet putari; niſi neceſſarium adeo, tam militiae, quam pacis ſubſidium, in bene ac dextre loquendi ſapientia ſitum eſſe; ex omnium temporum ſpeciminibus atque exemplis conſtaret. Quamobrem & Gallos, facundiam ſibi propriam, magiſtrosque iſtius ſcientiae, Druidas habuiſſe; Pomponius Mela, de ſitu orbis vniuerſi acturus, commemorat. Quomodo item, in nationum iſtarum comitiis, rex vel princeps, prout nobilitas, prout decus, prout facundia fuerit, in frequentiſſima auditorum corona auditi ſint; & auctoritate magis ſuadendi, quam iubendi tum poteſtate valuerint; ex Cornelii Taciti, grauiſſimi viri, narratione cognoſcimus. Gentisque eiusdem maioribus, oratorum plerique, quorum ſermones, vna cum panegyrico Plinii, ſolent excudi, gloriabantur. Et in hunc diem vsque Eumenii, in Cliuenſi lyceo, oratoriam artem, Conſtantii Chlori aetate, ſingulari cum laude

de profeſſi, ſtatua, in palatio principum eius loci, oſtenditur. Stare enim hic rhetor, vſitato tunc temporis veſtitu & cultu, conſpicitur: tunica nimirum talari; atque calceis ex aluta, pedem ac talos cingentibus, & ſupra pedem exſectis ac feneſtratis. Comam, in fronte ac ceruice Eumenii, decurtatam, aequaliter vita conſtringit; quemadmodum ventrem balteus latus atque bullatus circumdat. Dextra inſuper maſſam ipſe argenteam, ſiue auream, in patera poſitam; ſiniſtra magiſterii quoddam inſigne, ac velut gubernaculum adoleſcentiae, tenere videtur. Quod vetuſtum ac memorabile Eumenii rhetoris monumentum, vtinam multi Germanorum noſtrorum, ſua hodie inter literatos nomina profitentium, ſubinde intuerentur! ſeque a temporum iam dictorum Teutonibus, doctrinae elegantioris cultura & gloria, non dicam, aequari, ſed vinci, erubeſcerent! A vobis autem, o noſtri! longisſime abſit, vt eorum aliquid contemnatis; quae ornamentum cultoribus ſuis egregium, inque omni negotiorum ac vitae genere, ingens praeſidium ac bonum promittunt! Neque enim nos alio inſtituto, omnium doctrinarum & artium indicem, quod laetum auſpicatumque

que ſit! Veſtris nunc oculis animisque ſubiicimus, quam vt ſua omnibus dignitas, ſuus vigor de poſtero conſeruetur. P. P. ſub Acad. ſig. d. vII Maii, A. R. S. clↄ Iↄcc xIII.

XXVII

QVae ſub laborum ſemeſtrium, lectionumque academicarum auſpicia, adhuc allata ſunt; documento clarisſimo, & ad acuendum fortaſſe ſtudium veſtrum, efficacisſimo, Vobis fuerunt: maſculos illos antiquae Germaniae ciues, vt in perennis militiae, ita in togatarum artium, & omnis elegantiae campo, ſtrenue & alacriter decurriſſe. In his, carminum pangendorum ſcientiam, neque ſua a dignitate & fortitudine alienam, neque a rebuspublicis ſuis, ipſisque militum caſtris ac tentoriis, remouendam duxerunt. In Celtarum profecto & Britannorum medio, Bardi, coeleſti velut afflatu excitati, virorum magnorum & fortium facta heroicis verſibus componebant, & ad poſteros transmittebant. Huiusmodi vero carmina, Bardi iidem, teſte Tacito, ad hunc praeterea vſum, magnum ſane & admirabilem, tranſtulerunt: vt eorum relatu, quem barditum vocabant,

praeliantium animos concitarent. Nec ille, vt ſcriptor hic prudentisſimus addit, tam vocis, quam virtutis concentus videbatur; dum aſperitatem ſonorum, fractumque aliquod murmur, praecipue affectabant: obiectis ad os clypeis; quo plenior grauiorque vox repercuſſa, inter dulcisſimos lyrae modulos, intumeſceret. Porro & hoc, tanquam miraculo ſimile, de Germanorum carminibus memoratur: quod conflictuum futurorum fortunam ipſo cantu augurarentur; cum vel hoſtes terrerent, vel trepidarent; prout alio ea atque alio modo ſonarent. Quod poeſis diuinae & fatidicae genus, a Teutonibus priſcis repertum atque excultum, ſequioribus ſeculis periiſſe, & obliuione perpetua deletum fuiſſe, merito atque vehementer dolemus. Vsque eo omnium rerum & artium ſtudia, noſtri quoque maiores, quantum aeui illius infelicitas & barbaries tulit, in deliciis habuerunt: otioſosque ac molles noſtrorum temporum iuuenes in pudorem dederunt: qui de plurimis elegantioris doctrinae partibus nimis illiberaliter & abiecte exiſtimant. Quibus vt meliorem poſtea mentem Deus inferat, eumque diſcendi ac proficiendi ardorem, iſto etiam ſemeſtri hiberno, in ipſis incen-

cendat, qui reipublicae, coetuique diuino ſalutaris ac laetus exiſtat, maximopere in votis habemus. P. P. ſub. Acad. Sig. die VIII. Octobr. A. O. R. CIↃ IↃCCXIII.

XXVIII

SIcut ſummum cognitionis humanae faſtigium, in ſcientia, qua ad Numinis, rerum omnium gnari, ſapientiam perfectionemque aliquo modo accedimus, poni ſolet: ita iſtius viciſſim pronunciata, notionesque communes, ex rerum ſingularium obſeruationibus, quibus annales & hiſtoriae conſtant, eruditorum ſtudio ac ſolertia colliguntur. Quamobrem illorum, quae temporibus priſcis vſu venerant, & geſta a maioribus erant, expoſitione, tanquam veritatis magiſtra, actionumque laudabilium duce, tam mirifice noſtri quoque Germani, in barbararum gentium adhuc gregem reiecti, afficiebantur; vt hunc ipſum ad vſum, barbara atque antiquiſſima carmina, multis iam interiectis temporibus, a Carolo magno deſcripta, memoriaeque mandata, conficerent, quibus bella actusque regum veterum canebantur. Vnde Krigsmannus do-

ctiſſimus, ac de germanicae gentis origine coniecturas ingenioſiſſimas ducens, imperitos admodum eos, ac ridiculos eſſe, pronunciat, qui cantandi has formas, quae a Teutonibus priſcis frequentabantur, ad cantilenarum vulgarium inſtar compoſitas, Homerique ac Virgilii verſibus non vtiliores multo fuiſſe, exiſtiment. Atque Ioannes Auentinus, ſedulus quondam ac felix hiſtoriarum conditor, ac de Boiorum antiquitatibus ſumme meritus, iſtud quoque teſtatur & aſſeuerat: ſi Germanorum tot carmina, quibus temporum ſuorum annales complectebantur, ex puluere, & ſacerdotum ac principum ſcriniis, hominum cordatorum induſtria & cura conquirerentur; certo futurum, vt nec Romanis, nec Graecis, ea in re, quicquam concederemus. Sed clarius tamen & maius hiſtoriae lumen, poſt ſextum a recuperata ſalute ſeculum, Francorum atque Gothorum praeliis ac triumphis inſigne, in Germania noſtra effulſit: ex quo Iornandes ac Iſidorus Hiſpalenſis de Gothis; & Gregorius Turonenſis de Francis; aliique de aliis Germanorum nationibus, actiones ac res memoratu digniſſimas, feris poſteris tradiderunt. Quibus poſtea popularium

noſtro-

noſtrorum complures, tot diſciplinas egregias, ac prudentiae praeſertim ciuilis regulas, non poenitendo ſucceſſu, collocupletarunt. Ad quorum imitationem & Vobis, carisſimi! hiſtoriarum veterum ac recentium monumentis ita fruendum eſt; vt ſcientiarum & artium praeclararum aedificia, his, veluti fundamentis, ſuperſtruere, & communire diſcatis. Dumque denuo, quod laetum fauſtumque ſit! operarum noſtrarum indicem euulgamus; factorum ac rerum ſingularium, atque ſenſibus obuiarum, notitiam, cum doctrinarum omnium, in ſuum cuiusque, ac totius reipublicae vſum vergentium, apparatu & copia coniungetis. P. P. ſub Acad. ſig. D. XXII Aprilis, A. O. R. cIↄ Iↄcc xlv.

XXIX

SIcut maior ingeniorum eſt imbecillitas, quam vt rerum vel humanarum, vel diuinarum ſapientiam, noſtris ipſi inuentis aut meditationibus, comparare queamus; ſed magiſtrorum opera, librorumque ſubſidio indigemus: ita linguarum pariter, latinae inprimis & graecae, ac ebraicae, quibus rerum ac diſcipli-

narum auctores, in praeceptis monumentisque ſuis vtuntur, vis atque neceſſitas, & in hauriendis ſcientiis vſus intelligitur. Ac dolendum eſt quidem, antiquisſima Germanorum tempora, & complura adhuc poſt Carolum magnum ſecula, quantumlibet notis ſcripturae germanicis, prout alia occaſione eſt dictum, haud caruerint; tamen, quod alienas attinet linguas, vsque eo indocta & rudia, atque inficeta fuiſſe; vt, quemadmodum Claudius Eſpencaeus loquitur, graece poſſe, ſuſpectum; ebraice vero, impium ac haereticum cenſeretur. Pari modo priſcorum, ac medii aeui Teutonum, in latinis etiam ignorantia & barbaries, vel ex diplomatibus illis ac ſcriptis, quae in lucem tunc exierunt, & ſoloecismis ac ſordibus inquinata ſunt, luculenter ſatis apparet. Illud tamen in Germaniae veteris adhuc honorem, decusque & gloriam vergit: quod linguae Europaeorum pleraeque; & ipſa etiam Latinorum, Graecorumque ac Ebraeorum vocabula; ex Germanorum ſermone, velut ex fonte, a viris perdoctis atque ingenioſisſimis deriuentur. Renaſcentibus autem linguarum, optimarumque artium diſciplinis; primus chriſtianorum, Ioannes Reuch-

Reuchlinus, Ebraeorum atque Graecorum ſtudia in Germaniam ſuam traduxit; grammaticarumque ac lexicorum, ceu vocant, conditoribus, diligentiae ſuae ac ſolertiae exemplo praeluxit. Prout Latii purioris literae, tam Rudolphi Agricolae, Deſideriique Eraſmi laboribus; quam Philippi Melanchthonis, recentiorumque Teutonum monumentis & curis, plurimum ſe debere, fatentur. Quorum contentione & gloria, vos quoque, o noſtri! per ſemeſtre hoc excitari, atque ſimili ſtudio incendi velimus; vt non minus eorum, qui linguarum iſtarum adminicula ſubminiſtrant, quam ceterorum inſtitutione ac ope vtamini; atque his veluti ſcalis, in altum enitamini. P. P. ſub Acad. ſig. D. VII Octobris, A. O. R. clↄ Iↄcc xlv.

XXX

QValis artium atque diſciplinaram ordo expediat; & a quanam earum, omnis in vniuerſum doctrinae primordia capienda ſint? non ſuperioribus tantum ſeculis, ſed noſtra quoque memoria, acriter diſceptatum, atque dubia victoriae palma, haud infrequenter pu-

 gnatum,

gnatum, meminimus. Ac veteribus quidem, nihil, vel parum, temere aut inſipienter agentibus, a mathematicorum praeſertim ſcientiis ordiendi, primumque hunc adeo ſapientiae gradum in iſtius ſeminariis, faciendi, hae potiſſimum rationes conſtabant: quoniam illae aetatibus teneris, multos magnosque admodum vſus praeſtarent; ingeniorumque acumen, ac percipiendi celeritas ab iis veniret; atque via igitur ad eruditionem quamcunque, in his artibus ac principiis poni deberet. Eundemque animum, noſtris quoque Teutonibus; nullum ferme ſcientiae genus, prout vulgo ſunt crediti, olim etiam contemnentibus, fuiſſe quis dixerit: quorum Druidae, ceu Pomponius Mela teſtatur, terrae mundique magnitudinem atque formam, coelique ac ſiderum motus, accurate a ſe ac penitus ſciri, profitebantur. Horum deinde ſtudio atque gloria excitatus, Carolus ille, re & nomine magnus, computandi ſimiliter artem diſcebat; & intentione ſagaci, cuiuscunque ſideris curſum, ſedulo, & quemadmodum Eginhardus hoc effert, curioſiſſime rimabatur. Pudet nos contra illorum temporum, quibus optimus ille Vergilius: circumfundi videlicet ter-

rae homines, & conuerſis inter ſe pedibus ſtare, ſapienter ac vere profeſſus; a Zacharia pontifice, praeter meritum damnabatur: & quibus Albertus poſtea magnus; quod mathematicorum is ſtudia atque inuenta, iure veluti poſtliminii, in Germanorum prouincias reuocaret; magiae ac veneficii reus peragebatur. Cuiusmodi ſuperſtitionem ac ignorantiam, ſicut noſtra haec aetas, Dei aeterni beneficio, longe abhorret: ita Vobis conuenit, ciues! omnes omnino ſcientias, ſiue a mathematicis, ſiue ab aliis doctrinarum magiſtris traditas: quibus ingenia liberalia excitari, acuique & perfici conſueuerunt: & quarum in praeſenti elenchus de veteri more proponitur; ad partes vocare, atque his rei ciuilis & ſacrae praeſidiis, Veſtra pectora, bono publico quippe dicata, pro eo, ac par eſt, munire. P. P. ſub Acad. ſig. D. XII Maii, A. O. R. cIↃ IↃcc xV.

XXXI

TAntum abeſt, vt vel credulitati quorundam, vel inuidiae, largiendum hoc veniat: ac ſi fera & martia Germanorum, quos tempora quidem priſca tulerunt, indoles, a ſcientiarum & artium, quae ad philoſophiam ſpectant, cultura penitus abhorruerit; vt Strabone potius teſte, inter vates Teutonum, ſacerdotes etiam, ac naturae interpretes, phyſiologorum nomine appellati, extiterint, dignitatemque & gloriam haud exiguam conſecuti ſint. Imo aliud, idque luculentius multo ac certius, eiusdem auctoris teſtimonium, gentisque iſtius elogium extat: in quo memorati antea vates, veluti ſumma omnia diligenter ſcrutati, atque id ſemper eniſi, vt ſublimia naturae ſecreta panderent, honorifice perquam introducuntur. Neque vero antiquae Germaniae phyſici, ſophiſtarum recentium, & ſcholaſticorum ex more, contemplationis ieiunae ac inutilis praecepta dederunt; aut quaſi araneorum aliquas telas, nulli vſui ac ſolatio deinceps inſeruituras, fruſtra contexuerunt; ſed obſeruationes potius ſuas ad medicinae ac vitae communis commoda traduxerunt. Cuius rei hoc inter

inter alia documentum Cornelius Tacitus annotauit, & ad poſteritatis memoriam tranſtulit: quod humorem ex hordeo ac frumento in aliquam vini ſimilitudinem corruperunt, potionisque dulcisſimae inſtar, in ſuis deliciis habuerunt. Vos, carisſimi! Germanorum priſcorum, in conatibus atque actionibus pulchris, exempla reſpicite! figuramque ac ſpeciem in coelum erectam, & capaces diſciplinarum & artium animos, eum in finem a conditore ſapientisſimo Vobis conceſſos, rationibus probe ſubductis, exiſtimate; quo res arduas ac egregias Vobis cognitas atque exploratas reddatis. Pari modo & iſtud a noſtris maioribus diſcite, inque hoc doctrinarum liberalium curſu, in actum perducite: vt quaecunque apud nos ſtudia, & recepta in academiis exercitia, ad emolumentum aliquod, hoc eſt ad metam, vnicuique propoſitam, referatis; & in lectionum proinde, quae nunc denuo, non ſine felici ac piisſimo omine, publicantur, ſelectu, Stoicorum non magis, quam Germanorum veterum ritu, in id ante omnia inquiratis: cuinam, earum ſingulae, bono ac vſui ſunt futurae? P. P. ſub Acad. ſig. D. XIII Octobris, A. O. R. cIↃ IↃcc xV.

XXXII

POſtquam Socrates, qui doctisſimus atque ſapientisſimus hominum ab oraculo Delphico citabatur, optime omnium eos inter mortales viuere, atque agere demonſtrauit, qui, vt quam optimi fierent, cunctos induſtriae neruos intenderent; priſcis certe Germaniae incolis non mediocri honori ac gloriae duci debet: quod cum reliquis ipſi diſciplinarum generibus, eam quoque doctrinam, quae vitam moresque hominum format, diligenter coniunxerint. Inde enim effectum eſt, vt praeclarum ac honorificum adeo honeſtatis atque virtutis teſtimonium a Cornelio Tacito reddi illis potuerit: ita ſcilicet educatos eosdem, ac huiusmodi moribus adſuetos fuiſſe: vt nemo illic vitia, aut perperam facta rideret; neque corrumpere & corrumpi, ſeculum vocaretur. Haud igitur parum Germani, paganorum adhuc erroribus atque tenebris inuoluti, ab illis, in chriſtianorum coetu, aberant: qui improbe ac licenter ſe gerere, in iuuentutis praeſertim, & militaris ac aulicae vitae deliciis habent; nec niſi deteriores, & magis, quam antea, vitioſi, a conſortiis, familiariter & quo-

quotidie agitatis, diſcedunt. Cuius nos rei vel ideo mentionem hic facimus, ciues optimi! vt hoc etiam ſemeſtri aeſtiuo: cuius praelectiones bono laetoque iterum omine publicamus, probi non minus, quam docti euadere ſtudeatis. Nam cum diſcenda omnino ſit virtus; nemoque, vt Seneca hanc doctrinam enunciat, caſu bonus exiſtat; Veſtrum vtique erit: ea pariter ſapientum praecepta, quibus affectus actionesque hominum obligantur, audire ac imbibere: & plane ad Germanorum veterum, apud quos multo amplius boni mores, quam alibi bonae leges, valebant, ornamenta ac laudes contendere. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. Iubilate, A. O. R. CIƆ IƆCC XVI.

XXXIII

SIcut omnium, ita iuuenum ſtudioſorum praeſertim intereſt, ſcire, quis reipublicae ſtatus ac finis; & quae eius adminiſtrandae ratio, vel maiorum aetate extiterit, vel tempore hodierno exiſtat? vt, ſiue imperantium, ſiue ciuium aliquando perſonam, Numen ſapientisſimum illis impoſuerit; & quibuscunque

actibus

actibus & laboribus eos admouerit; non erga ſe ipſos tantum, ſed etiam erga alios, in ſocietate domeſtica ac ciuili, rem bene & feliciter gerere, propter Dei gloriam, ſuumque & aliorum commodum ac ſalutem, mature edoceantur. Equidem ante Alberti magni, Lupoldique Bebenburgii aeuum, Germanorum vix vnus innotuit, qui regendi imperii diſciplinam, quam politicam vocant, ſcripto quodam aut libro complexus ſit. Interea vero hoc Druides, in artis ſuae ac prudentiae ciuilis arcana, quae, haud ſecus ac Eleuſinia ſacra, ſuperſtitioſe celabant, familiaribus ac diſcipulis ſuis patefecerunt: vt rerum videlicet ſumma penes populum eſſet; neque adeo, niſi bellorum neceſſitas cogeret, vni, aut tantum aliquibus deferretur. Quamuis enim, ſi Iulio Caeſari non deroganda eſt fides, principes quondam ſinguli apud Teutonas, regionibus ſuis praefuerint; illi tamen de rebus ſolum minoribus, teſte Tacito, conſultabant; & ſuadendi magis auctoritate, quam poteſtate iubendi, audiebantur. Talem ergo ad modum, tam apud Germanos, quam ceteras gentes, ciuium ordo ac ſocietas primum effloruit: vt communis cum dignitas, tum labor exiſteret;

curas-

curasque ac moleſtias ſinguli, non niſi per vices inter ſe partirentur; honorisque in republica nemo immunis aut expers relinqueretur. Nam regnandi hunc morem, hominis indoli, ac ipſi eius naturae, magis congruere, iudicabant: quae vt alterum, nec honoribus vllis, nec opibus, altero ſuperiorem feciſſet: ita hoc ſimul ſuadere ac poſcere videretur, vt aequa omnibus omnia haberentur; nec ſibi aliquis ipſe ſimilior, quam ſinguli ſociorum, ſingulis, appareret. Cum proinde principio rerum, Germani, ſupremum hoc libertatis, poſitaeque in hac felicitatis faſtigium occupauerint; mirum, ac, niſi res ipſa id loqueretur, vix credibile videatur, ipſorum poſtea res, eo vsque exulceratas ac prolapſas fuiſſe; vt durum ac humile adeo ſeruitutis pontificiae iugum ſubierint. Tantoque igitur maius & illuſtrius prouidentiae ac benignitatis diuinae eſt munus: quod emendata nunc & purgata religlone, meliorem ſimul nitidioremque faciem respublica ipſa induerit. Vt maiori iam libertate, laetiorique ſucceſſu, bonas literas atque artes; quarum & nos ſpecimina, in lectionum hoc indice, exhibemus, earumque profectus omnibus, qui laboris & conſtantiae, ad quam ſingulos vehemen-

ter

ter hortamur, nobiscum ſocietatem, hoc pariter ſemeſtri inibunt, certo ſpondemus; tam docere, quam diſcere, in Germania noſtra queamus. P. P. ſub Acad. Sig. D. XI Octobris, A. O. R CIϽ IϽĊ CXVI.

XXXIV

QVoniam ingens merito eruditionis & ſapientiae dignitas ab hominibus cordatis habetur; proinde hoc maius momentum ac pretium illi diſciplinarum generi tribuendum eſt, quod logici vulgo ſibi vindicant; & quo via & aditus nobis ad doctrinas reliquas aperitur. Quamuis autem ſcientiae huius placita inter Germanos, vel Rabanus Maurus primum, qui nonum a Chriſto ſeculum illuſtrauit, ex Ariſtotelicorum fontibus hauſerit, aliisque laudauerit; vel aeuo demum vndecimo Adelmannus, quem famoſum temporis ſui dialecticum Trithemius citat, in prouincias noſtras inuexerit; vſum tamen, exercitationemque aliquam huius artis, inter doctores Germaniae vetuſtiſſimos viguiſſe; nemo fortaſſe, qui neceſſitatem iſtius admittit & capit, vel ambigere, vel inficiari audebit. Quomo-

modo enim Teutonum antiquorum Druides tam naturae arcana pandere, quam doctrinas ceteras auditoribus ſuis tradere potuiſſent; niſi id artificii genus, quod & docere, & diſcere docet; & in quo ipſa ſe ratio aperit ac demonſtrat; & ſine cuius ſubſidio, prout Cicero ait, omnes a vero facile abducuntur, prorſusque falluntur; in promtu iam habuiſſent? Neque tamen eſt dubium, poſt Alberti magni, Halberſtadienſium praeſulis, atque principis in Germania rerum logicarum ſcriptoris, tempora, longe maiorem feliciöremque, ingeniorum pariter ac librorum, circa doctrinam tam vtilem & praeclaram verſantium, in his etiam terris, prouentum effloruiſſe. Quam ad optimas atque nobiliſſimas diſciplinas, inter alia, logicorum ſubſidiis, multo, quam olim facilius ac perfectius acquirendas, occaſionem, quouis tempore, & inſtantis potiſſimum veris aeſtatisque ſemeſtri: cuius nunc denuo lectiones, quod felix fauſtumque ſit! a Nobis vulgantur: non amplecti tantum; ſed tenere etiam ac vrgere, ciues cariſſimi! veſtri commodi intereſſe, cenſebitis. P. P. ſub Acad. ſig. D. XVIII Aprilis, cIↃ IↃCC XVII.

XXXV

Licet per omnium fere diſciplinarum & artium ſtadia, alieni adhuc a chriſtianorum myſteriis, noſtri Germani decurrere, quantum ſecula iſta ferebant, contenderint; neque tamen illius doctrinae rationem aut curam aliquam habuiſſe leguntur, quae ſcientiae vulgo methaphyſicae formam accipit; re vero ipſa, vocabulorum proloquiorumque, toti philoſophiae communium, indicem quendam, cum interpretatione amborum, complectitur. Nam cum ea praeſertim primi Teutonum ciues ſectati ſint, Druidumque ſuorum auſpicio, excoluerint, quae maximum atque manifeſtisſimum, domi ac militiae, vſum ſponderent; propterea rerum, a ſenſu vitaque communi longe adeo remotarum, quales in methaphyſicam cadunt, notitiam inueſtigationemque, infra ſtudia ſua, vel potius ſupra eadem habuerunt. Et haec ratio, ſi non vnica, ſaltem praecipua eſſe videtur, quare Caroli magni prouidentia, quae ad reliquas diſciplinas, in occupata ab ſe Saxonia, totaque, ſi fieri poſſet, Germania, propagandas amplificandasque ſpectabat, ad metaphyſicorum praecepta, velut hoc tempore

pore inaudita, maiorumque noſtrorum ingeniis quodammodo repugnantia, non deſcenderit; & cur voces notionesque, ad ſcientiã iſtam ſpectantes, difficulter adeo, & nonnunquam inepte, cum germanicis commutentur. Progreſſu vero temporis, poſtquam Teutones cultum animorum maiorem vberioremque capeſſiuerant; & quantum verborum ſententiarumque formulae & compendia in philoſophia valerent; quamque indignum homine eſſet, ignorata philoſophorum hac lingua, ceu peregrinum ac hoſpitem, inter ſapientes verſari, cognouerant; hanc etiam ipſi eruditionis ſcholaſticae partem, ex Ariſtotele: cuius quintus ac decimus liber, de rebus methaphyſicis ſcripti, huc pertinent: ſuo commodo excerpſerunt, inque publicis ſcholis profeſſi ſunt. Qualem operam, aeuo poſt Chriſtum duodecimo, Otto Friſingenſis primum, ex Gallia ad nos delatus; maiorique adhuc contentione Albertus, ſubſecuto poſt ſeculo, ſicut ob aliarum, ita ob methaphyſicae; diſciplinae inuenta, magni nomen promeritus; huiusque exemplo poſtea Thomas atque Henricus, ille a Cantiprato, hic a Gandauo patria appellari ſolitus; Germanis nauarunt. Quibus alii duo Hen-

rici, Vrimarius atque Luhrius, aeuo proximo, in ſubſidium quaſi venerunt. Facit vero & huius ſcientiae vſus ac neceſſitas, vt eius non minus, quam reliquarum ſcientiarum regulas & exempla, ſequemadmodum alias, ita hoc pariter ſemeſtri docenda, in hoc praelectionum elencho exhibeantur. Vobis conuenit, ciues! Dei propitii, atque omnium precibus implorandi, auxilio, fidem beneuolentiamque doctorum, veſtra virtute Vobis conciliare, & profuturis cuique diſciplinarum partibus pro virili ſtudere. P. P. ſub Acad. ſig. D. V Octobr. A. O. R. cIɔ Iɔcc xvII.

XXXVI

COgitanti mihi, & tacita mecum pietate conſideranti, quam illuſtri diuinae prouidentiae munere, redierit in me, exhibita beato parenti meo a Ducibus ſummis gratia, ſpiritumque ac vitam velut receperit; in mentem venit illorum, quae de Phoenice aue haud abſimilia, communi ſermone & fama, vndique celebrantur. Cum vero haud aliud magis argumentum ſagacitatem eruditorum ac induſtriam exercuerit, immenſamque

ſamque operum molem produxerit; (*a*) proinde vel ipſa eorum varietate ac numero, ſi rem non acu tetigerim, magnitudinem culpae me leuaturum, confido. Etenim portentoſam eſſe hanc auem, vel inde argueris: quod, cum vnam faciant vniuerſi; alii tamen aliam nobis depingant. *b*) Fuerunt, qui in Arabiam, *c*) in Aegyptum, *d*) in Indiam, †) in Aſſyriam, *e*) in Aethiopiam *f*) Phoenicem repoſuerunt; alii eum, ſub aequinoctii linea, *g*) in terra ignis requiſiuerunt. *h*) Loquuntur permulti pro vnitate ipſius, quae a numero omni abhorre-

a) Longam eorum ſeriem texit Iac. Thomaſius de Stoica mundi exuſtione, diſſert. IX. §. 1. ſeqq. Plura dabunt Schreuelius ad metamorph. Ouid. L. XV. v. 392. ſeqq atque Barthius comm. ad epigr. Claudian. de Phoen. Nec ſpernenda congeſſit Dauid Caſpari in diſſert. de hoc argum. *b*) Vid. Thomaſ. diſſert. cit. §. 6. *c*) Plin. L. X. H. N. c. II. *d*) Vid. Athen. L. XIV. deipnoſoph. c. XX. †) Lucian. in mort. Peregr. *e*) Martial. L. V. epigr. VII. *f*) Achilles Tatius III. de amor. *g*) Niceph. L. XV. H. E. c. XIX. *h*) Plura ſuggerit Dauid Caſpari diſſert. cit.

at; *i*) ceteri vero non niſi eam ſtabiliunt, quae perenni aliorum ſucceſſione nitatur. *k*) Neque minus de eo ſcinduntur: vtrum aquilae; *l*) an pauonis; *m*) an vtrisque, *n*) vel omni auium genere, *o*) grandiorem formam & habitum ſortiatur? *p*) Ex quo pariter fonte ſententiarum diuortium de figura eiusdem & coloribus emanauit. *q*) Fames Phoenici ſecundum quosdam eſt nulla; *r*) ſecundum alios autem, vel thuris atque amomi ſucco; *s*) vel rore coeleſti, aut vento; *t*) vel hoc pariter, & calore ſolari *u*) depellitur. *x*) Viuendi ſpatium ille fortasſis definiet, qui annos 300, 340, 500,

540,

i) Ita Graeci pariter & Latini, excepto forte Pſeudolactantio, teſte Thomaſ. l. c. §. 38. *k*) Sic Aegyptii, ceu Thomaſius notat l. c. §. 39. ſeq. *l*) Herodotus L. II. hiſt. *m*) Euſtath. comm. in hexaem. *n*) Vid. Trag. Ezech. ap. Lud. de la Cerda in Tertull. p. 573. ac Tzezes Hiſt. Chil. V, 6. *o*) Pſeudolactant. in Phoenice. *p*) Denuo adde Dauidem Caſpari, l. c. *q*) Vid. Thomaſ. l. c. §. 6. *r*) Manil. apud. Plin. l. c. *s*) Ouid. XV. Metam. v. 394. *t*) Phyſiol. Epiphan. *u*) Claudian. in Phoenice. *x*) Add. Caſpari l. c.

540, 660, 1000, 1461, 70006, 93312, *y*) aeuumque immenſum, conciliare inter ſe, ac vnire audeebit. Incertae adeo vitae fabulamPhoenix noſter, vel vulnere, *z*) vel incendio; *a*) ſiue a ſole, *b*) ſiue ab agitatione alarum, *c*) ſiue ex corpore eius ſenili, *d*) ſeu ſponte coorto; *e*) cantum edens, *f*) an mutus? *g*) exigere perhibetur. Ne vero ſacram ac diuinam eſſe hanc auem, dubium forte cuipiam relinquatur; productos ex vulneris ſanie, aut ex combuſtae *h*) cineribus *i*) pullus, ouo *k*) aut verme, *l*) vel illo & hoc pariter *m*) interueniente,

y) Vid. Voſſius III. de Orig. Idol. 99. & Thomaſ. l. c. §. 313. ſeqq. *z*) Ita Aegyptii, teſte Horo, II, 57. *a*) Sic Graeci, vt ex Protei fab. ap. Lucian. Tom. IV. Opp. n. 89. atque aliis probat Thomaſ. l. c. §. 12. ſeqq. Similiter Latini & Patres complures. Vid. Idem §. 21. ſeqq. *b*) Claudianus in Phoenice. *c*) Auctor ſermon. ad fratr. vulgo Auguſtinus, ſerm. XIIX. *d*) Epiph. Ancor. LXXXV. *e*) R. Iannai ap. Bochartum in hieroz. P. II. L. VI. c. V. *f*) Pſeudolactantius in Phoenice. *g*) Alii ap. Thomaſ. & Caſp. *h*) Horus l.c. *i*) Alii apud Thomaſ. & Caſp. *k*) R. Iannai ap. Bochartum l.c. *l*) Ita plurimi. *m*) Pſeudolactant. in Phoenice.

vitam, vt aiunt, parenti ex morte inſtaurat. Penthei inſtar ſic habuit phoenix: cuius vt partes ac membra Baccharum ſuror diſcerpſit: ita quae volucri iſti aut natura ſua ineſſe, aut accidere memorantur; ea minime ſibi, per opiniones tam varias, & contrarias, conſtare videntur. Quid ergo, cum vna ſit veritas, ex his ſcriptorum diuerticulis aliud, niſi falſum elicias? Sic argutantur, Clementis Alexandrini *n*) & Lactantii *o*) exemplo, complures: quorum pace ac venia, & magnetis actio, & aeſtus marinus, & ipſa, qua viuimus, anima, per ſapientum diſcordiam nobis perierint. Bene interim eſt, quod non ab hominum fallaci plerumque iudicio; ſed a rei natura, veritas & cognitio eius dependet. *p*) Quod a ſuperſtitione & vanitate, quam tota Phoenicis hiſtoria ſapit, depromitur argumentum; eodem ictu eliditur. Riſum quidem cordatioribus mouent, quae de Phoenicis exequiis, reliquarum auium comitatu, & ſacerdotum Aegyptiorum pompa cohoneſtatis: deportatis item a filio in Aegyptum paren-

n) I. Strom. *o*) L. V. Inſtitut. c. III. *p*) Plato in Cratylo, & Ariſtot. L. IX. Met. c. vlt.

rentis oſſibus; hinc inde iactantur. *q*) Fallor autem, an ſimilis ſors in aquilam, in luſciniam, atque alias aues experiit? quas nemo proinde rerum exiſtentium cenſu exemerit. *r*)Quam ſuperſtitioſe atq; aniliter ipſum Moyſen, nunc Apollinis, mox Bacchi atque Vulcani, modo Mercurii, deorumque ſimilium veſte induerint; vir ſtupendi ingenii, Petrus Daniel Huetius luculenter oſtendit. *s*) Quando itaque veritatem Phoenicis indagare eſt animus; non eorum habenda eſt ratio, quae paucorum ingenio fuerunt effícta. Sed illa animo obuerſari debet Phoenicis idea, quam Iacobo Thomaſio commune eruditorum ſuffragium, atque omnium conſenſus expreſſit: eſſe volucrem iſtam toto in orbe vnicam, quae poſt longiſſimam aliquando aetatem, in vitam redeat: quae perpetuis circulis, poſt expleta denuo aeui eiusdem ſpatia, ſimili prorſus exitu, renouetur. *t*) Haec ſi recte ſe habeant; auis noſtrae hiſtoria, ſiue, vt vulgo exiſtimatur, fabula, veritatis palmam reportat. Sed mirum, diſcor-

Cc 5 des

q) Plinius L. X. H. N. c. II. Achilles Tat. III. de Amor. *r*) Vid. de his Aldrouand. in ornithol. *s*) Huetius in demonſtr. Euangel. *t*) Thomaſ. l. c. §. 7, 8.

des alias, in id vnum conſpiraſſe ſcriptores, vt tot errorum portenta, quot voces, in Phoenicis ſui deſcriptionem congererent. Principio vnum eſſe Phoenicem, enunciant. Qua in re ne parum ſe curioſos praeberent dialectici; ſpeciei, quam vocant, monadicae exemplum fecerunt. *u*) Pro quo pugnantes, ipſam veluti naturam expugnant: quae, vt mirificum illud generationis opus procederet; duo in animalibus, ἄῤῥεν καὶ θῆλυ, marem & foeminam, ſexu ac virtute diſcreuit. *x*) Ambo igitur in Noachi arca conſpiciebantur; *y*) ne ſcilicet conditoris maximi verbum: פרו ורבו: creſcite & multiplicamini: *z*) in vanum recideret. Fruſtra tumultuatur Deuſingius: *a*) futilem prorſus hanc Franzii *b*) rationem appellitans; quam tamen ante Franzium Maximus Martyr vſurpat. *c*) Quaſi vero nec veſpae, nec ſcarabaei, nec culices, nec crabrones, nec alia, diſtinctionem ſexus agnoſcant. Quid enim? ſi in quibus-

u) Simplic. in categ. III. Add. Thomaſ. l. c. *x*) Vid. Ariſt. lib. I. de generat. animal. c. II. & L. II. c. I *y*) Gen. VI, 20. *z*) Geneſ. I, 22. *a*) Diſſertat. de Phoenice init. *b*) Franzius in hiſtor. animal. ſacr. part. II. c. III. *c*) ap. Hoeſchel. ad Phot. f. 940.

buſdam animalibus ſexus, non tam ſigno externo, quam virtute eluceat? Neque vero abeſſe ſtatim putanda eſt nota, quae, vt plurima ſunt profundo naturae puteo merſa, curioſitatem ac diligentiam hominum adhuc eluſit. Aues certe, in quibus & Phoenix, gemino ſexu gaudere; & oua ſine coitu edita, pullis excludendis inepta exiſtere; tot annorum experimentis Ariſtoteles, atque alii plures notarunt. *d*) Idem fortaſſe cum Deuſingio cornu ſufflabunt, qui pro ſpontanea aliquorum animalium generatione, qua, ſolaris beneficio luminis, ex paratis a Deo principiis, veluti limo ac putredine, ſine ſeminis maſculi ope, edantur, tanquam pro aris ac focis decertant. Ita enim & exulare poterit ſexus; & perinde erit naturae, vnum Phoenicem, an plures producat? Sed iſti quidem, refragante experientia, effectum ſupra virtutem euehunt cauſae; animamque & vitam a rebus inanimis, nullo vrgente neceſſitatis telo, arceſſunt. *e*) Namque fieri poteſt, vt a ſemine, quod materiae putri

d) Ariſtot. L. IV. hiſt. anim. c. XI. & L. VI. c. II. Iungatur Harueus de generat. animal. Exerc. XIII. *e*) Add. Conimbric. ad L. II. de Coel. c. III. qu. VI. Aldrouand L. 3. de teſt. c. I.

putri adſperſum atque commixtum ſit, viuens emergat. Largiamur autem eiusmodi ortum in animalibus, quae imperfecta, & infra naturam aliorum habentur. Neque tamen, niſi inuita natura, ad reliqua, in quibus plus ineſt perfectionis, ea detorſeris. Multi quidem Ariſtotelis illud in ore habent: ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ καὶ ἥλιος. ab homine iuxta & ſole hominem generari. *f)* In quo quam parum ſit ipſis ſolatii ac praeſidii; & verborum apices, & argumenta Zeidleri ſolida, *g)* palam demonſtrant. Calori quippe ſolari, in generatione humana, non niſi id officii defert philoſophus, quo inſtrumentum perfungitur; vt tamen praecipuae partes, ſi a Deo diſcedas, in homines ipſos redundent. Valere ergo, cum ſpontaneo animalium ortu, iubemus, quae, vt eo, data occaſione, deflectat oratio, de noui Phoenicis, ex vulneris ſanie, aut concremati patris cineribus, procreatione finguntur. Longe alia auium, ex ouis antea editis excluſarum, origo, vel vulgo quoque innotuit. *h)* Vnde Ennii iſtud: oua parire ſolet genus pennis condecoratum. *i)* Vt igitur

f) L. II. phyſ. c. II. t. 26. *g)* In Introd. 56.
h) Add. Ariſtot. L. I. hiſt. anim. c. V.
i) ap. Dalec. ad Plin. H. N. L. X. c. LII.

igitur eo maius miraculum, cum nouello Phoenice, orbi obtrudant; ouum a generatione eiusdem ſubmouent vniuerſi; ſi Pſeudolactantium, *k*) & R. Iannai *l*) excipias. Qui tamen & ipſi, non ab aue editum, ſed compactum ex cineribus, vel putredine, ouum apponunt. *m*) Aſt magno conatu magnas nos nugas egiſſe oportet; ſi artis chemicae beneficio, animalia, haud ſecus quam plantae, ex cineribus prodeunt: quale genus prodigii Paracelſo, *n*) Albertoque magno *o*) & aliis, *p*) magnam famam circumdat. Verum non niſi fictitia corpora, propter ſalium, figuras diuerſas formantium, luſum: qualem etiam in lapidibus & feneſtris, ex aqua congelaſcente, tempore hiberno videmus: in phialis clauſis emergere; magnificus noſter VVedelius, chemicorum hodie princeps, obſeruat. *q*) Quid autem? ſi parum congru-

k) In Phoenice. *l*) Apud Bochartum l. c. *m*) Add. Thomaſ. l. c. §. 14. ſeqq. *n*) P. VI. Oper. L. I. de gen. rer. nat. *o*) Vid. Kircher. mund. ſubterr. L. XII. ſ. IV. c. V. *p*) Add. Gaffarellus in curioſit. inaud. c. V. Moeglinus de paling. §. 5. Item B. Parentis diſſert. de eodem argum. *q*) Pharmac. acroamat. L. V. ſect. IV. c. IV.

congruere haec Phoenici: in quem non generatio aliqua, ſed ex morte in vitam reditus cadat: cum Graecis Latini obtendant? Inſtabit his Plinius: *r*) quae, malum, dementia eſt, iterari vitam morte? Quod ipſum, ſi Ariſtotelem audiamus, omnem abſurditatis finem egreditur. *s*) Neque alia enim naturae eſt ratio: deſinit eſſe, quod moritur; ſicut id, quod naſcitur, eſſe incipit. Si ergo eadem plane res, quae corrupta eſt, redit; ſane id, quod deſiit eſſe, adhuc erit: & iam antea extitiſſe, quod exiſtendi initium ſumit; idemque praeteritum eſſe, quod praeſens, oportet. Neque vero, ex Ariſtotelis mente, dicendum eſt idem, niſi cuius continua durabilitas nullo interea caſu interrumpitur. Quo igitur modo id, quod exiſtere ceſſat, idem erit cum eo, quod poſt demum exiſtit? *t*) Forma fortasſis eadem, per cuncta pullorum ſubſequentium corpora migrans, Phoenicem nobis eundem reſtituet? *u*) Sic vero animae, non Phoenicis integri vnitas conſeruabitur; niſi idem cum anima corpus

r) Plin. L. VI. H. N. c. LV. *s*) Ariſtot. L. I. de an. c. III. *t*) Conf. Ariſt. categ. X. & IV Met. c. VI. ac Philoponus in comment. *u*) Add. Mela III, 8.

pus coeat: quod redactum in cineres, & corruptum, communi naturae ordine, redire haud poteſt. *x*) Neque igitur mirum, ſi ipſi ſubinde aduerſarii, ſoricum inſtar ſe prodant. Enimuero dum patrem introducunt Phoenicem, cuius funeri iuſta a prole ſoluantur; ex relatorum, quae vocant, indole, alius natus a patre; alius a ſepeliendo is erit, qui ſepelit. *y*) Satis multa pro falſitate Phoenicis attuliſſe nos videremur; niſi plura adhuc reſtarent. Omnem quippe ſuperat fidem, aetatem Phoenicis: quae in reliquo animantium ordine, tam anguſtis terminis circumſcribitur: vltra tot annos & ſecula, imo, ſi coniecturae eſt locus, vltra vniuerſi iſtius aeuum proferri? Faciamus ergo periculum, ecquid ſit, quod grauem adeo annis, aeternumque propemodum Phoenicem concinnet? Si conſulamus philoſophum; in calido atque humido vita conſiſtit. Quarum rerum cum ingens ac beatisſima copia in elephante & homine ſeſe offerat; inde fieri, auguratur, vt ab his reliqua animantia, annorum plerumque numero, & magnitudine aeui, vincantur. *z*) Quandoquidem

x) Vid. ſupra. *y*) Add. Thomaſ. l. c. §. 33. & Ariſtot. categ. *z*) Ariſtot. de long. & breu. vitae c. IV & V.

dem vero in aues haec parum conueniunt; propterea nec vitae Phoenicis, multis vix ſeculis finiendae, fidem aut firmamentum adiungent. Longius paulo, vt pleraque huius nationis, petita eſt Ebraeorum traditio: beſtias omnes mulieri, vetitum fructum carpenti, morem geſſiſſe, ſolo exemto Phoenice. Hoc itaque praemii ipſi tributum, vt poſt mille annorum ſpatia, iſthaec volucris in iuuentutem rediret. *a*) Prope ſic abeſt, quin ademtam homini, conditoris imaginem, & totius, qua patet, orbis imperium, ipſi decernant. Non minus prodigii habet, Phoenicem, vel proiecto in terram corpore, vel incendio, mortem, a qua, quicquid eſt animalium, naturali quodam inſtinctu abhorret, ſibi accelerare. Vere illi apud Laertium: *b*) *τὴν πρώτην ὁρμήν, φασι, τὸ ζῶον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτὸ, οἰκειούσης αὐτῷ τῆς φύσεως ἀπ᾽ ἀρχῆς*, primam cuiuslibet animantis appetitionem hanc eſſe, affirmant, vt ipſum ſe tueatur ac ſeruet, natura ſibi initio ſe ipſam deuinciente. In Stoicorum veterum libris *τὰ πρῶτα τῇ φύσει*, prima naturae vocantur: *c*) quibus, vti rem iſtam Grotius effert, ſimul ac natum eſt animal,

a) Vide de his Bochartum l. c. *b*) VII. de vitis Phil. *c*) Gell. XII. c. V.

mal, ipſum ſibi conciliatur & commendatur, ad ſe perpetuo conſeruandum; alienatur autem ab interitu, iisque a rebus, quae afferre hunc videantur. *d*) Inde eſt, quod ad cibum, ac reliqua vitae praeſidia, ſponte properant animantes; & conceſſa ſibi diuinitus arma magno impetu laedenti obuertunt. Verum alia ſibi omnia de hac aue imaginantur ac produnt, qui ex fabula eius veritatem exſculpunt. Eo tandem res redit: illa vt inſint, ac propterea tribuantur Phoenici, quae ab aliis rebus viuentibus fruſtra expectes. Fieri hoc, diuino auſpicio, poſſe; nemo inficias ibit, niſi qui infinitae Dei potentiae terminum modumque poſuerit. Concedamus ergo & nos, laudati Thomaſii *e*) inſtar, dari locum vacuum quendam pro aue, cui vndiquaque reſpondeant iſta: vnam longaeus moriendo reſuſcitat orbis. An autem replere vacuum iſthoc voluerit rerum conditor, aut Phoenice repleuerit? id, quandoquidem facti ſit quaeſtio; aut Dei, aut hominis, qui portentum hoc auis ipſis oculis vſurpauerit, teſtimonio adſtruatur, oportet. Ad Deum quod attinet; duo eius in ſacris eſ-

d) Grot. de I. B. & P. L. I. c. II. *e*) Thomaſ. Diſſert. cit. §. 82.

fata de Phoenice accipiunt. Vnum Tertullianus *f*) & Epiphanius *g*) in arenam proiiciunt : δίκαιος ὡς Φοῖνιξ ἀνθήσει, iuſtus vt Phoenix florebit. *h*) Alterum Ebraeorum adducunt plerique, & Beda: in nido meo exſpiraturus, diesque, vt Phoenix, multiplicaturus ſum. *i*) Verum ad prius accurate admodum notat Bochartus: *k*) impoſuiſſe Patribus Φοίνικα, vocem ambiguam; quae & palmam arborem, & phoenicem auem deſignat. Et vero Graecum hoc, Φοῖνιξ, eſt pro Ebraeo תמר quod hic aliud nihil, quam palmam arborem ſonat; quando in tota orationis ſerie, iuſtorum cum plantis & arboribus, non cum auibus, comparatio inſtituitur. Tale quid & in altero, vſu venit. Verba enim וכחול ארבה ימים transferenda fuerant: diesque, arenae in modum, multiplicabo. Ad teſtimonia humana vt redeamus; multi pro ſingulari commento & fabula habent Phoenicem; *l*) nemo

f) Tertull. de reſurrect. XIII. *g*) in Phyſiol. *h*) Pſ. XCI, 13. *i*) Iob XXIIX, 18. *k*) Bochartus. l. c. *l*) Allegat huc Iac. Thomaſius l. c. §. 74. Herodotum, Maximum Martyrem, Philelphum, Aldrouandum, Libauium, Rollenhagium, Franzium, Voſſios patrem & filium, Calixtum, Laurem-

mo e priſcis, nemo e iunioribus, vt ait Thomaſius, teſtem oculatum ſe gerit, praeter Ioh. Mandeuillum: *m*) qui gryphes ſubinde lectoribus & Hippocentauros pro hiſtoriis veris obtrudens, omnem iam olim fidem decoxit. *n*) Si quis inſuper ad Clementis Romani, Cyrilli, Tertulliani, aliorumque ex ſanctiſſimorum Patrum corona, Phoenicis hiſtoriae applaudentium, voces, ceu ad Meduſae aliquod caput, ſibi haerendum atque obſtupeſcendum exiſtimet; huic & credulitatem eorum, & morem, quo ipſi ex rebus, a vulgo vel aduerſario creditis, argumenta haud infrequenter arceſſunt, in mentem reducimus. *o*) Puduit ſane huius fabulae Paulum, coeleſte illud corporis reuiuiſcentis arcanum, exemplis haud vnis, aduerſus incredulos adſtruentem: puduit Iobum, aliis paſſim naturae portentis paginas ſuas opplentem.

 Neque

bergium, Hulſemannum, Boeclerum, Vrſinum, Schotanum, Gallaeum, Kirchmaierum, Bochartum, Schottum, Oſium. Quibus nos ipſum Thomaſium, Ionſtonium, & Caſparum adiungimus. *m*) In itinerar. Add. Thomaſ. l. c. §. 85. *n*) Vid. Dauid. Caſpari Diſſert. cit. §. 30. *o*) Conf. Bochartus & Thomaſ. l. c.

Neque dignum Phoenicem cum Ariſtotele cenſuit Aelianus, quem in reliquorum animalium cenſum referret. Quid reſtat igitur, niſi vt totam Phoenicis hiſtoriam, pro bello ac lepido ingenii alicuius commento, cum tot eruditisſimis viris, quorum ſupra celebrauimus nomina, habeamus? Cuius primos natales, & incunabula requirentibus, non Graeci, vt Palingenio *p*) & Voſſio *q*) placet; multo minus Latini, aut Chriſtiani; ſed qui hos omnes vincunt aetate, Aegyptii ac Phoenices nobis obueniunt. *r*) Pleraque illi ex Mercurii, qui genti ſuae Thoyth vel Taaut, Alexandrinis Thoth, Graecis ἑρμῆς dicitur, diſciplina acceperant. *s*) Ad quem ſi auis iſtius fabulam retulerimus; ex Marshami calculo, *t*) vltra Moſis ipſius tempora adſcendamus, oportet. Quandoquidem vero nulla temere, vel facultati imaginanti, vel intellectui occurrit imago, quae fores ſenſuum non pulſauerit; *u*) hinc

p) V. Zodiaci. *q*) III. de Orig. Idol. c. XCIX. *r*) Herod. in Euterpe, Horus l. c. Ouidius XV. metam. v. 392. ſeqq. *s*) Sanchun. & Philo ap. Euſeb. Pr. Eu. L. I. c. IX. & X. *t*) Marsham. in Can. Chron. ſeculo I. p. 34. ſeqq. *u*) Vid. Ariſtot. L. II. prior. Analyt. c. XXIII. & L. I. poſter. c. I. & XIIX.

hinc primos iſtius volucris repertores in rem quandam oculis obuiam incidiſſe, exſtimaueris, quae hunc luſum facere ipſis potuerit. Palmam hic nominat Plinius, quae incredibili foecunditatis exemplo, mortua ex ſe renaſci credatur: In meridiano, inquiens, orbe, nobilitatem in palmo praecipuam obtinere Syagros; proximamque Margarides: & vnam earum arborem eſſe dici in Chora; alteram Syagrorum: mirumque de ea ſe accepiſſe cum aue quadam Phoenice: quae nomen ex palmae iſtius argumento primum obtinuiſſe; atque ex ipſa ſe, mori pariter ac renaſci putetur; & quae fertilis, cum haec proderet ipſe, extiterit. *x)* Sed ſi Iacobo Thomaſio credimus; non illud hic agit Plinius, vt fabula noſtri Phoenicis, ſed vt nomen ipſius ad primas origines reuocetur. *y)* Inuito, ni fallor, Plinio: cui haud appellationem tantum, palmae iſtius argumento, ſortitus eſt Phoenix; ſed & moritur eiusdem exemplo, & ex ſe ipſo renaſcitur. Mox de eo laudatus Thomaſius Plinium vellicat, quod aui Phoenici nomen ab arbore factum, exiſtimet; quia *Φοίνικος* pro palma arbore, vſus, non Aegyptius, ſed Graecus exiſtat. *z)* Expeditisſimam omniũ

Dd 3 excu-

x) Plin. L. XIII. H. N. c. IV. *y)* Thomaſ. Diſſert. cit. §. 145. *z)* Ibid. §. 161.

excuſandi Plinii rationem quis iudicauerit: quod, facta nullius populi mentione, ambiguitatem vocabuli, non ad Aegyptios magis, quam Graecos, retulerit. Niſi ſubueniendum Bôcharto: qui fabulae iuxta & appellationis natales de gente eadem deriuat. Vnde igitur planum quis reddet cum Thomaſio: palmae arbori, non apud alias gentes, quam Graecos, nomen aliquod reſpondiſſe, quod vocis פנק genium redoleret? Namq; fieri potuiſſe, vt eiusmodi quoddam vocabulum plures adhuc orientis populi frequentarent; vel Talmudicum illud פנקריסין ex Ebraeorum fortaſſe fontibus hauſtum: quod ex interpretis mente, eſt יין vinum, quale interdum ex palmis: indicio eſſe; amicorum aliquis nuper coniiciebat. *a*) Cadet ergo Iacobi Thomaſiii ratio: ſi ambiguitas vocis mater fabulae eſt praeſentis; primos patres iſtius Graecos fuiſſe, oportet. Non deſperatam penitus rem eſſe de palma, oſtenſum a me huc vſque exiſtimo. Pro aue erit Ouidii illud:

Vna eſt, quae reparet ſeque ipſa
reſeminet ales,
Aſſyrii Phoenica vocant. *b*)

Nihil

a) Talm. Hieroſ. de ſabb. c. 3. conf. Buxtorf. in Lex. Talmud. c. *b*) Ouid, XV. Metam. v. 392.

Nihil igitur prohibet, quo minus Aſſyria, vel, quae ad literas magis accedit, פניקי Phoenice, Syriae regio, appellationem Phoenici tribuerit. *c*) Inſtat adhuc Thomaſius: illam corporis renaſcentis perſuaſionem, antiquiorem eſſe de aue, quam de arbore? Tam diu vero Plinii, in diuerſa euntis, veſtigia conſectari, fas erit; quoad aliquis, viri huius, acuti licet ac docti, ſententiam nullo firmamento ſuperſtruet. Demus tamen & iſtud Thomaſio aduerſus Bochartum: ſicut reliquas animantium fabulas, ita inuentionem Phoenicis, non caſui, ſed conſilio, certoque inſtituto deberi. *d*) Si Oro, literarum ſculptarum interpreti, tribuenda eſt fides; quinque praecipue rerum, animae, inundationis, ſolis, hominis a diuturna peregrinatione in patriam redeuntis, renouationis denique, poſt multa tempora factae, imaginem veteres, ſpeciatimque Aegyptii, Phoenicem fecerunt. *e*) Eo autem recidunt vniuerſa: vt rei, poſt longum temporis interuallum, ſibi redditae, fabulam illam Phoenicis accommodent. *f*) Inprimis

 autem

c) Add. Thomaſ. Diſſert. cit. §. 153. *d*) Thom. l. c. §. 140. 164. 165. *e*) Horus L. I. c. 34, 35. L. IV. c. 57. *f*) Thomaſ. Diſſert. cit. §. 244.

autem id ſibi hac aue fictitia voluerunt, obſeruatore Deuſingio: g) coeli, ſeu orbis ſiderum contemplationem in Phoenicia olim coepiſſe; vt ipſe adeo Phoenix, ſuis depictus coloribus, mundum vniuerſum deſignet. Coloris quippe aurei caput, coelum eſt ſtellans; corpus, rubro & viridi, ac flauo colore diſtinctum, in medio orbis, terram depingit. Cyaneum pectus, ſubiectum terrae humorem, ſeu aquam; purpuraſcens cauda, expanſum & circumfluum terris aerem, notare videtur. Hunc porro Phoenicem, vel mundum, tamdiu ſuperſtitem eſſe, fingunt, donec in nidum, hoc eſt illum in ſtatum, corporumq; coeleſtium ſitum redeat, quem, cum conditus eſſet a Deo, obtinuit. Peracto autem hoc tempore, per ſe ipſam perire hanc volucrem, hoc eſt fore, exiſtimant, vt haec orbis machina, conflagratione ſui, mutetur. E cinere autem reuiuiſcere tradunt Phoenicem: hoc eſt renouandum venire ex illa materia orbem, quae ab incendio iſto fatali remanſerit. Ceterum iſta durabilitas vniuerſi, corporumq; coeleſtium inſtauratio, qua ad priſtinum

g) Deuſing. de Phoenice. Idem ante Deuſingium Rollenhagius docuit c. 19. *glaubvv. Lüg.* Add. Thom. Diſſert. cit. §. 290. ſeqq.

ſtinum ſtatum omnia creduntur reuerti, annus ſidereus magnus vocatur. In quo definiendo, cum in tot ſectas ſcindantur philoſophi; hinc illa opinionum diuerſitas de Phoenicis aeuo inualuit. Neque vero ex Chriſtianorum coetibus defuerunt, qui in Phoenicis fabula, ad vſus multiplices transferenda, dexteritatis ac ingenii ſui periculum haud raro fecerunt. Alii enim religionis noſtrae auſpici Chriſto; alii mortuorum in vitam reditioni; reliqui triumphantibus in coelo beatis; rurſus alii, cunctis Chriſtianorum gentibus, vel magis denique, Chriſtum ſalutantibus, eandem aptarunt. *b*) Mihi vero, Conſeruatores huius academiae munificentisſimos, ad ornandum me nuper paterno officio, auſpicatorum inſtar ſiderum, conſpirantes, ſub Phoenicis imagine, ſic admirari licebit & colere: vt auis iſtius vnitas ad ſingulares penitus diuinarum mentium dotes; & vita eius longaeua, ad viridem atque indeflexam eorum canitiem; reparata inſuper ex cineribus vita, ad immortalis gloriae decus, digitum quaſi intendat. Magis adhuc, illapſa animo meo, bonitatis incomparabilis aeſtimatio, in auſpicali ſermone ſe proferet: quo ſimul de ſcientiae

b) Vid. Iac. Thomaſius Diſſert. cit. §. 196.

meae ſatis exponam, publicasque praelectiones de anima, ſingulis Martis, Iouisque ac Saturni diebus, hora poſt meridiem altera, deinceps habendis: quas, vt haud interruptus hic labor per ſemeſtre poſthac hibernum decurreret, hoc potiſſimum tempore auſpicandas cenſui: conſecrabo. Hunc igitur actum vt ad proximam Iouis, hora ante meridiem X, Rector academiae magnificus, illuſtriſſimi Comites, Patres conſcripti, venerandi ſacrorum antiſtites, & quicunque tam ſalutaribus ſtudiis ſuum pretium ponunt, illibatus praecipue flos academicae iuuentutis, praeſenti affectu ac beneuolentia proſequantur; exquiſitiſſimis verbis contendo. P. P. Domin.

XVIII poſt Trinit. A. O. R.

CIↃ IↃ CC.

ELOQVENTIAE ACADEMICAE
ARGVMENTA
QVARTI ORDINIS
QVAE SVNT
SVPERIORVM EDICTA
ET
SCRIPTA QVAEDAM POENALIA.

I

VIſum eſt pacis amantiſſimo Deo, atque academiarum cuſtodi, ſicut aliis nuper Europae principibus, ſic Nutritoribus noſtris ſereniſſimis, id conſilii dare: vt ſaeuitiam ac vindictae cupiditatem, inter medias pacis artes graſſantem, ſeuerioribus tandem edictis, ac ſuppliciis, ab hac etiam pietatis ſede arcerent. Defendendam hoc modo academiam ab hoſtis illius inferi machinatione & aſtu, arbitrati ſunt: committentis inter ſe, ac libertatis & gloriae perſuaſione armantis, atq; in caedes mutuas impellentis iuuenes literatos, & patriae olim ac reipublicae profuturos, atque ipſi ſe aduerſario fortasſis oppoſituros. Quibus artibus id ſimul ſe effecturum, confidit malignisſimus genius, vt honeſtatem religionemque coetibus doctis eripiat: quarum vtraque vltionem priuatam, atque iudicis magiſtratus contemtum, iuſtis legibus interdicit: contentionesque ac pugnas inter belli munia habet; a ſolis proinde militibus, voluntate Principum, obeunda. Namque

que vera origo pugnarum ſingularium a bellis petenda eſt: vbi pauci interdum de communi victoria, deque omnium ſalute certabant; vt multorum ſanguini parceretur. Quae tamen certamina vsque eo a ſuperiorum nutu pendebant; vt capitale ſaepius eſſet, iniuſſu Imperatoris congredi; quemadmodum Titi Manlii, Poſthumiique Tiburtii exempla loquuntur. Interiecto deinde tempore, & Neronis praecipue ac Druſi aetate, duella in ſupplicia vertebantur: quando ſerui in praeliis capti, & ad mortem damnati, ſollemnitatis maioris, imo etiam voluptatis gratia, in ludos & epulas, ac cerimonias funebres & feſtas inducebantur: vitae mortisque periculo dimicantes; inque mutua arma, ex laniſtarum veterum praeſcripto, ruentes. Cogitare ergo debebant, pugnaces ac efferi iuuenes: ſe aut belli pacisque negotia, ingenti reipublicae malo, confundere; aut ſeruorum certamina, in libertate ac gloria literatorum, ſectari. Neque eſt, quare ad Germanorum priſcorum, grauiores ſcilicet iuris controuerſias, ſed magiſtratuum tamen conſenſu, duello ac ferro dirimentium, truculentisſimos, ac prorſus barbaros mores confugiant. Quin deteſtari immanitatem horum temporum,

porum, maioremque animi, bonis ex literis, cultum ac manſuetudinem demonſtrare, conueniebat. Accedit, quod gladiatores noſtri, inſciis atque inuitis magiſtratibus, & ob leuiſſimas cauſas, atque ludicras ſaepius, ferrum ſtringant, ictumque infigant. Dudum quippe inueteratus, &, quod dolendum, hominibus iſtis valde amabilis; ſed ab orco ſane profectus eſt error: quo decus honoris academici in concertandi rabie ac temeritate ſtatuitur: atque is demum pro optimo ac honeſtisſimo ciue habetur, qui contra leges improbe pugnet, ac iusiurandum temere violet, omnemque adeo religionem ac fidem ſcelerate conculcet. Quanto dignius autem Scipione fortisſimo verbum erat: vnum potius ciuem ſeruari, quam mille hoſtes perdi debere? Quod inuerterunt hucusque efferi bellicoſique iuuenes: quippe ſatius rati, mille homines, eiusdem ſocietatis vinculo ſibi coniunctos, laedere ac proſternere; quam vnius, vel ſuam quoque ipſorum, ſalutem ac vitam penſi habere. Haud raro igitur illi, pro triumpho & gloria, mortem ac ignominiam, mercedem tulerunt. Quam Petro videlicet Chriſtus comminabatur: vicisſim interituros gladio eſſe, inquiens, qui licenter atque priuatim

gladium

Digitized by Google

gladium vſurparent. Vbi lacrimas nos tenere vix poſſumus; dum recordamur tot homicidiorum ac vulnerum, quae Ienenſes etiam agros ac plateas foedarunt, funeſtosque nobis tot dies, menſesque ac annos antehac reddiderunt. Inque mentem hic venit: plerasque veterum academias, & ipſam diſciplinarum matrem, Graeciam, improbitate ciuium ac audacia, in barbarorum praedam cesſiſſe. Auertat Deus hoc omen! Haud praeter rem tamen metuimus, ne hic ferocientium atque dimicantium furor, Numen iuſtisſimum, & tranquillitate nobis colendum, ad immittendas augendasque has belli aerumnas, concitauerit. Totum interea orbem teſtamur, non minus gloriosisſimos Nutritores, quam ſenatum academicum, id ſemper egiſſe, vt malorum hic impetus comminationibus ac poenis repelleretur. Sed quae lenitate paterna tunc flecti haud potuit, nonnullorum malitia; ea Patribus patriae decretum extorſit; quod eiusmodi eſt: vt duellis ac pugnis ſupplicia; verbisque ac verberibus ad iniuriam comparatis vincula, atque animaduerſiones, longe, quam olim, grauiores conſtituantur. Id nobiscum exoptant ſerenisſimi Principes: vt edicti iſtius

iſtius beneficio,frugi ac ornaturi olim rem publicam ciues ſeruentur; atque vt auctor boni ordinis,Deus,ſuum iuxta& magiſtratus timorem,opinionemque eiusmodi veſtris animis inſerat:decus ciuium,ſalutemque ac vitam, virtute & obſequio promoueri; contra, exitium, ignominiam & ſupplicia, rixis ac certaminibus cruentis accelerari. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. Palmarum, A. O. R. cIↄ Iↄcc Ix.

II

QVi pietatis gloriam, ſibi ſuisque prouinciis conſeruatam quam maxime cupit, ſereniſſimus IOANNES GVILIELMVS, futuram Veneris diem, poenitentiae, religioſoque ieiunio ſacram, inſtituit. Qua in re optimorum inter Iſraelitas veteres regum veſtigia conſectatur: qui, delictis non minus, quam Dei iuſtiſſimi poenis creſcentibus, ſacra huiusmodi publica indixerunt; communemque de malis communibus luctum, cum ſucceſſu ſaepius memorabili, imperarunt. Niniuitarum praecipue noſtris nunc animis obuerſatur exemplum: regis pariter magnatumque decreto ſanctiſſimo, neque cibum,

nec aquam guſtantium ; indutisque centonibus , Deo miſericordisſimo ſupplicantium , & a prauis ſe moribus ac peccatis ſerio reuocantium ; vt ira nimirum poſita, Numen ter maximum, vrbis ac reipublicae caſum, &, quam minatus fuiſſet, vaſtationem auerteret. Ipſe rex Niniuitarum, illo tempore, ex ſolio alto ſurrexit ; depoſitisque, & cum lugentium habitu commutatis inſignibus, humi conſedit; ſeruatoque ieiunio, corpus exhauſit, ac diuinam ſic Nemeſin deprecatus eſt. Viſis enim his omnibus, Numen, ſeſe continuit, ac ſuam protinus iram reſtinxit, &, quam antea irrogare in eos ſtatuerat, poenam remiſit. Non id quidem erroris, cum Pontificiis ac Phariſaeis, erramus : ſiue publicis, ſiue priuatis ieiuniis, vel Deo offenſo ſatisfieri ; vel coeleſte aliquod bonum acquiri. Attamen potionis ac eſcae abſtinentia, ſi ſuperſtitio abſit, vagos corporis & affectuum motus reprimi ; mentesq; ad poenitentiam, ac ſempiterni Numinis cultum, liberiores aptioresque fieri ; non Iudaei & Chriſtiani ſolum, ſed pagani etiam ac Turci agnoſcunt. Hunc proinde & nos ieiunii vſum, quo de admisſis criminibus dolor, & in benignisſimum Deum fiducia proditur, animus.

animusque ad res diuinas erigitur, vehementer probamus; & a Numine ipſo probari, ſique magiſtratuum iuſſa accedant, neceſſarium eſſe, cenſemus. Cuius nos rei, ſicut praecepta grauisſima, ita ſanctorum hominum exempla complura, in noui etiam teſtamenti oraculis inuenimus. Atque eadem plane primorum temporum Chriſtianis mens fuit, vt ſtatutis temporibus, & continuis non raro diebus, voluptatem cibariam coercerent. Nos vero, Tertullianus, vir egregius, ait, ieiuniis aridi, & continentia quauis expresſi, & omni adeo vitae fruge dilati, in ſacco & cinere volutantes, coelum tundimus, eiusque miſericordiam extorquemus. Horum igitur pietatem, Deique ac Principis noſtri voluntatem ſecuti, ſicut aliis ſanctioris moeſtitiae ſignis, ſic iniuncto iam nobis ieiunio, die hac feſta demonſtrabimus, quam nos pudeat noſtrae malitiae; & quantopere perpetratrata a nobis delicta, & agnita, execremur. Solis vtique bonis laetari; mala autem, in quibus vel maxime numerantur peccata, deteſtari ac flere oportet. Si non alio enim, certe hoc modo ſentiendum eſt, quam triſte ſit atque acerbum, in immortalem Deum

Digitized by Google

delinquere, inque coeleſtis ac ſummi vindicis manus incidere. Namque id danda eſt opera, vt tempeſtiua & breui poenitentia, cruciatus aeternos atque intolerabiles fugiamus. Noſtra olim, ceu nouimus, cauſa, ſeruator innocentisſimus ieiunauit ac doluit; quidni igitur peccatorum, quae voluntate & conſilio noſtro ſunt facta, graui nos poenitentia duci, protinus & aperte teſtemur? Et quanto frequentiorem antehac ex criminibus atq; vitiis voluptatem cepimus; tanto nunc vehementius improbare ea ac flere, conueniet. Mature enim ac cito lugendum eſt; ne poenitere tum demum oporteat, cum vtiliter poenitendi, nec tempus amplius nobis, nec facultas reſtabit. Agite ergo, & proclamata moeroris ſanctisſimi ac ieiunii ſacra, promto nobiscum animo & conſtanti, obite; neque minus a voluptate & malitia, quam a cibo ac potu, vos abſtinete! Auertat Deus id omen! ne tale ſit hoc noſtrorum ieiunium; quale vel antecedat heluatio, vel poſt paulo ſequatur. Quem impiorum ac peruerſorum hominum morem diuus Chryſoſtomus, in Antiochenorum nonnullis, grauiter ac pie notauit: hominum multi, inquiens, accincturi ſe ad ieiunium; tanquam longae cuidam obſidioni tradendus ſit venter;

ter ; crapulam & ebtietatem ad breuiſſimum tempus differunt ; rurſusque egreſſi, & abſtinentiae carcere velut ſoluti, cum multa proteruia & improbitate, ad menſas curſitant ; id enisi, vt ex ieiunio redundantem ad ſe vtilitatem, temulentiae exceſſu amittant. Hoc autem ipſum, quid aliud foret, quam magiſtratui iuxta ac Deo illudere ? nec meliorem ex ſimulata poenitentia, ſed deteriorem, magisque culpandum euadere ? Cuiusmodi quid, ne temere aut impune ab academiae noſtrae ciuibus committatur; dieique tam ſanctae religio violetur ; quemadmodum ea, qua par eſt, ſeueritate a nobis cauebitur : ſic ſua quemque pietas, temporumque iſtorum atrocitas, vel tacentibus nobis, monebit. P. P. ſub Acad. ſig. die III Aprilis, cIɔ Iɔcc xIv.

III

HOc igitur vnum reſtabat, temeratis non vna apud nos violatione, diebus ſanctisſimis; vt ebriorum etiam vocibus, nocturnisque per vicos & forum grasſationibus foedarentur. Quae nonnullorum, nequiter petulantium, & tranquillitatis publicae inimicorum, veſania,

non ita ſe intra vrbem continuit; quin ad exteros quoque, ipſasque ſummorum Principum aulas, vbi melius multo audire academiam, reipublicae intereſt, crebris atque infauſtis rumoribus, perueniret. Noſtra quidem tot monita, & ſaluberrimas voces, quibus nos turpitudinem indignitatemque rei notauimus, apud quosdam perfrictae frontis homines, ventus abſtulit; nec ſtatuta adhuc iuſtisſimi rigoris exempla, graſſatores eiusmodi, a ferino boatu, ad humanam reuocare naturam, tanto tempore potuerunt. Quando tamen iam Patris patriae iuſſu, quo nihil ſanctius nobis, aut venerabilius eſſe debet, in vagabundos hos Stentores iuſti atque ſeueri aliquid decernendum eſt; pro paterno in Noſtros affectu, commonefaciendos denuo omnes, cenſuimus: vt ea quisque dedecora, eos caſus, qui triſtem ac peracerbum aliquibus ſerae poenitentiae ſenſum iniicient, ſua virtute ac modeſtia anteuertant. Quid enim indignius, quam, in ſpem reipublicae naſci ac educari ſolitos, academiarum alumnos: quorum induſtriam laboremque, in mente, bonis literis, virtutumque ſtudiis excolenda, collocari par erat: adeo parum curare, quid aequitatis & iuſtitiae naturalis ratio

tio a ſe depoſcat? Quae in eo eſt ſita: vt vitam inſtituamus honeſtam; nec laedamus quempiam; & ſuum cuique ius tribuamus. Peſſime autem cum honeſtate, quam diximus, naturali, illis dubio procul conueniet, qui proterua inquietudine, ac caeco animi furore abrepti, diſcurſationibus & clamoribus ſuis, in pecudes quaſi ferasque ſe vertunt. Parum memores tum iurisiurandi academici, quo ad omne humanitatis & modeſtiae decus quilibet adiguntur; tum quae hominibus chriſtianis congruant: quos pietas ſua & religio, ab hac morum immanitate & barbarie, procul abducunt. Quantum vero & aliis noxae ac iniuriae inferant clamatores moleſti; dies nos forſan deficeret, ſi iam perſequi & exaggerare vellemus. Loquentur interim contra homines iſtos, ſtatuta & leges; non a priuatae ſortis mortalibus, ſed a magnis Principibus latae; quorum igitur ipſi auctoritatem, nimis licenter minuunt atque conculcant. Loquetur haec ſapientiae virtutumque omnium officina, gratis & ſuauibus literatorum ſermonibus, non beluinis vocibus, conſecrata: cui profecto a dictis iam turbatoribus magna & turpis ad ignominiam nota inuritur. Inſur-

ſurget contra perpaucos tenebriones, melioris exempli commilitonum, ac rectioribus curis vacantium, & quae ſtudiorum vigiliis tribuendae fuerant, noctes, graſſationibus hisce turbari, grauiter indignantium, amplior longe, laetisque virtutum auctibus gliſcens corona: quam ſui iam olim contemtu ac odio impleuerunt. Accuſabunt eosdem, imbecillioris, ſiue aetatis, ſiue valetudinis incolae; quibus vitam ac ſpiritum, cum quiete & ſomno eripiunt, qui veſano impetu, ac perenni inquietudine, cuncta perrumpunt. Cum parentibus denique & cognatis patroni, tam petulanter exigi tempus, tam inaniter ſumtus profundi, querentes, incumulum quaſi accedunt. Et ipſi demum ardeliones, inſcii licet ac imprudentes, ſui huius veneni partem maximam & potisſimam bibunt; dum opportunis in damna & iniurias noctibus, tot diſcrimina adeunt, exiſtimationisque honorem contaminant; quin Dei aeterni, certisque peccata iudiciis aliquando vindicaturi, aduerſus ſe indignationem & iram incendunt. Impudentiam notaturi Aegyptii, crocodilum, vel muſcam pingebant: quorum illum odiſſe ac deteſtari; hanc abigere & fugare, fas eſſet. Nobis etiam certum deliberatumque eſt,

ac-

accedente inprimis ſereniſſimi Ducis imperio, Stentores iſtos impudentiſſimos a pietatis hac & modeſtiae ſede in perpetuum poſthac arcere. Vt autem & exteris pateat, quanto nos opere hanc morum immanitatem abominari & fugere ſoleamus; publicum nos proſcriptionis elogium, typis protinus excudendum, & in patria cuiusque vulgandum, curabimus. Idemque hoc animaduerſionis genus incurrent, qui terrere alios, & in diſcrimina quaeuis vocare, haud veriti, vel impugnabunt feneſtras; vel intra hanc vrbem, inque conclauibus aut plateis, ſiue ſub anni atque dierum feſtorum auſpicia, ſiue vindemiarum feriis, ſiue alio tempore, & quocunque tandem vtantur colore, ſclopos atque tormenta explodent, ignitumque puluerem, vllo, qui vnquam excogitari poterit, modo iactabunt. Cunctos iſtos, hoc vtique digniores, qui ab oppido noſtro in omnem memoriam exulent, poſthac cenſebimus; quod non, vt vulgo obtendunt, imprudentia aliqua, aut ſuae aetatis praecipitio, in transuerſum agantur; ſed deſtinata malitia, obfirmatoque in haec facinora animo, quantum in ſe eſt, omnem academiae diſciplinam peruer-

tant. Si qui denique erunt, quos in ordinem ne ſic quidem licebit redigere; illi per grauiora incommoda, perque triſtiores mox caſus, quanti iſtud periculi ſit futurum, intelligent. Id quoque compertum eſt: reperiri nonnullos, qui per compotationes intemperantisſimas, vel ſine iisdem, effuſo ex conclauibus excremento ac lotio, neſcimus, quas intemperias agitent, atque ordinem ſuum proſtituant. Quorum niſi vltro remittat malitia & proteruia; ita eam mox caſtigabimus, ne tam facile ea ad ſuum deinceps ingenium reuertatur. P. P. Domin. III. poſt Epiphan. A. O. R. cIↃ IↃcc II.

IV

DE Hydra Lernaea eſt proditum, ſerpentem multorum capitum extitiſſe; vnoque iſtorum reciſo, octo vel plura alia confeſtim repullulaſſe. Eiusmodi vero anguem, dux inferorum fraudulentisſimus, vt in Edenis antea horto, ita in academiae huius viridario, hucusq; repraeſentauit: tot, vt ita loquamur, capitibus, quot dolis & maleficiis conſtans; vt hoc illoque eorum ſublato, inſi-

infinita alia in prioris locum ſuccedant. Poſtquam igitur Dei, ac ſereniſſimorum Principum prouidentia illam digladiandi, ac temere contendendi rabiem ab humanitatis hac officina proſcripſit; illud ſibi negotii datum credidit verſutiſſimus genius: vt noua ſubinde vitia, ex vitiis ſereret: quibus, vix emendata haec academia, mox deterrima redderetur. Talem videlicet mentem illis indidit, qui per plateas & forum, inſtar ferarum, curſitare; & linguam interea ſuam, quae ad tutelam ac ornamentum hominibus data eſt, ad vociferationes atque tumultus, ſuamque & aliorum perniciem atque ignominiam vſurpare, praeclarum aliquid, ſuaeque aetati ac ordini glorioſum exiſtimant. His nonnulli, gladiorum atque ſcloporum terrorem, ac feſcennina carmina addunt: ipſas ſcilicet Furias furore hoc ſuo prouocaturi; ac de omni veluti honeſtate triumphum ducturi. Alii ab ſe conducta in vrbe conclauia; alii popinas aut pagos, proteruiae ſuae theatra conſtituunt: & Andronicum, turpiſſimi moris caeſarem, imitantur; abſurdisque ac impiis vocibus atque geſtibus, ſuam aliorumque famam proſtituunt. Quod idem de illis dicendum eſt, qui cum infrunito clamore

clamore ac ſtrepitu, ollas exonerant; tanquam ſeipſos, vna cum excrementis foedisſimis, deiecturi. Ac ne quid reliquum ſibi aliqui, ad Dei & honeſtatis contemtum, faciant; ſacros praecipue dies ſua laſciuia & impietate contaminant: inque illis etiam locis, vbi, per magiſtratuum ſummorum edicta, eo inprimis tempore, heluari ac ineptire non licet; importunos nimium, & in iudicum aliquando perſonas iniurios, atque penitus excordes ſe praebent. Heroſtrati nimirum exemplo: qui cum non aliter poſſet, aut vellet; violatione ſacrorum, ſuam memoriam propagandam ducebat. Sed illi etiam hac occaſione carpendi ſunt, qui in oppidano pariter atque academico templo, tanquam in foro, aut tonſtrina aliqua, modo ſoli, modo gregatim deambulant; partim etiam, concionibus nondum finitis, excurrunt; inſignemque adeo maculam, toti Chriſtianorum religioni, apud Iudaeos & Turcas, rem diuinam, longe, quam iſti, ſanctius obeuntes, inurunt. Quae aliaque turbarum genera, a ſerpente inferno, in pietatis hoc & modeſtiae domicilium, velut ex orco traducta; a noſtris praeſertim temporibus, dum Numen iratum ſanctimonia & tranquillitate

te

te placandum eſt, longisſime omnino abhorrent. Tale igitur ſenatusconſultum eſt factum: vt, quicunque de poſtero, ſiue in vrbis noſtrae itineribus; ſiue in ſuis, aliorumque conclauibus; ſiue in popinis aut pagis; ſiue in locis atque temporibus ſacris; turbulenti aut impii aliquid, ſiue clamando, ſiue aliis, quos diximus, modis, ſe haud decenter gerendo, admiſerint; eo, quo par eſt, rigore coerceantur: carceris, relegationis, atque exiſtimationis ſuae periculum, ſua vtique culpa, in poſterum adituri. Grauem vero prae ceteris poenam merito ſuo ſubibunt, qui duces ſe aliis venditabunt, & honorifico alias Seniorum nomine ad res turpisſimas abutentur. Vos autem, o boni! indigna penitus Vobis ſtatuite, quae bonos offendunt; Deumque & magiſtratum veremini; atque vt recte factorum praemia, ſic malorum vindictam, tranquillitate & obſequio approbate. P. P. ſub Acad. ſig. D. XIII Septembr. An. cIↄ Iↄcc xl.

VEtſi

V

QVantumlibet ſtudiorum ipſorum, ac vitae academicae ratio a Vobis requirit, vt ſobrie continenterque agatis; tamen vitium illud, neſcimus, qua conſuetudine, validum, quo compotationes immodicae, feſtis pariter ac profanis diebus, aguntur: &, ne Bacchi his orgiis ſollemnitas deſit; inter tubarum clangores, tympanorumque ſtrepitus, celebrantur; nondum reprimere in hac meliorum artium officina, nedum tollere, aut eradicare potuimus. Vsque eo ſcientiarum & elegantiae omnis cultores, non ſolum Germanos, adhuc barbaros, ſed Scythas quoque ac Thraces, ſaepius imitantur. Etenim illi, dies noctesque continuare potando, virtuti ſibi ac laudi ducebant; hi, maiorem adhuc in ebrietate famam quaerentes; & bibendo plurimum poſſe, & mero veſtes perfundere, & in aedibus ac plateis ſe turpiter dare, pulcherrimum iuxta & beatisſimum vitae genus cenſebant. Foedum dictu cogitatuque eſt: illas maxime dies, heluatione ac temulentia, apud nos violari, quae vel cultui diuino dicatae ſunt; vel ferias iſtas proxime antecedunt, praeparationemque ad actus religioſos & ſacros

cros depoſcunt. Tanquam ebrietas, chriſtianorum Numini, haud ſecus ac paganorum antehac diis, ſollemniter conſecranda veniret. Qualem in modum vinalia quaedam ſacrificia Romae fiebant: & in Athenienſium ciuitate, ludi gymnici, in Bacchi honorem, agitabantur: in quibus vinum vndique circumferri, magnaque bibendi licentia, inter multiplices cantus ac ſtrepitus, vſurpari ſolebat. Nobis vero, qui rectius atque ſanctius, de rebus diuinis pariter ac humanis, ſentire didicimus, non ex naturae duntaxat legibus; ſed ex Dei quoque oraculis conſtat: eiusmodi pergraecandi conſuetudinem, & edictis a Deo grauibus interdici, & ſuppliciis iuſtis puniri. Certe Paulus, diuino ſpiritu actus, non tantum Epheſiis ſuis, ſed omnibus Chriſto addictis: nolite, inquit, inebriari. Et ſapientisſimus regum, Salomo, rem tumultuationis ac luxuriae plenam, ebrietatem appellat: & qui ea ſe oblectauerint, illos a vera atque coeleſti ſapientia procul nimium abhorrere, demonſtrat. Quantas porro iratum ac iuſtiſſimum Numen, a peruerſis huiusmodi compotoribus, niſi ad frugem redierint, poenas ſumat; tum Nabalis, ebrioſitate ſua oppreſſi; tum Neronis, inter heluationes turpisſimas,

mas, confeſtim ac miſere pereuntis; tum popinonis praeſertim diuitis, tandemque ad inferos deſcendentis, totque aliis temulentorum exemplis, teſtatum eſt. Neque enim tam caſtum, tamque placidum Numen, ebrietate aut licentia; ſed tranquillitate ac temperantia, coli debet. Naſiraeis proinde, ad res diuiniores vocatis, vini iuxta & potionis nimiae vſus prohibebatur. Quodſi hominum piorum exempla in libris ſacris intueamur; nihil continentius illis, nihil probius vel tranquillius dici poteſt. Horum autem ſi non ſimiles penitus, tamen imitatores, veſtro ac reipublicae bono, Vos eſſe; & ſicut a perpotationibus, actiones praecipue ſacras, die ſaturni ac ſolis, impedientibus; ita ab inſtrumentis & ſtimulis temulentiae, tubis nimirum ac tympanis, abſtinere, eo Vos iuſſit edicto, quod patefaciendum nunc vobis, atque omnium oculis exponendum, cenſuimus. Vos, cariſſimi! iuſta haec, atque partibus veſtris conuenientia, iudicabitis; quia Princeps praecepit: eoque Vos animo eſſe, comprobabitis; ne, ſi ſecus egeritis, Deo; ſique in vetitum niſi fueritis, Principi ac Senatui poenas pendatis. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. XXIV poſt Trinit. A. R. S. CIϽ IϽCC XII.

VI

VI

QVando Numinis tandem immortalis auſpicio, foederatorum pariter hoſtiumque legati pacificatum apud Heluetios conuenerunt; duo nobis praeſertim negotia dari, atque iniungi, credemus: vnum, vt confirmationem non minus, quam perpetuitatem iſtius beneficii, a Deo ter maximo impetremus; alterum vero, vt rerum tranquillarum nos ſtudioſos, nec indignos adeo pace, exhibeamus. Ac bene eſt quidem, quod vtriusque officii partibus, ciuium noſtrorum plerique, tam ſacra nobiscum publica religioſe colentes; quam remota a vitiis ac tumultibus vita, Numen adhuc iratum placantes; non ſine praecipua coetus ſui ac ordinis laude, reſpondeant. Hi vero iidem, otioſis quibusdam profaniſque hominibus, haud immerito nobiscum ſuccenſent: qui neque cultum diuinum ac templa reuerenter ſatis habere; neque tranquillitati publicae, inter medias pacis artes, ſtudere; ſatis huc tempeſtati conueniens, & praeclarum ſcilicet factum exiſtimant. Quomodo enim in Dei aeterni domiciliis, ea, qua decet, pietate verſari, diuiniſque myſteriis iuſtum pretium ponere, vel a Iudae-

is quoque ac Turcis credentur? qui, finita vix concione, & ſeruatoris ſanctisſimi dapibus, quas ipſi etiam coelites venerantur & colunt, in ara adhuc diuina adminiſtratis, in media templi area, tectis plerumque capitibus, atque geſtibus indecoris, diſcurrunt; & tanquam in foro, aut ambulacro publico, ſpatiantur? Quod vanitatis ac petulantiae genus, vel a Romanis quoque ac Graecis, licet a vera, & noſtra religione abhorrentibus, ſummo opere, ac ſollemniter improbatum eſt; & Lutheranorum ideo ſacra, turpi ac indelebili macula, apud hoſtes adſpergit. Vnde aliter nos profecto haud poſſumus, quam vt vulgata antehac aduerſus id interdicta ad Noſtrorum denuo animos revocemus: quae coercitione deinceps nec leui, neque incerta, vindicabimus. Quod idem de illis etiam legibus, quas aduerſus clamoſos, ac turbatores quietis publicae greges, tulimus, atque toties renouauimus, capi velimus. Academiae enim intereſt, ne diſſoluti & praui eiusmodi iuuenes, intempeſtiuos contumelioſosque clamores, ſiue in vrbis, aut ſububurbii itineribus; ſiue ex ſuis conclauibus aut feneſtris; ſiue in viis publicis, quae a pagis ad oppidum ducunt; die aut nocte,

amplius

amplius tollant; ſibique & aliis, tam laudis honeſtae, quam quietis atque ſecuritatis publicae fructum eripiant; vulnerumque ac homicidiorum occaſiones infauſtas ſuppeditent. Certum igitur nobis conſtitutumque eſt, poſthac grauius, pro indignitate delicti, in eos animaduertere; legumque & magiſtratus auctoritatem, quam eludere illi & proculcare conantur, proſcriptione ipſorum publica, ſine mora vlciſci. Quodſi ſaxa nonnulli gladiis quoque verberauerint; aut ollas inter vociferandum deiecerint; aut nouis tumultutionis generibus, noctu praeſertim excogitatis, ludum iocumque de hoc ſenatus ſancito facere ſuſtinuerint; in illos acerbiora adhuc decerni, ac relegationis adeo annos augeri, fas ac aequum requiret. Quo tamen ipſo id vnice cupimus, ac vehementer optamus: vt omnes, fidei noſtrae ac diſciplinae commiſſi; tam interdicto hoc noſtro, quam honeſtatis ſenſu commoti; pia potius, & ad modeſtiam comparata officia expleant; nec malitiae, in athenaeo hoc, poenas, ſed virtutum ac doctrinarum praemia mereantur; neque vel clamatorum deinceps, vel ſpatiatorum in templis, nomi-

na apud nos audiantur! P. P. ſub Acad. ſig. Die XIX Auguſti, A. cIↄ Iↄcc xlv.

VII

QVod de tranquillitate ac modeſtia, vates Graecorum, Euripides cecinit: virtutum praecipuam eam inter homines praedicari, ac ſingulare omnibus ornamentum afferre; id illi praeſertim, qui bonarum artium ſtudiis, in parte annorum florentisſima, operantur, & ſicut doctrinis, ita moribus, a vulgo ignobili ſecernuntur, dictum ſibi exiſtimabunt. Quomodo enim cuiusuis ſapientiae fructus, turbulentarum quarundam mentium intra ciuitates conatu & impetu, minuantur; inter alios Clemens, apud Thucydidem docet: dum inſcitiam, cum viuendi genere modeſto ac probo coniunctam, plus longe vtilitatis, quam peritiam, cum immoderatione animi copulatam, habere, grauiter, nec ſine auctorum praeſtantium conſenſu, demonſtrat. Veſtrarum ergo partium erit, o noſtri! vt compoſiti tranquillique animi decus, & omni apud nos tempore, & nundinis

dinis quoque inſtantibus, peregrinorum aduentu vtplurimum frequentatis, Vobis concilietis. Abſit enim, vt ollis & vtenſilibus, ex feneſtra deiectis, foedisque vociferationibus ac tumultibus, in proteruiae aut barbariei cuiusdam ſuſpicionem incidere, & male ideo apud exteros ac ciues audire, aque tonſoribus ac lippis traduci, amplius cupiatis. Eſt vero & aliud petulantiae genus, quo in athenaeo hoc aliqui, neſcimus, cuius venerationis & cultus, erga Reges ac Principes, ſpeciem huc usque mentiri, neque parum ſic ſibi blandiri, conati ſunt. Viuere enim magiſtratus hos ſuos, tam ſonoris inconditisque vocibus, iubent; vt literatorum haec iuuenum vota, a barbarorum clamoribus ac turbis diſtinguere, res, ſi non difficilis, certe dubia videatur. Quaſi vero Principibus, moris probi & culti auctoribus, talis fremitus ac tumultus, ab omni reuerentia & modeſtia alienus, probetur? aut eiusmodi quid, eorum perſonis congruat, quod ipſi, in ſuis prouinciis, haud immerito deteſtantur ac vetant? Quamuis autem noſtrorum paucisſimos, cum turbulentis effrenatisque id genus hominibus ſocietatem inire, ac proterue adeo ineptire, credamus;

mus; quodſi tamen maleferiatorum nonnulli, ſiue nundinis iſtis, ſiue diebus deinceps aliis, vllo ſtrepitu & clamore; quaecunque tandem tumultuationis iſtius ratio allegetur; plateas noſtras aut forum impleuerint; illi grauiſſimis animaduerſionum generibus, quin proſcriptione etiam publica, ſero nimium diſcent, magiſtratui, Dei vicem gerenti, haud impune illudi. P. P. ſub Acad. ſigill. d. XXVI. Maii, cIↄ Iↄcc xV.

VIII

IN Graecorum equidem, vrbem Troianam oppugnantium, turmis, Stentor aliquis inter tubicines verſabatur: eo nomine, ſicut ſuae aetatis hominibus, ita poſteris in hunc diem cognitus; quod militum quinquaginta clamores, voce, vt ait Homerus, aenea ſuperaret. Quid vero aliud agunt, qui non ſua tantum & aliorum conclauia, ſed vicos quoque ac forum, foedis atque inſanis vocibus inplent; quam vt famoſum hunc hominem, cum ſuo dedecore & opprobrio, imitentur; imo Stentore ipſo clamoſiores turpioresque ſe praebeant? Cum enim Graecorum iſte tubicen moleſti-

Teſtiam quidem haud leuem audientibus, tam amicis, quam hoſtibus, vociferatione id genus prodigioſa crearet; ferri tamen & excuſari is aliquo modo poterat; quod non temeritate aut malitia quadam id faceret; ſed vt tam inimicis Troianis formidinem ac terrorem incuteret; quam ſecum facientibus Graecis animum adderet, ac victoriae adeo occaſionem praeberet. Iſtius vero oppidi clamatores, non niſi a petulantia ſua & proteruia, ac aegre aliis faciendi libidine, in transuerſium ſe rapi, & ad mores turpisſimos, ac propemodum belluinos, impelli ſe patiuntur. Neque pauci iſtorum; vt in in re prorſus illicita, tamen praetextu aliquo vel cauſa vtantur; illud gaudii atque gratulationis vocabulum, VIVAT! in ſtrepitus tumultusque nocturni materiam aliquando conuertunt; dum id alta adeo & horribili voce, ex gutture ac ore protrudunt; vt hoc ipſo proſtituatur academia ac turbetur. Neque iſtud praetereundum: aliquos, bona quidem, vt ipſi & alii arbitrantur, intentione; ſed cum dedecore tamen aliquo, vocem iſtam in actibus publicis, inque academico templo; quaſi ea ad Principum atque hominum magnorum honorem &

cultum faceret; ſemel ac iterum, praeſente ſenatu, & frequente vtplurimum auditorum corona, exclamauiſſe. Hae igitur cauſſae nobis iam dantur, ſicut boatus alios, cantusque clamoſos, tam in regionibus vrbis, quam in aedibus ac muſeis editos, & ſub proſcriptionis publicae poena iam ſaepius interdictos; ita abuſum pariter & vſum quemcunque verbi per ſe haud noxii, VIVAT! quatenus is cum vociferatione ac turba coniungitur; hominibus apud nos ſtudioſis, penitus, ac in vniuerſum vetandi. Et hoſpitibus quidem, choroque tumultuanti praecinentibus, vel ante ceteros ſe proſtituentibus, relegationem publicam; reliquis vero, carceris, aut mulctae grauiſſimae poenam, vere ac ſerio comminamur. Nec diſſimilem poſthac animaduerſionem incurrent, qui vel cornu venatico, vel tubo illo Stentoreo, quem acuſticum vocant; vel tubae, aut lyrae etiam cantu immodico; vel deiectis atque exoneratis vtenſilibus, comploſisque manibus; vel quibuscunque aliis modis, tranquillitatem nocturnam, imo quoque diurnam, turbauerint. P. P. ſub Acad. ſig. D. XIII Sebtembr. CIↃ IↃCC XVI.

IX Et

IX

ET quotannis, & grauiter ex hoc loco Vos admonuimus, ne in campis ſil-uisque, aues iuxta & feras ſclopis & canibus perſequi, animum poſthac ve-ſtrum induceretis. Sed obſtinata atque peruerſa quorundam ratio, eiusdem de-nuo interdicti vulgandi exaſperandique, neceſſitatem hodie nobis imponit. Quae res eo indignior poteſt videri; quo certius atque euidentius conſtat: non in quo-rumuis promiſcue arbitratu poſitum eſ-ſe, vt animalia iſta venentur, capiendo-que acquirant; ſed aequisſimis & creber-rimis illorum praeſcriptis, qui ſummo in terris imperio potiuntur, omnes cete-ros a venatura arceri. Hinc maximo-rum Principum iura ac leges nequiter violare cenſendi ſunt, qui ſua temerita-te & audacia ad negotium iſtud graſſan-tur. Nulla effluit dies, quae non inu-ſitatae benignitatis & gratiae pignora a-cademicis ciuibus ex ſerenisſimorum Principum, diui Erneſti familiam illu-ſtrantium, manu adnumeret. Vt pu-dendae propterea leuitatis ac proteruiae crimen incurrant, qui optime meritis de ſe Nutritoribus, pesſimam gratiam, im-probitate hac ſua, referre, neutiquam e-

rubeſcunt. Quam igitur aegre aliquorum hos auſus tulerit Pater patriae, optimo ac aequisſimo in vniuerſos affectu, meliora longe, quam praerogatiuarum ſuarum ac iurium laeſionem, promeritus; ſcripto ipſe ad nos peculiari, cuius Vos verba, comminationesque haud vanas, etiam atque etiam perpendetis; edixit. Quam periculoſae aleae res eſt, Deorum in ſe tonitrua atque fulmina concitare; tam prudenter ac vere Tragicus docuit: grauis ira eſt regum. Veſtrine igitur coetus nonnulli in minimis ponent, ſummi Principis gratiam, inconſulto eiusmodi inſtituto ac auſu, effundere? Durum eſt, a ſilueſtris ac venatoriae rei praefectis ſeruiliter excipi, &, ſi neceſſitas cogat, globis igneis ſauciari: durius, in cuſtodiam tradi, & acerbiori adhuc animaduerſioni ſeruari. Vtraque autem haec mala, ſuo incommodo, perſentiſcent, qui Nutritoris optimi voluntatem ac iuſſa ſusque deque habuerint. Neque nos aliquid intermittemus eorum, quae ad tuendam Principis noſtri auctoritatem ac legem, facere poſſe videbuntur: bonorumque commercio illos priuabimus, qui pertinaces & improbos ſe praebuerint. Ac nihil quoque eſt cauſae, carisſimi! quare

ſpem

ſpem veſtram atque ſalutem, in praeſens adeo poenitendumque periculum adducatis. Enimuero & leges, in quas iuraſtis; & ſcopus ille, quem vobis praeſtituiſtis, multo alia vobis perſuadent. Patet vobis latisſimus ſtudiorum, & omnis elegantiae campus; per quem maiori cum laude & gloria decurretis, quam ſi in vetita cuncta ruetis. Si qui tamen reperientur, qui inſuper habitis his & aliis ſuperiorum edictis, venatui poſthac ſe dederint, vel ſcloporum, licet non diſploſorum, geſtatione canumque venaticorum inſtructu, quandam ſpeciem huius rei praebuerint; illi experientur profecto, facinus ſe haud leue aut paruum patraſſe; ſed magna calamitate & moleſtia, imo publica proſcriptione luendum. P. P. Domin. III Adu. cIↃ IↃCC I.

X

VEl tandem aliquando ad frugem redeant, otioſi, inconſideratoque venandi impetu concitati homines; vel ſuo ſentiant malo, quanti res ſit periculi, ſi vis atque iniuria inferatur potentioribus; ſique, Principum iura ac munia

nia occupentur. Intereſt enim reipublicae, vt, quorum praeſidio, ſubiectorum ſecuritas & ſalus defenditur; iisdem etiam perſecutio & captura ferarum, ceu belli aliquod ſimulacrum, & tanquam ad illud praeparatio, relinquatur. Apud Medos igitur, Perſasque & Parthos, non niſi futuros mox duces, iſtis artibus imbutos fuiſſe, accepimus: vt cum beſtiis nempe fugacibus curſu, cum audacibus robore, cumque callidis aſtu contenderent; irruptionemque ferarum a pagis & oppidis ſubmouerent; laboremque agreſtium, quadam velut obſidione, prout Plinius ſuo in panegyrico loquitur, liberarent. Quodſi ius fasque eſt dominis, ne ſuum quis fundum & agrum ingrediatur, quantum in ſe eſt, aliis interdicere; quidni hoc idem Principi, ſummum in bona publica, quibus etiam ſiluas, & quaecunque ferarum habitacula, addi par eſt, imperium obtinenti, congruere ac licere putemus? Nam qui omnia animalia, omnium olim hominum poteſtati ſubiecta a conditore Deo fuiſſe, obiiciunt; illi vel parum conſiderant, vel prorſus ignorant, quomodo naturalis ciuium, aliorumque libertas, latis a magiſtratu legibus, circumſcribi; & vetari ideo, quod hominibus per naturam integrum erat;

acquirendumque in feras dominium, ſimiliter anteuerti, contingat. Neque enim conſultum bonumque eſt viſum, quoscunque promiſcue ciues, ſepoſitis, quae obire debebant, negotiis, per ſiluas vagari; quod violentis non raro ac illicitis actibus latam portam aperuiſſe, meminimus. Haec forte Domitio, Romanorum praetori, ratio conſtitit; quare ſeruo, venabulo aprum percutienti, mortis crucisque ſupplicium, Siculorum ex lege, infligeret. Quae cum ita ſint; admirari nos ſatis haud poſſumus, extitiſſe in literatorum hoc coetu, qui, contemta & legum, in quas iurarunt, & Principis ſenatusque, tot interdicta edentis, auctoritate; per agros & ſaltus, cum ſclopis armisque ſimilibus, curſitarent; & non canes ſolum in feras obuias concitarent; ſed globos quoque accenſos in easdem excuterent. Quam quidem ob cauſam, Dux sereniſſimus, ſuo merito, atque grauiter indignatus eſt; exoſoque ac deſperato huic malo remedia poſtrema opponi, reſcripto nouisſimo imperauit. Agite ergo, o noſtri! & patriae Patris mandatum, non in ſenſus tantum, ſed in pectora quoque & mentes admittite! ſatius atque ſalutarius rati, tanti legislatoris auſpicia ſequi; quam ignominioſam

miniosſam cuſtodiam, quam ignearum glandium iactum, quam grauisſima atque extrema omnia experiri. Neque vero & nos, iuſtisſimi Principis voluntate inducti, homines contumaces ac improbos poſthac graſſari, & neſcimus, quos tandem Actaeonas imitari ſinemus; ſed vniuerſos ac ſingulos, relegationis publicae ope, de literarum hoc domicilio dimouebimus; non fortuna vtique ſua, ſed culpa, calamitoſos ac miſeros poſthac futuros. P. P. ſub Acad. ſig. D. XIV Nouembr. A. cIↄ IↄccvI.

XI

QVod magnanimi, amantisque ſuorum principis, officium eſſe ſolet, vt dignitatem pariter ſuam, atque ſalutem ciuium, tueatur ac ſeruet; id etiam ſibi in negotiis datum, Pater patriae, quo meliorem, neque in hoc mortalium ſtatu habere, neque expetere a Deo immortali poſſemus, recte admodum ac prudenter exiſtimat. Inter ceteras vero tanti Principis curas, ad glorioſisſimum hoc propoſitum comparatas, duo eius edicta, typis excuſa, ac, ne cuiquam obſcura ſint atque ignota,

ta,

ta, portarum valuis affixa, merito numerantur. Quorum priori, iurium, in venandi actibus poſitorum, & magiſtratui ſummo peculiarium, violatio; altero autem ſcloporum ac inſtrumentorum bellicorum temeraria atque improba vſurpatio; vindemiarum inprimis, feſtorumque dierum tempore, ſiue in oppido ac ſuburbiis, ſiue in vineis, agrisque ac viis publicis, ſiue alibi locorum ſuſcepta; grauiter, ac denunciatis propterea poenis, interdicitur. Vos, carisſimi! voluntati Principis, in academiam noſtram ſalutariter conſulentis, tanto promtius ac libentius obſequemini; quanto longius ab honore ac dignitate ordinis veſtri, omne libidinis, ac militaris licentiae genus abhorret. Nolite, o noſtri! qui humani generis bono, & nati eſtis, & educati! in eam Vos ſuſpicionem vocari: ac ſi pulueris nitrati incenſione, vel vrbem hanc noſtram in diſcrimen coniicere; vel terrorem reliquis, ac potisſimum aegris, incutere; vel, ſi globorum, igniumque iactatio infeliciter forte expetierit; ſiue aliis, ſiue vobis etiam ipſis, caedem inferre, delectationis inſtar putetis. Obuerſatur adhuc oculis veſtris, luctuoſisſimus ille, nimisq; infauſtus, commilitonis haud improbi

probi caſus : fatali illa veſpera, quae ſollemmem & ſacram diui Ioannis; memoriam nouisſime praecedebat, rupto forte tormento, miſerabiliter concidentis ; perpaucisque elapſis diebus, iuuenilem animam, inter ſuorum acerbiſſimos fletus ac gemitus, praemature nimium exhalantis. Vel vnum hoc recreationis miſerae ac funeſtae exemplum, permouere Vos omnes, ac deterrere debebat ; ne de puluere vnquam ignifero, vel de tormentis huiusmodi aut bombartis, ludum iocumque poſtea faceretis. Quibus atque ſimilibus cauſis inductus, ſapientiſſimus Princeps, non leporum modo ac ferarum occiſionem ; ſed quamcunque ſcloporum, machinarumque bellicarum, feſtis praecipue, ac vindemiarum temporibus, vſurpationem geſtationemque ; atque pulueris inflammati abuſum, ita vetauit ; vt interdicti iſtius publici contemtoribus animaduerſiones ſeueriſſimas, neque ab vllo delinquentium euitandas, comminatus ſit. Veſtri proinde officii refert, dilectiſſimi ciues! vt exiſtimationis pariter veſtrae, ac vitae compoſitae laudibus retinendis, ſolicite ſtudeatis ; & libertatem academicam modeſte feratis ; atque Principis ſummi ac iuſtisſimi, non tam poenis, quam beneficiis, Vos

dignos

dignos geratis. P. P. ſub Acad. ſig. die XXI Octobris, A. C. cIↄ Iↄcc XIV.

XII

SI vllo vnquam tempore, mercatus publici certe diebus, homines peregrinos allicientibus, illud operam dare debetis, ciues cariſſimi! vt ad bonarum artium decus, modeſtiae gloriam adiungatis; atque hunc vitae academicae fructum, qui reliquis cunctis anteponendus eſt, reportetis. Longe igitur ab illorum veſtigiis recedetis, qui ſtudioſorum nomine ad licentiam ſuperioribus annis abuſi ſunt; nec maiori vnquam proteruia, quam per nundinas, bonos mores contaminarunt: quoties, ſiue deiectis vtenſilibus, ſiue exoneratis belli machinis, ſiue deſtructis inſtitorum tabernis, ſiue aliis intemperiarum generibus, officii academici rationes turbarunt. Cuiusmodi quidem facinora, non ex eruditorum doctrinis, inſtitutisque optimis; ſed ex barbarie, & ſumma vitae malitia, erant petita: atque ad id ſenatusconſultum, quod omnibus adhuc nundinis renouari conſueuit, nos inducebant: quo haec talia ſub relegationis

publicae poena interdicuntur. Quantumlibet vero de pleriſque ciuium, ad meliora aſſuefactorum, longe alia nobis ſpondemus; quodſi tamen reperti in coetu honeſtiſſimo fuerint, qui Lentulos quosdam potius, quam ciues moratos, hoc ſe tempore exhibebunt; & quibuscunque iſtorum modorum, quos ſupra commemorauimus, aut ſi qui ſimiles fingi poterunt, tranquillitatem publicam conturbabunt; illos, ceu magiſtratus ac legum violatores, atque ordinis ſui opprobria, ab hoc virtutis & artium domicilio procul arcebimus; ne noſtra aliqua culpa, diſciplinae & laudis academicae decus imminuatur. P. P. ſub Acad. ſig. d. XIII Martii, CIↃ IↃ CC XIII.

XIII

EA quidem academiae noſtrae facies, ope adhuc coeleſti, enituit; vt non tam ſeuerae iuſtitiae interdictis, quam paternae beneuolentiae vocibus, appellari impoſterum poſſe, videamini. Quoniam tamen, ceu parentibus quoque contingit, nos aliqua adhuc ſolicitudo & cura cruciat: ne per lubricam veſtram aetatem, ab vno vel altero, ſi in coetu quis veſtro

veſtro ſuperfuerit, in transuerſum agamini; commonefaciendi idcirco fuiſtis: ne mercatus hoc tempore, apud eos, qui peregre huc aduenient, partam modo obedientiae ac modeſtiae palmam, dubiam vobis reddatis. Sunt enim fortaſſe, quibus nondum memoria excidit: quam ſaepe ac turpiter antehac, iſtis nundinis, permulti ſe proſtituerint; ollarumque ac vtenſilium, paſſim ex aedibus deiectorum, clangorem, fremitu & clamore inſano auxerint; fractis quoque ac ſubrutis inſtitorum tabernis; & nullo non abiectiſſimae leuitatis genere vndiquaque exerto. Attoniti ad haec haerebant, qui merces huc ſuas aduexerant, ſiue apportauerant: agreſtemque illorum petulantiam mirabantur, quibus ipſe bonarum artium amor, & honeſtiſſima appellatio, ſingularem humanitatis & modeſtiae opinionem afferret. Nos vero, qui magiſtratus ſuſtinebamus perſonam, non pudere non poterat huius generis ciuium, qui de academiae noſtræ tunc fama, quantum in ſe poſitum foret, apud vicinos ac exteros detrahebant. Certe barbari iſti, militesque gregarii videbantur: quibus ſi leuitatem ac inſaniam exprobres; naturam eorum eradicare ac tollere videaris. Ecquid ergo non agebamus ex noſtro offi-

cio? quae ſeueriſſima interdicta non publicabamus? vt a laſciuia ad pudorem; a feritate ad manſuetudinem reuocarentur, qui omne, vt diſciplinae, ſic obedientiae iugum excuſſerant. Attamen ſurdis narrare nos fabulam, ac duritiem ſaxis demere nitebamur. Vt induenda idcirco pro lenitate ſeueritas eſſet; poenarumque iuſtarum & grauium inſtrumenta, maleferiatis hominibus, ceu honeſtatis academicae corruptoribus, comminanda venirent. Sed quo nos abripit denuo, leuitatis iam obſoletae ac inſolitae deteſtatio? Ipſi enim, commilitones cariſſimi! rei huius indignitate commoti, ſaniorem iam animum induxiſtis, tumultusque foediſſimos ſopiiſtis. Nuperiores profecto nundinae, hanc pietatis & obſequii laudem, ſi non omnibus, at Veſtrum tamen plerisque impertiuntur. Quare nobis, vt ordini veſtro honor hic proprius perpetuusque obtingat, ſedulo ac enixe elaborandum eſt. Et licet multorum probitas ab omni nos dubitatione ac metu abeſſe iubeat; quoniam tamen ſaepe accidit, vt pulcherrimam quamque ſegetem, loliorum carduorumque peſtis corrumpat; vel ea ſaltem de cauſa, interdicti nuperi, pauloque ſeuerioris, repetitio fuit inſtituenda. Si quis igitur, in-

gru-

gruentibus nundinis, cum clamore incondito, vaſa & vtenſilia, aut res alias, e feneſtris eiecerit; vel tabernas, in foro oppidi ſtructas, euerterit; aut quouis alio modo, ſiue incolas, ſiue peregre aduentantes, laeſerit atque laceſſiuerit; huic relegationis publicae poena, ſine mora, & in conſeſſu proximo, irrogabitur. Quibuscunque igitur famae atque ſalutis ſuae ratio conſtat; illi ſuperioribus morem gerent: atque id enitentur, vt probitatis decorae potius, quam veſanae ferociae nomine, apud vicinos ac exteros innoteſcant. P. P. ſub Acad. ſig. d. XXVIII Oct. CIↃ IↃ CC XV.

XIV

DAntur homines, quos noſtratium tamen pauciſſimos, ac leuiſſimos fore, ſperamus, qui vexare milites, ac nefariis modis exagitare, rem admodum pulchram & praeclaram exiſtimant. Certum vero indubitatumque eſt: ſicut alia, ita hoc etiam petulantiae & laſciuiae genus, a literatorum ciuium, ad maiora omnino grauioraque negotia, in rebus deinceps publicis obeunda, deſtinatorum, ordine & exiſtimatione, longe ni-

mium abhorrere. Neque iſtud obſcurum, aut incognitum eſſe poteſt: omnem, quam leuis etiam ea, aut exigua aeſtimetur, iniuriam, his hominibus, tanquam Principis miniſtris, illatam, in Dominum eorundem, haud minori iuſtitia, quam clementia inclitum, redundare. Ac ne quid vobis diſſimulemus; hoc militibus in mandatis eſt datum: vt vexatores poſtea ſuos confeſtim & grauiter vlciſcantur. Pro paterno igitur in Vos affectu, omnes ac ſingulos hac ſcriptione monemus: ne de iſtorum hominum vllis, ſiue in ſtatione ſua locatis, ſiue eo deductis, ſiue in alio loco obuiam ſibi venientibus, ludum iocumque facere, aut quamcunque moleſtiam ipſis creare, ſuſtineatis. Secus qui fecerint; illi cum damno in poſterum ſuo experientur, quae vel credere nobis, vel ſuſpicari antea noluerunt. P. P. ſub Acad. ſigillo, d. XX Auguſti, CIↃ IↃCCXV.

XV

NOn poſſumus non illorum peruerſitatem ac proteruiam vehementer mirari, qui cum ex libris & cathedris doceantur, honeſte, ac ſine offenſione

ne proximi, eſſe agendum; ita tamen licenter ſe gerunt, vt nullas non honeſtatis & innocentiae rationes peruertere ac turbare ſuſtineant. Quali numero atq; ordine, haud immerito illi habentur, qui aliorum nuptiis & conuiuiis, ad ſuam laſciuiam & audaciam, abutuntur; ſeque in aedes ipſorum & conclauia ingerunt; patinasque & pocula impudenter exhauriunt; quin & choreis ac luſibus conuiuarum, cum rixis plerumque & contentionibus, ſeſe immiſcent. Excuſatius forte acturi, ſi vel barbari vel milites forent; aut ſi ius aliquod, iurisque ac legum, in quas huc aduentantes iurarunt, ignorantia, pro ipſis pugnarent. Iam cum, ſibi quid congruat? & noſſe poſſint iidem, & debeant; & temeritate ac impudentia ſua, ordinem noſtrum contaminent; proinde a poenis, quas in turbidos peruerſosque eiusmodi ciues ſtatuimus, immunes aut liberi eſſe haud queunt. His igitur ipſis nos vlciſcemur deinceps maleferiatorum audaciam; atq; grauiter omnes, qui, quae vel ſupra adduximus, vel quae ſunt iſtis ſimilia, deſignabunt, coercebimus; quin & publice, ſi res tulerit, proſcribemus. Nam reipublicae intereſt, ſicut ſecuritatem omnium, ſic honeſtatem ordinis praecla-

riſsimi, cum prauorum ac inquietorum exilio etiam conſeruari. P. P. ſubAcad. ſig. d. XXVI Aprilis, CIↃ IↃCCXIII.

XVI

NOn eo ſolum propoſito, hortos ac vineas colere & amare ſolemus; quo ſeueriora in illis negotia diſtinguamus, atque a curis publicis ac domeſticis reſpiremus; ſed vt laboris ſumtusque impenſi praemia reportemus; & pro variis anni temporibus atque partibus, fructus varios colligamus. Qui ſicut ex Dei datoris benignitate ac munere aeſtimandi ſunt: ita perperam ac iniuſte cum poſſesſoribus agitur; quum per aliorum malignitatem ac fraudem, ea eripi ipſis ac tolli, contingit, quae ex largientis haec Numinis voluntate, cultus ac impenſarum factarum commoda eſſe debebant. Neque indigniora aut pati, aut dicere poteramus, quam illos etiam ipſos, qui ad humanitatem ac modeſtiam nati educatique ſunt, proterue ac turpiter adeo in aliena graſſari; vt non poma duntaxat ac vuas nocte dieque rapiant; ſed & frutices, vitesque ac arbores, vnde plura in poſterum bona, ma-

Digitized by Google

maioresque deliciae ſperabantur, more hoſtium, confringant ac perdant. Ita quidem habemus: ab elegantibus, morisque honeſti iuuenibus, quos florum nos inſtar, in horto hoc academico, colimus ac fouemus, ingentem hanc petulantiam & malitiam procul abeſſe; neque eo hic nomine traducendos, ſed propter erectae, & ad ardua quaeuis propenſae indolis bonitatem, maximopere laudandos venire. Qui autem a ſcopi & ordinis ſui praeſtantia, factis tam turpibus ac nefariis, in virtutum hac officina recedunt; illi cogitent, quaeſumus, ac ſecum perpendant: ſi eadem forte, quae ipſi nunc aliis inferunt, detrimenta, ſibi ab aliis, inimicis aut ciuibus, aliquando importarentur; quae non inuocaturi numina in vindictam celerrimam eſſent; niſi raptorum prauitas ac audacia a iudicibus iuſtis coerceretur. Pudetque nos ipſos propemodum: eiusmodi fere edicta, ad literatos, ſpeique praeſtantioris iuuenes, dirigi nunc a nobis debere; qualia ab Aureliano caeſare, militum quondam leuium ac infrunitorum licentiae, apud Vopiſcum, opponebantur: Nemo aliquid alieni rapiat; vuam pomumque nullus auferat; ſegetem nemo deterat; nec de lacrimis ciuium aut damnis viuendum,

exiſtimet. Secus enim qui fecerint, & ſe juxta ac athenaeum hoc proſtituerint; illos carcere, & exilio, atque aliis modis plectemus, inq; ordinem redigemus. P.P. ſub Acad. ſig. D. X Octobr. CIↃ IↃCCCXI.

XVII

PAtris patriae ſereniſſimi interdictum ſeuerum, typisque excuſum, & hoc tempore promulgandum: quo & lignorum, quae fluuio Sala ad oppidum noſtrum vehuntur, ereptio; & bombardarum, quas dicunt, in area illa ampliſſima, vbi lignorum huiusmodi ſtruem facere ſolent, vſurpatio & exploſio, prohibentur; nouiſſime ad nos delatum eſt. Equidem illud vel credere, vel ſolummodo ſuſpicari, nefas putamus: quod iuuenum ſtudioſorum nonnulli, vsque eo ſui ordinis atque decoris obliuiſci vllo tempore poſſint; vt haec ligna ſubducere aut furari ſuſtineant. Fas interea, & cum id Princeps prohibeat, neceſſarium arbitramur: ne ſclopi in poſterum, aut tormenta aliqua, illo in loco exonerentur, vbi & homines, in hortis praeſertim adiacentibus obuios, globis igneis laedi, & aedes ac ianuas perforari & fran-

frangi, aliquando contingit. Certe alia multo iuuenibus literatis congruunt atque incumbunt; neque aliquid a virtutis humanitatisque ſtudiis tam longe abhorret, quam incommodum aliis & noxam afferre. Igitur de plerisque ciuium, ea ſaltem in re, bona omnia nobis aliisque promittimus. Refractarii autem & petulantes malo mox ſuo experientur, quam grauis atque intolerabilis ira Principum eſſe conſueuerit. P. P. ſub Acad. ſig. D. VI April. A. CIƆ IƆ CC XVI.

XIIX

TVrpe dictu eſt, in hoc religionis atque virtutum omnium templo, profanos aliquos abiectosque iuuenes, diebus his extitiſſe; quos neque humana ratio, neque praecepta diuina, neque academicae leges, in quas iurarunt, deterrere adhuc, aut ſaltem inflectere potuerunt; ne viros honeſtos, nedum ſuperiores, ſibique praepoſitos, iniuriis ſceleſtiſſimis, quin ſcriptis quoque famoſis, laceſſerent. Atqui adeo impudenter mentiri, tantoque odio ac liuore in alios concitari, laedendique homines praeſtantiſſimos, &, quantum in ſe eſt po-

poſitum, euertendi, cupiditate nefaria, atque penitus deteſtanda, ardere; haec vero omnia a natura ac officio hominis, qui ab humanitate ſortitus eſt nomen, procul abeunt atque abhorrent. Nam quae aliquis ſibi haud velit fieri, ea ne alteri faciat; neque adeo damnum cuiquam vel iniuriam inferat; illo Dei iuſtiſſimi dicto iubemur, quod menti & conſcientiae noſtae inſcriptum, atque ſic, vt deleri haud poſſit, impreſſum eſt. Impietatis profecto vltimae crimen a gentibus cunctis habetur: id, quod debetur alteri, & a Numine ipſo tribuitur, ei detrahere; exiſtimationemque ipſius & famam, quae vita nobis carior eſſe ſolet, mendaciis & conuitiis foedis minuere, ac, ſi fieri poſſit, extinguere. Quae res indigna adeo & infanda, redemtori humani generis, Chriſto eſt viſa; vt homicidio eam, contra praeceptum Numinis quintum commiſſo, aequipararet; quin Gehennae ſupplicio dignum hoc facinus iudicaret. Notae etiam, paſſimque a iuris doctoribus inculcatae, Iuſtiniani imperatoris ſunt leges: quibus libri, ad infamiam alicuius compoſiti, auctor, infamis ac inteſtabilis eſſe; & pro obiecti criminis ratione, vel interfici, vel poena alia plecti; ſcriptum vero huiusmodi in

car-

carnificis manum tradi, & concremari iubetur. Sancitique, ceu dicitur, Carolini edictum, vſu adhuc in curiis & iudiciis noſtris receptum eſt: vt, qui ſcripturam, aut verba aliqua contumelioſa, in alterius famam confinxerit, repertusque, haec non probauerit, flagris caedatur; qui vero eiusmodi literas prius inuenerit; is vel rumpat easdem; vel auctoris famoſi ac impii cauſam incurrat. In praeclararum artium officinis, illos ſimiliter homines, apud quos honeſtas pro ioco, ſcriptioque famoſa pro laudabili facto habetur, non excludi tantum literatorum commercio, ſed infamia quoque notari; inter alia, iſtius etiam academiae inſtituta, quin & exempla loquuntur. Quod animaduerſionis grauiſſimae genus, non minus & nos, ſcriptorum, quae diximus, ignominioſorum auctoribus, quam primum delati ad nos atque conuicti fuerint, infligemus. Et vt Paſquini huiusmodi, qui latere plerumque in tenebris, cum inferorum furiis, ſolent, tanto facilius citiusque in lucem protrahi queant; propterea illos, qui ſcriptionum tam turpium conditores denunciauerint, non reticere tantum; ſed duodecim quoque imperialium praemio

con-

confeſtim donare, decreuimus. P. P. ſub Acad. ſig. D. XIX Aug. CIↃ IↃCC XVI.

XIX

INter ſiniſtra adhuc, & luctuoſiſſima huius academiae fata, & hoc quoque habendum eſt: quod vrbis iſtius non tantum aedificia, ſed & itinera, a quibusdam tenebrionibus; partim ebriis, atque turpiter petulantibus; partim ad rapinas & furta paratis, minus tuta redduntur. Hi enim, ſiue aleatores ac fures, ſiue ſtudioſorum ciuium nomen mentiti; veſpera quauis & nocte, per plateas ac forum vagati; laruisque vtplurimum, & habitu alieno induti; modo candelas & faces extingui, imperioſis clamoribus iubent; modo pallia, pileosque ac mitras, hominibus obuiis, aliquando & fugientibus, vel furtim ſubducunt, vel violenter, inflictisque etiam plagis, eripiunt. Nondum quidem ad eam plane opinionem moueri nos patimur: quod ex noſtratium, ac vere literatorum numero, quisquam extiterit, aut deinceps futurus ſit, qui ad leuium adeo, & famoſorum hominum gregem, peſſimo ac nefando conſilio, ſeſe adiunxerit,

xerit. Sed verendum eſt tamen, ardelionum iſtorum, qui veſtitu ſaltem, cultuque externo, academicorum ſpeciem prae ſe ferre dicuntur, prauitate ac fraude, ipſe iuuenum ſtudioſorum optimus atque honeſtiſſimus ordo, in famae tandem exiſtimationisque periculum adducatur. Sicut ergo beneficentiſſimus, atque publici boni ſtudioſiſſimus Princeps, pietatis ac diſciplinarum hoc domicilium in oculis ferre, & prorſus in deliciis ſuis habere conſueuit: ita Veſtri honoris, ac ſecuritatis academicae intereſſe putauit: vt noctibus poſthac ſingulis, circuitores armati, in foro ac vicis oppidi, turbatores iſtos furunculosque nocturnos; ſiue externo habitu, ſiue facto etiam ipſo proditos; ab hodierno die vsque aggrediantur. Veſtrum erit, carisſimi! vt bonum hoc oppido & praeclarum, veſtroque inprimis coetui ſalutare, Patris patriae inſtitutum, etiam atque etiam nobiſcum laudetis; & ab hominum, ſuo merito ſuſpectorum, conuerſatione & conſuetudine, longisſime recedatis; nullamque peruerſitatis iſtius ſpeciem, ſiue inſanis vocibus, lucernarum atque taedarum lumina prohibentibus, ſiue vultibus atque veſtibus fictis, ſeu quocunque alio noctis abuſu, Vos praebeatis. Ac ne caſu fortas-

taſſe aliquo, ciues noſtri cum aleatoribus, aut innocentes cum ſontibus confundantur; iſtud inſuper e re Veſtra ſtatuimus: vt poſt coenam, quoad eius fieri poterit, intra muſea Vos veſtra contineatis; neque temere per nocturnas tenebras, aut ſine accenſis facibus, in publicum prodeatis. Quid? quod ſua cuiusque conſcientia, ad impediendum etiam malum diuinitus obligata, hoc omnino depoſcit: vt, ſi iſtius furfuris homines, ſiue certis, ſiue probabilibus ſignis, cuiquam innotuerint; id ſenatui noſtro aperiat, ac ſine mora denunciet. Quae res, in Prorectoris academici ſinum depoſita, ſicut tecto cuiusuis nomine, clam prorſus habebitur; neque vllum vel odium, vel periculum, cuiquam conflabit: ita ad deferentis, tanquam ciuis ingenui ac probisſimi, laudem, & totius ſtudioſorum ordinis excuſationem ac decus, expediet. Quodſi praeter ſpem atque opinionem noſtram, huius generis delictorum crimine, aut ſuſpicione, iuuentutis academicae florem quis maculauerit; eum, veluti vlcus & carcinoma academiae, ſeuerisſimis atque acerbisſimis modis, pro eo ac par erit, tractabimus. P. P. ſub Acad. ſig. die XIIX Dec. A. CIↃ IↃ CCXII.

XX Ma-

XX

MAgnae, haud leuitatis tantum, ſed & veſaniae argumentum, ab hominibus cordatis habetur, in diſcrimen aliquod, ſe non minus, quam alios, ſine cauſa vocare. Vnde per Vos intelligitis, ciues cariſſimi! quid de ordinis veſtri nonnullis, noctu per vrbem vagantibus; & inter cetera petulantiae prauitatisque ſpecimina, faces ardentes imprudenter iactantibus; neque raro in aedium tecta vibrantibus; iudicare conueniat? Huiusmodi quippe intemperiis, ſicut metus ac trepidatio cunctis iniicitur: ſic incendii ſimul periculum aedificiis noſtris ac rebus infertur. Multum quoque, temeritatis hoc genere, veſtri ſtatus ac nominis dignitati; quin & academiae noſtrae honori detrahitur. Quare omnes ac ſingulos, ſcriptione hac publica compellandos, atque ſerio cohortandos duximus: ne nocturno tempore, quod quieti ſecuritatique eſt datum, tam proterue ac nequiter abutantur; neque faces & ignes amplius parietibus tectisque iniiciant, aut illidant; vel quibuscunque aliis modis, periculi quid habentibus, taedas, aut ligna accenſa poſthac vſurpent, vel vſurpari a pue-

ris ſeruisque, permittant. Nam qui ſecus in poſterum facient; in hos illico animaduerſiones grauiſſimas, relegationemque publicam ſtatuemus. P. P. ſub Acad. ſig. d. VIII Iunii, cIↃ IↃ CCXV.

XXI

PRo paterna in omnes beneuolentia, Vos iterum alloquendos, o noſtri! & vt caſus haud vnos: qui certam nonnullis ignominiam; aliis vero atrociorem adhuc perniciem attulerunt; virtute veſtra anteuertatis, commonefaciendos cenſuimus. Qui excubias prouocant; vel certamen inſulſum cum ciuibus atque ruſticis ineunt: illos & imprudenter ſe gerere; & a ſtudiorum ſuorum, omnem barbariem excludentium, inſtituto procul recedere; & quid honeſtum aut turpe exiſtat, parum conſiderare; per ſe etiam quisque intelligit. Maior eſt ordinis veſtri exiſtimatio, maior dignitas; quam vt ea aut aeſtimari a vulgo ignobili queat, aut labefactari a vobis debeat; quos tueri nobiscum, atque augere decora iſta, oportet. Et quanta eſt, quaeſo, temeritas? eos laceſſere ac offendere, quibus in promtu ſunt arma,

quae

quae capiant ac expediant; & qui verba non raro verberibus, plagisque ac caedibus vlciſcuntur? Quo enim non proripi ſolet animus? quando ex ira impetum capit; acceptaque iniuria, ad cupiditatem vindictae impellitur; ac deſperationi iam proximus, ſenſum iuxta & rationem amittit? Magno iuſtoque nos ipſi dolore angimur; pudetque ac taedet nos noſtrae miſeriae: quoties per noſtrorum temeritatem ac licentiam, res eo deducitur; vt defendendi eosdem, contra agreſtes & tantum non barbaros homines, omnis nos ratio atque facultas deſtituat. Obuerſatur adhuc ante oculos noſtros, proximum atque atrociſſimum ſcelus: quo duo ex literatorum ordine, inter ſaltandum proſternebantur; & vt pagus vicinus, ſic athenaeum pariter noſtrum funeſtabatur. Acceſſit ſuperiori hebdomade, recens proh dolor! atque infauſtum hominis relegati exemplum: qui a ſtationario milite ita exceptus ſauciatusque eſt; vt morte mox ſua inconſideratam audaciam lueret; cumque ex oppido noſtro, id quod iuſſus fuerat, ante ſolis occaſum excedere omiſiſſet; paruo poſt tempore, e vita exiret. Viuit adhuc, videtque omnia & perſpicit Deus: graues de maleferiatis hominibus poenas ſumturus;

imo aliquos, emendari in vita hac recuſantes, voto ſuo atque opinione citius erepturus. Quod ne in Vos expetat, ciues! & ne pari malitia, Dei ac Principis iram aduerſus Vos concitetis; ſatius iudicabitis, dehortantibus ac vetantibus morem gerere; quam exiſtimationem deinceps, quam ſalutem & vitam, in periculum praeſens inferre. P. P. ſub Acad. ſig. d. XV Iulii, cIↃ IↃ CC XVII.

XXII

QVi reipublicae alicuius, in qua agere geſtit, inſtituta ac mores contemnit; is non melior arbitrandus eſt milite, qui officio militis haud ſatisfacit, neque ordinem ſuum tuetur. Quo malitiae leuitatisque genere cenſeri merentur, qui ſub ingreſſum academiae, inter academicos referri haud volunt; & quem animum afferant, in magiſtratus videlicet iuſſa peccandi, atque omnia ciuis honeſti munia ſusque deque habendi; haud obſcure amplius, ſed aperte teſtantur. Quorſum enim hi iuuenes, quod ſibi honori alii ducunt, ſua apud Rectorem nomina profiteri ac ſcribere dubitarent? niſi ea facinora ſibi propoſuiſſent, quae,

ſi

ſi auctores duceſque iſtorum non latitare, ſed in notitiam magiſtratus venire, contingeret; grauem iuſtamque animaduerſionem incurrerent? Quam improbos vero ac deſperatos vtplurimum iſti ſe gerunt; tam imprudentes etiam atque excordes apparent; quando ab aliis, dum ſe non ipſos detulerint, ſe deferri prodique haud poſſe, exiſtimant. Hoc igitur ipſo, quod ciuium reliquorum numero atque albo ſe eximunt; non ſuſpectos tantum, ſed & indignos ſe praebent, qui in coetu conſortioque noſtrorum amplius tolerentur. Quae propediem poena ad omnes perueniet, qui ad frugem redire, &, quod facere in rebus publicis cunctis oportet, matriculae noſtrae ſua nomina dare, vel noluerint, vel tergiuerſati fuerint. P. P. ſub Academ. ſig. d. IX Jun. cIɔ Iɔ cc vIII.

XXIII

PRaeter boni ac morigeri ciuis egiſti officium, Marce Piſo! qui licet ad cauſſam dicendam, ſemel ac iterum per miniſtrum accitus; Tui interim nobis copiam haud feciſti. Quodſi militibus vituperio ac vitio datur, auerſari impera-

ris bellici vocem, & vadimonium non obire; neque Tu crimine & culpa vacabis: qui iurando promiſſum fidei ac obedientiae genus, in hunc diem vsq; haud praeſtitiſti. Ne vero hanc leuitatem ac pertinaciam impunitam penitus fore, exiſtimes; propterea ex hoc publico loco, ſeuera admodum, & , vt recepto in iudiciis more loquamur, peremtoria ratione citatum Te volumus: ac, niſi cras, hora tertia, in ſenatus conſeſſum prodieris, & ad obiecta reſponderis; ea aduerſus Te, pro confeſſo atq; conuicto habitum, decernemus; quae omnino decerni, contumacia & prauitas Tua requiret. P. P. ſub Acad. ſig. die IV Maii, A. cIↃ IↃ CCXIV.

XXIV

VErus vitae ſedulitatisque academicae fructus aliter capi haud poteſt; quam ſi ea colatur ſapientia, quae Dei magiſtratusque reuerentia ac obſequio continetur. A quo longiſſime, Caie Fabi, Marce Pollio, Lucique Metelle! culpa & pertinacia veſtra, adhuc abeſtis. Vt enim Vos duo priores, arreſti, quod dicunt, vinculum violaſtis: ita Tu, qui tertio loco appellatus es, tuo no-

nomine, per ſemeſtre hoc tempus, in tabulas academicas nondum relato; cum officii Tui admonereris, turpem ſimiliter fugam arripuiſti. Neque eſt, quare improbitatis hoc genus; quod & legibus noſtris aduerſum, & diſciplinae publicae valde eſt noxium; impune penitus Vos laturos, exiſtimetis. Imo Vos omnes ac ſingulos, die XXVIII aprilis, in academiae noſtrae iudicio comparere iubemus; ſiue cauſam, pro eo ac par eſt, dicturos; ſiue animaduerſionem tunc iuſtam & ſeriam ſubituros. P. P. ſub Acad. ſig. d. XIII Martii, CIƆ IƆ CC XIII.

XXV

NVlli hominum, damni malique aliquid dandum eſſe; naturali equidem iure praecipitur; quin a paganis ac Turcis probatur; re vero id ipſa, a chriſtianorum plurimis, non ſine religionis intertrimento ac ignominia, ſusque deque habetur. Parum hoc ſane curabas, Caie Cæcina! quando magna nimium violentia, aduerſus cauponem aliquem, iſtiusq; vxorem, nouisſime vtebaris; inque fugam, a ſuperioribus interdictam, poſt paulo Te conferebas. Et quis ſenſus nuperrime

fuit armorum tuorum, Caie Torquate? dum in plurium conſpectu ac ore, cum conterraneo dimicares; duellique ſpeciem haud leuem praeberes; quin etiam vulnus aduerſario tuo infligeres. Tua porro nocendi cupiditas, Marce Appi! ex fraude, creditoribus facta, ruptoque arreſti vinculo, ſatis eluxit. Vos itaque tres, prima, ſecunda, tertia vice, citamus; atque ad diem XI Iunii, cauſam dicere in ſenatu, iubemus; iuſtis certisque animaduerſionibus, vbi contra feceritis, coercendos. P. P. ſub Acad. ſig. d. XXI Aprilis, CIↃIↃCCXIII.

XXVI

TAm iurisiurandi academici, quam cuiusuis alterius, in magiſtratus conſpectu ſollemniter dati, cura pariter ac religio, ſancta omnibus, literarum hic ſtudia exercentibus, eſſe debet; quum hoc iuxta & illud, Deo teſte ac vindice, fiat; atque formulam, pie nobis ac reuerenter habendam: ita me Deus adiuuet! complectatur. Cuius nimirum beneficio, huc nouiter aduentantes, ſuaque apud nos nomina profitentes, ſicut ſingulis legum ſancitis, ſic ſeme-

meſtris cuiusque prorectoribus, tanquam iſtarum cuſtodibus, omni tempore ſe obtemperaturos; neque aliter vnquam facturos; ſeriis deliberatisque animis pollicentur. Nihil proinde eſt aequius, quam vt indicti a magiſtratu arreſti, ceu vocant, permanendi vinculum, fori noſtri ex vſu, ſignificantis, magna & ſancta a ciuibus ratio nunquam non habeatur. Absque hoc enim ſi foret; arcta multis, nimisque moleſta & ſumtuoſa cuſtodia; dum cauſa ipſorum cognita ac deciſa, cautioque adhibita, ex ſuperiorum decreto, fuerit; conſtringendi venirent. Sicut vero humanitatis haud paruae, quin fiduciae, in literatorum quorumuis conſcientia poſitae, hoc argumentum exiſtit: quod grauioris carceris loco; licet a creditoribus iſte moroſis efflagitetur; dictum modo arreſtum inualuerit: ita vinculi huius neceſſariam, ſummamque haud immerito curam magiſtratus academicus habet; & violatores eiusdem ſcripto publico citat; ac, niſi mox comparuerint, cauſamque defenderint; relegationis publicae poena vlciſcitur. Quia igitur Vobis, Caie Lentule, & Marce Volumni! ob clamores contentionesque nocturnas, abitum interdiximus, ſiue, vt iuriſconſultorum

verbo vtamur, arreſtum impoſuimus; & hoc tamen contemto, ſpretaq; adeo iuriſiurandi religione, e ciuitate Vos noſtra proripuiſtis; idcirco & Vos, prima, ſecunda, tertia vice, peremtorie, vt aiunt, citamus; atque ad diem mercurii, in ſenatus concilio adeſſe iubemus; pro confeſſis pariter & conuictis, ni vocati ſic, parueritis; poſt paullo habendos; quin relegationis publicae poenam, veſtro merito ſuſcepturos. P. P. ſub Acad. ſig. D. XXII Febr. cIↃ IↃ CCXVI.

XXVII

DOlendi propemodum cauſam tua habet malitia, Aule Herenni! quae ex vno facinore Te praecipitem in tot alia, diebus his egit; dilataque nonnihil animaduerſione, licentius adhuc inualuit; & contra datas a ſummis principibus leges, iterum atque iterum Te armauit. Neq; enim haec tua temeritas ſatis habuit, ſi eiusmodi aliquid, quod duorum annorum cuſtodia dignum eſſet, patraret; ſed effracto carcere, magis mox roborata eſt; atque ad inuadendos alios, gladioque ac fuſte percutiendos, quin imo ad excutiendas feneſtras,

Te

Te concitauit. Atque publico quidem te ſcripto citauimus ; & tua nouiſſime cauſa, ad aulas perſcripſimus. Sed noſtra Tu patientia, multo deterior euaſiſti, religionemque obſequii violaſti ; dum commilitonem adortus , inque vicina academia , furti turpisſimi accuſatus , Tui iterum ex hoc loco citandi necesſitatem iam nobis impoſuiſti. Si proinde ad diem XXIV decembris, in ſenatu adeſſe, cauſamque apud nos dicere, dubitaueris ; ſcire ſaltem Te volumus, relegationis publicae poenam, cum nota infamiae, Te certo laturum. Quem in finem, Te prima, ſecunda, tertia vice, &, vt loqui eſt moris, peremtorio edicto citamus. P. P. ſub Acad. ſig. D. VI Nouembr. A. CIↃ IↃCCCX.

XXIIX

NVllius hoc dari malitiae aut proteruiae debet; vt diſciplinae academicae limites, cum bonorum omnium indignatione, transſiliat ; & mox, quaſi re bene geſta, fugae & contumaciae beneficio, de conculcatis legibus velut triumphet. Poſtquam igitur Vos, Aule Alliene, & Cneie Sulpici! contentionis illicitae, violati-

olatique edicti, a Principibus promulgati, perſugium, in diſceſſu a nobis vetito, licenter ac temere quaeſiuiſtis; neutiquam hoc inultum impunitumque feretis. Neque Vos, Iuli Craſſipes, & Marce Rutili! quorum prior, poſt tumultuationem nocturnam; alter vero, cum ſocii caput vitro laeſiſſes, rupto arreſti vinculo, abiiſti; animaduerſionem, Veſtris facinoribus dignam, euitabitis. Quod ne fiat, prauoque exemplo aliis eſſe queat; Vos hodie omnes ac ſingulos, ad diem XXXI auguſti, cauſſas veſtras in iudicio academico orare iubemus; niſi obtemperaueritis, poenas grauisſimas, in que legibus imperatas, poſt paulo daturos. P. P. ſub Acad. ſig. d. XIIX Iulii CIƆ IƆ CC XVI.

XXIX

Non praeceptis tantum ac legibus opus eſt; ſed ad exempla & poenas, cum res exigit, venire oportet. Niſi enim ſeueriora interdum remedia otioſis prauisque hominibus opponantur; latius ſerpunt indies vitiorum contagia; ſalutemque publicam, ac diſciplinam antea cultam, & labefactant,

&

& perdunt. Cumque efferueſcentem ſaepius loliorum luxuriem, agrorum cultores etiam coercere, &, quicquid herbarum inutilium ſalutarem impedit frugem, tollere ac eradicare conſeuerint; multo minus ferendi in republica erunt, quorum ſic inualeſcit atque graſſatur improbitas; vt conceptam de melioribus ſpem euertere ac fruſtrari pariter videatur. Et ne exemplum deesſet; pridem eſt, ex quo tu, Quinte Lepta, futilitate & malitia Tua, laedere alios, alios vero corrumpere, Te dignum putaſti. Interiecto poſt tempore, propter initum cum commilitone duellum, arceri iam a noſtrorum conſortio merebaris; niſi cauſae tunc graues intercesſiſſent, cur id infimis obſecranti precibus, & fortunarum quarumuis periculum deprecanti, parcere, & mitius aliquid in Te ſtatuere, nobis ſatius videretur. Nouisſime autem, eo tua erupit veſania; vt die quantumlibet feſto, pacisque memoriae ſacro, nocturnos, vna cum ſociis Tuis, tumultus cieres; ac tum ciuium oppidanorum nonnullis, tum alicui ex profesſorum corona, domus ſuae feneſtras perfringeres. Ex quo tempore, & inpoſitam Tibi manendi neceſſitatem, & triplicia, quibus mox citabaris, edicta, & ipſam ſimul magiſtratus aucto-

ctoritatem pro ludo iocoque habuiſti. Sicut igitur omnem virtutis ac verecundiae ſenſum Tu excluſiſſe es viſus: ſic ab academiae noſtrae Te finibus, plane ac in perpetuum, die praeſenti excludimus. Idque ea nunc lege volumus ac iubemus; vt Tu haud ſecus, ac tuo exemplo alii, ad meliorem poſtea frugem reducamini. P. P. ſub Acad. ſig. d. xxi Ianuarii, An. cIↃ IↃ CC v.

XXX

DVm indignari denuo prauis moribus, labantemque academiae diſciplinam exemplo firmare, rationes publicae cogunt; obuerſatur animis chorus ille apud Euripidem, vere ſtatuens: illos Dei non minus, quam magiſtratus vindictam incurrere, quorum licentia, ad infringendam legum auctoritatem, violandamque iuſtitiam, per quosdam veluti gradus procedat. Turpe dictu eſt, alienos a Deo homines, quos paganos dicimus, ſanctiorem, vt iudicandi, ſic viuendi ſaepius rationem ſecutos fuiſſe; quam aliqui noſtri ordinis conſueuerunt: qui, quantumlibet meliora edoceantur; aſt ita tamen ſe gerunt, vt

vt non gentibus tantum incredulis, ſed ipſis ſaepenumero feris, deteriores immanioresque exiſtant. Quod annon de Te conueniat dicere, Ampi Balbe? illi iudicent, qui ex dictis factisque, de cuiusque hominis indole, pro eo ac par eſt, exiſtimant. Haud adeo multum abiit tempus, quod graui commilitonem conuitio, contra datam magiſtratui fidem, repetitis tot vicibus, proſcidiſti: &, quaſi infamis effici a priuato poſſet priuatus; comparato ad ignominiam titulo notauiſti; quin ſtricto deinceps gladio petiiſti; tranquillitatemque ſic publicam turbauiſti. Qua de re eam in Te promulgabamus ſententiam; quam leges, quarum cuſtodia nobis eſt credita, iam olim tulerunt: Teque oppido noſtro excedere, ac reſipiſcere iubebamus. Hac vero audita, nouis Furiis ad nouum furorem impulſus; aduerſarium tuum, in platea obuium, emta ad eam rem taurea excepiſti, nimisque turpiter habuiſti. Quale quidem proteruiae genus, ſi impune regnaret; deque fracta hoc modo ſenatus auctoritate, & tranquilitate academica, quendam quaſi triumphum ageret; nae innumeros ea mox Catilinas, omnem perturbaturos rempublicam, & quicquid iuſtum ſanctumque eſt, breui

ui tempore perdituros, ab inferis excitaret. Te proinde, Ampium Balbum, perniciosſum hucusque noſtro ordini hominem, ac velut Catilinam Ienenſem, a ſocietate hac noſtra quam disiunctiſſimum eſſe volumus: & vt in omne poſtea aeuum hinc exules; infelicis malitiae, Tibi non minus, quam aliis, documento futurus; quanta maxima fieri poteſt, ſeueritate edicimus. P.P. ſub Acad. ſig. d. XV Septembr. A. cIↃ IↃ CC VI.

XXXI

TAntum abeſt, vt pudeat quosdam Veſtri ordinis, cum infima quoque & abiectisſima plebe committi; vt ne comminationibus quidem ac poenis deterreantur. Vnde factum eſt, vt ſenatus hic oppidani praeconem, ab impetu nonnullorum iuuenum, conuitiandi criminandique libidine contra innocentem ardentium, vix defendere adhuc licuerit. Inter quos Tu nuper fuiſti, Caie Plance! contumaci caecaque propteruia, qua edictum, relegationis poena ſancitum, violauiſti, hoc tandem promeritus; vt a ſalanae iſtius conſuetudine ad anni vnius interuallum, excludereris. Quam Tu animaduer-

uerſionem contemtim adeo habuiſti; vt proſcriptionis exemplum in patriam afferendum, requireres; noctemque praeterea illam, qua excesſiſſe Te vrbe hac oportuerat, magno tubarum tympanorumque ſtrepitu, & multis praefacti, pronique ad vltionem animi documentis editis, inter noſtros exigeres; et, quod leuius atque excuſatius Tibi tunc videbatur, delictum, pluribus, atque nequioribus auſis exaggerares. Inter haec, velut re bene geſta, tam obſtinatae mentis fuiſti, vt per hos aliquot dies, tum intra moenia noſtra, tum extra eadem ambulando, Te palam conſpiciendum praeberes: atque adeo cunctis conſtaret, quam vilem ſenatus Tu academici iram auctoritatemque putares. Quare, vt habeas publicum, & ad plures iam peruenturum, factorum tuorum teſtimonium; en ecce! ſcriptura hac, typis mandata, auctaque pro merito poena, abeſſe Te per quinquennium totum iubemus! ſerio Te monentes, vt ad frugem redeas; & modeſtiam, cum pietate in Deum, ac reuerentia magiſtratus, ſecteris. Vos reliqui, ſi quibus adhuc pari placet licentia inſanire; hoc tandem exemplo edocti, vel infimae ſortis mortalibus vllas vnquam iniurias aut probra in-

 ferre,

ferre, fœdum facinus, & infra hominis docti exiſtimationem ſtatuite. P. P. ſub Acad. ſig. d. VI Martii, A. cIɔ Iɔ cc vII.

XXXII

POſtquam Numinis benigni inſtinctu, ſereniſſimi Principes, pugnis ac litibus temerariis, pacato reipublicae ſtatu, inteſtini ſpeciem belli praebentibus, interdicta grauiſſima, & iuſtiſſimas poenas oppoſuerunt; illud ſimul genii inimici conſilium, quo is academiae huius ſaluti & famae, non ſine ſucceſſu, inſidiabatur, diuina ſua prudentia exploſerunt. Nam cum, huius ipſius Furiis concitati, ciues ciuibus, amici amicis, extremam interdum perniciem, ac mortem ſaepius ipſam inferrent; athenaeum tunc noſtrum, non pietatis amplius, ac honeſtioris doctrinae ſacrarium; ſed nequitiae & omnis licentiae ſtabulum, apud exteros, aliquando etiam apud vicinos, flori noſtro, vt ſolet, ac decori inuidentes; nulla vtique culpa noſtra, quin reclamantibus tot ſenatus edictis, & malitiae vindicatae exemplis; vndique audiebat. Iam, emendatis apud nos, & plane compoſitis rebus: atque ciui-

uibus noſtris; ſi pauciſſimos, indomitis equis ſimiles, &, ſuo ipſorum exitio, frenum mordentes, excipias; vitam, nouis his legibus conſtitutam, ſine tumultu ac vitio tranſigentibus; & decus, quod ordini noſtro conuenit, virtute ac obſequio, comparantibus; Tu, Quinte Papiri, ex aliis regionibus, hoſpes parum vrbanus, ac valde incommodus, & iuris diuini pariter ac humani oblitus, huc aduolaſti; inculpatos hic ſtudioſorum iuuenum mores Tua licentia corrupturus; diſciplinamque academicam, quantum in Te poſitum foret, euerſam penitus atque extinctam apud nos redditurus. Nam aliorum ſocietati Te ingerens, & faſtum quendam inſolitum prae Te ferens; neque magis occaſione a reliquis data, quam furore tunc Tuo impulſus; aduerſariorum tuorum aliquem, quamuis corporis & animi robore Te longe ſuperiorem, inaudito temeritatis genere, primum conuiciis, tum verberibus impetebas. Cum autem, vt ipſe fateris, inferior ex hoc certamine disceſſiſſes; atque ſpem, proprio marte vincendi, penitus abieciſſes; mox coacta ſodalium multitudine, ante relicti diuerſorii oſtium cum ferro comparens, ad terrores, ad minas, ad pericula, nihil

reliquum Tibi feciſti; vsque eo ad quaelibet audenda proiectus, quae abſona & probroſa, Tuaeque & aliorum ſaluti noxia eſſe poſſent. Quaſi hoc vnice inſtituto, humanitatis & iuſtitiae artibus tuum animum inſtruxiſſes; vt omnem ipſius vim, ad extremam licentiam, tuamque & aliorum ignominiam ac noxam conferres. Qui igitur omnis in Deum & magiſtratum reuerentiae ſenſum tunc exuiſti; qui ſancitas a Principibus leges, & grauiſſimis poenis cuſtodiendas, foedo facinore violaſti; qui ipſam denique relegationem, licet neutiquam tibi decoram, in minimis poſuiſti; gloriare poſthac, ſi voles, hac etiam turpitudine: hodierno Te die, in perpetuum ab honeſtarum hac artium ſede arceri; & indignum de poſtero, qui noſtrorum commercio vnquam vtaris, concordibus ſenatorum vocibus iudicari. Vos autem, o noſtri! hominis alieni exemplo admoniti, veſtros inuicem animos, non ad vitia, animaduerſionibus digna, ſed ad virtutes, certis praemiis cumulandas, ceu Veſtrum plerique laudabiliter faciunt, coniungetis. P. P. ſub Acad. ſig. d. X Febr. cIↄ Iↄ CC XL.

XXXIII

XXXIII

QVae de Nerone, ad illud malitiae ac temeritatis faſtigium tandem progreſſo, a Tranquillo dicuntur: paullatim ipſum, inualeſcentibus vitiis, iocularia atque latebras omiſiſſe; nullaque diſſimulandi amplius cura, ad maiora palam, inque oculis omnium erupiſſe; ea vero de Te, Caie Valeri! eodem propemodum iure ac merito, dici poſſe videntur. Namque excusſa animo magiſtratus ac legum reuerentia, eo demum prolapſus es; vt, ſpectantibus licet aliis, atque grauiter deteſtantibus; nihil non tibi licere ſtatueres, & contra ipſam Te diſciplinam armares. Vt autem alia furoris iam tui ſpecimina, inter tumultus ac pugnas exhibita, ſileamus; nefandus praecipue, flagitioſusque is extitit dies, quo edicti, a tuo etiam Principe, tot inuſitatis Te beneficiis obligante, aduerſus contentiones ac rixas editi, contemtu inflatus, ac ferocia plusquam militari commotus; in pago quodam vicino, ciuem nobilem, contra ciuis officium, ſemel ac iterum prouocaſti; prouocatique brachium, tanquam cum hoſte in praelio ageres, nimis crudeliter fauciaſti; ſicut eiusdem antea caput,

ceu ex nobili ſeruum facturus, fuſte percuſſeras. Tantum igitur abeſt, vt Superiorum nouiſſime lenitas mores tuos ad humanitatem ac modeſtiam finxerit; vt contumacia potius ad temeritatem acceſſerit. Cumque aliis ſua peccata pudori ſint, errantesque offendant; Tibi crimina Tua & facinora voluptati fuerunt. Vt reipublicae intereſſe iam videatur, decus ipſi, peruerſitate tunc tua ereptum, poena nunc Tua reſtitui: &, quandoquidem magiſtratus, ex fuga Te reuocantis, vtque cauſam diceres, imperantis, auctoritatem more Tuo eluſeris; Te ſimiliter indignum pronunciari, qui academiae noſtrae iuribus & commercio poſthac vtaris. Quamobrem vt in perpetuum hinc Te auferas, neque redeas vnquam; &, ne mores hi Tui, in quibuscunque aliis terris, quod fieri quidem nolimus, longe Te grauius vlciſcantur, pietate ac modeſtia caueas; ea, qua par eſt, ſeueritate iubemus. P. P. ſub Acad. ſig. die III Aprilis, A. CIↃ IↃCCXII.

XXXIV

SVmmum peruerſitatis & malitiae gradum in eo ſtatuere Plato, reconditae

tae eruditionis magiſter, eſt viſus: ſi quis non turpem ſolum, & a Deo pariter ac ſocietate ciuili alienisſimam vitam tranſeat; ſed ſibi etiam ipſe non conſtet; ac ſuae non minus, quam aliorum ſaluti noxius, inimicusque appareat. Huiusmodi ergo hominem; quia & ſempiterno Numini, & honeſtis ac bonis omnibus, & ſibi denique ipſi, apertum veluti bellum indicat; adeo malum ac perditum eſſe, pronunciat: vt omnes is homines malos ac perditos magno poſt ſe interuallo relinquat. Ex his igitur ipſe iam arbitraberis, ac, niſi contumacia Tua id prohibuerit, iudicabis, Flaui Muraena! quantum a primo improbitatis leuitatisque faſtigio abeſſe putandus ſis; poſtquam omnes, vel certe plerosque, hominis praui ac deſperati numeros, de Platonis quoque ſententia, impleuiſti. Quomodo enim vel religioſus in Deum; vel ſocietati honeſtae vtilis, aut ſaltem tolerabilis, dici potes? quorum illum delictis impiis, & magiſtratui tuo, qui Dei ſuſtinet vicem, aduerſis, laedere; hanc pugnis rixisque diſſoluere, quantum in Te foret, conatus es. Quemadmodum porro alios, quos amare decebat, hoſtili odio proſecutus es; & partim conuiciis

atque litibus prouocatos, partim crudelitati ſe tuae & audaciae opponentes, grauiter ſauciaſti: ſic repetita, & nouo facinore violata hac academia, a qua nuper proſcriptus, & nunc denuo proſcribendus es, tuae ſalutis prodigum, tibique adeo ipſi infeſtum Te praebuiſti. Vt igitur omnis tibi occaſio, Te pariter atque alios, in hac bonarum artium officina, laedendi, de poſtero praecidatur; vtque officii, Deo ac ſuperioribus debiti, vel ſic tandem admonearis; idcirco ad peregrinitatem perpetuam Te redigimus; &, quoad in viuis fueris, a conſuetudine noſtra arcemus; quia mitius in Te conſulere, cum malitiae tuae, tum exempli etiam cauſa, haud poſſumus. P. P. ſub Acad. ſig. d. XVI Octobris, A. CIↃ IↃ CCXII.

XXXV

QVam graue ac nefarium, quantique periculi plenum ſit facinus, magiſtratui, Dei ipſius imaginem ac vices gerenti, inſtitutisque illius honeſtis obſiſtere; ſicut omnium rerumpublicarum, & academiarum praecipue fatis, omni tempore comprobatum eſt: ita recenti apud

apud nos, et ad poſteram quoque aetatem memorabili tumultus exemplo, haud ita pridem apparuit. Videre profecto, nec obſcuris amplius argumentis, colligere ea tempeſtate licebat: quomodo, prauitate quorundam & contumacia irritatus, ac iuſtiſſimus Deus, aduerſo hominibus genio, & ſocietatibus probis infenſo, id interdum nequitiae ac fraudis permittat: vt ex minima, ac ſpernenda, ceu credebatur, ſcintilla, magnum atque horrendum conflet incendium; & quae, per laſciuientium atque inquietorum iuuenum imprudentiam, pro ludo iocoque ſunt habita: illis ad caſus peſſimos ac triſtisſimos, quin ad ipſa non raro homicidia, abutatur. Id, inquam, ipſum, in hoc etiam athenaeo, non ſine piorum moeſtitia ac terrore, compertum eſt; dum innocenti nos penitus, ſalutarique conſilio, de aliarum hinc inde academiarum conſuetudine, nouam tabulam, publicandis tam Principum, quam ſenatus edictis, actibusque & operis academicis, ſtato tempore nunciandis, dicatam; & contra violationis atque abuſus pericula, clauſtro clathrisque munitam; ad aedis diuinae & ſanctiſſimae fores ſuſpendebamus. Nullum equidem nobis du-

bium erat, quin mutatio haec iuſtiſſima, atque ob meliorem deinceps ordinem, a magiſtratu decreta, a noſtris etiam ciuibus, communi iurisiurandi religione, ad obſequium, ſenatusque honorem obſtrictis, aequo animo ferri, & laudari potius, quam abſurde ac temere improbari deberet. Verum aliter videbatur malefe늘riatis quibusdam hominibus, atque inferi hoſtis inſtinctu, nefas id arbitrantibus; &, inter nocturnas tenebras, orci inſani auſibus ante alia tempora valde idoneas, & quodammodo proprias, in magiſtratus hac tabula, temere ac violenter effracta, magiſtratum ſic ipſum impetere; cumque eodem hoc aſſere, promulgandis impoſterum piis atque honeſtis legibus, deſtinato, pietatem honeſtatemque academicam, quantum fieri poſſet, exſcindere; glorioſum ſcilicet, ac libertate academica dignum maxime factum interpretantibus. Ex his vero & aliis, quae ſecuta tunc temporis & patrata ſunt, ſatis, proh dolor! manifeſtum euaſit: Tuam, Iuli Cethege! ſociorumque tuorum, publicae huius tabulae, & auctoritatis adeo noſtrae violatorum, audaciam, ad horribiles illas atque cruentiſſimas turbas, ſi non Veſtra ipſorum, at geniorum certe malorum intentione, plurimum con-

contuliſſe; & omnipotentis ac iuſtiſſimi Numinis, commiſſa tunc homicidia forte in Vobis etiam aliquando expiaturi, nemeſin petulanter ac nequiter prouocaſſe. Nam Salomonis diuini oraculum, quo improborum atque factiſorum hominum lumen, in hoc etiam orbe extingui, pronunciatur; infinitis iam caſibus ac modis impletum eſt; &, niſi ad frugem redieritis, pari modo in Vobis implebitur. Ne tamen & noſtro officio, a Deo principibusque iniuncto, in hac publica & grauiſſima cauſa, minus, quam par eſt, ſatisfacere videamur; Tuum hodie nomen, Iuli Cethege, ceu ſalanae infauſtum, ex tabulis academicis in omne aeuum delemus; praeſtantiores huic academiae ciues, ac meliora poſtmodum fata precati. P. P. ſub Acad. ſig. D. IV Decembr. A. CIↃ IↃ CC XII.

XXXVI

FAlli penitus illos, qui boni atque modeſti aliquid ab ingenio improbo & contumace expectent; ſicut grauiter, cauſisque inductus veriſſimis, Turnus, de Tarquinio Superbo pronunciabat: ſic eiusdem Tu nobis ſententiae fidem,

Se-

Seic Furſani! tuae in ciuitate hac inſolentiae ac peruerſitatis exemplo, ante aliquot dies feciſti. Vsque eo, ſiue inſana ebrietas, ſiue malitia ſumma, ſiue vtraque potius, omnem Tibi rationis tunc vſum eripuerat; vt iurisiurandi, quo ad ſenatus honorem & cultum Te obligaſti, plane immemor; & nocturnis vociferationibus, nihil cum voce humana commune habentibus, cuncta impleres; & magiſtratum ſimul; quod ſimiles Tuis clamores interdicere, atque dedecus iſtud ab hoc loco auertere, auſus fuiſſet; ſtolidis quidem, at contumelioſis non minus conuiciis lacerares. Quamuis autem haec omnia, quae protinus ad nos deferebantur, tum fuga mox Tua probaueris; tum certis nonnulli teſtimoniis confirmauerint; Tuis nos tamen, aliorumque ſupplicationibus moti; & excuſatione inſuper illa, qua extremam, & qualis ſcilicet ad furorem accedit, temulentiam cauſabaris, inducti; mitius aliquanto in Te conſulere, deminutisque proſcriptionis publicae annis, Tuae adhuc ſaluti proſpicere; &, quantopere indulgentes in Noſtros, atque ad ignoſcendum omnibus, proni eſſemus, oſtendere volebamus; hac Tibi ſolum conditione propoſita, & a Te ſtatim accepta: vt ex

oppi-

oppido noſtro, ſine mora ac ſtrepitu, ante ſolis occaſum diſcederes. Quod promiſſum, in ſenatorum oculis, verbisque ſanctiſſimis factum, tantum abeſt, vt facere, aut complere, Tuarum partium iudicaueris; vt poſt quatuor dierum decurſum, hora illa, qua funus academicum ducebatur, quanta in Te ſenatus ac diſciplinae contemtio eſſet; in ore atque conſpectu omnium, demonſtraueris: & cum tot equitantium comitatu ac pompa; cornuque, curſorum publicorum ad modum, inflato; tanquam triumphum de magiſtratus legumque auctoritate acturus; in praecipuis vrbis itineribus Te adſpiciendum praebueris. Poſtquam igitur tantam contumaciam tanta Tua temeritas ſibi adiunxit; iamque exiſtimatio noſtra, ac rei academicae ſalus, tuo iſthoc facinore, in diſcrimen deuenit; non expedire amplius indulgentiam, ſed ius ac aequum exigere, arbitramur, vt Te, Seie Furfani! velut proteruum ac pernicioſiſſimum ciuem, in perpetuum hodie noſtra a conſuetudine ſeiungamus; quo, ſi Tuum lenire animum haud poterimus; aliorum forte ingenia, animaduerſionis Tuae exemplo, ad maiorem modeſtiam, ſuperiorumq; reuerentiam excitentur. P. P. ſub Acad. ſig. d. XXVII Sept. A. cIↄ Iↄ cc xlv.

XXXVII
LEGES CIVIVM ACADEMIAE IENENSIS
A MINVS LATINIS NVPERIVS EXPVRGATAE:

I.

OMnium virtutum maxima, maximeque neceſſaria, eſt vera in Deum pietas ac precatio: quippe radix ceterarum, vitae rectrix, & praeſidium in hac miſeria humana praecipuum. Huius doctrinam Deus vult omnibus hominibus notisſimam eſſe, & in quotidianis vitae periculis ad vſum transferri. In hac igitur ſinguli, qui ſtudiis apud nos nomen dederunt, multum operae ac ſtudii ponunto. Nec modo priuatim hanc virtutem exercento; ſed etiam publice in templis ſua vota cum eccleſiae votis coniungunto. Maledictis in Deum, & execrationibus, penitus abſtineant; nec quicquam moliantur, ſcribant, faciantue, quod verae religioni chriſtianae, puroque Dei verbo, aut eius praeconibus ac doctoribus, dedecori, contemtui, noxae eſſe, vel diſſenſiones excitare posſit. Quod ſi quis congreſſus & ſocietatem eccleſiae fugiet, doctrinamque diuinitus traditam, aut omnino aſpernabitur, aut partem eius flagitioſe ac pertinaci-

naciter corrumpet; in academia ne feratur.

II. Rectori & profeſſoribus, tanquam alteris parentibus, obedientiam ſine murmure & contumacia, omnemque honorem, obſeruantiam, & gratum animum praeſtanto.

III. Huius obedientiae vt extet teſtimonium, ſciaturque, qui, & vnde in academiam venerint; quotquot in ciuitatem noſtram ſuſcipi expetunt, intra proximum ab aduentu ſuo triduum, nomen apud Rectorem ſinguli profitentor, albo publico inſcribendum; ſeque bona fide fundatoribus academiae fideles, rectoris dicto audientes, legibus obtemperantes fore, niſi minores annis XIIX, aut illuſtri familia orti ſint, iuranto. Qui non fecerit, ne toleretur in oppido, conuictusque & habitaculum illi denegetur; ac ſi quid commiſerit, eo grauius puniatur. Si porro detrectauerit obſequium; magiſtratui oppidano tradatur. Omnes ac ſinguli, in primis vero hiſce ditionibus ſubiecti, niſi docuerint, aptos ſe ſtudiis academicis iudicatos, ne recipiantur.

IV. Vtque aduenientium profectus in ſtudiis explorari, & quae cuique doctrinae audiendae ſint, iudicari queat; qui

qui nondum alibi ritibus depoſitionis, quos vocant, initiati, nec aliquo gradu academico ornati ſunt, more maiorum, antequam in numerum ciuium ſtudioſorum recipiantur, hoc ritu initientur, & a profeſſorum vno pluribusue in eorum ſtudia profectusque inquiratur. Qui vero iam initiatos ſe ferunt, idoneo id teſtimonio confirment. Ni fecerint, in conſilio ſenatus cauſam dicere iubeantur.

V. Quorum aetas tam matura nondum eſt, vt ſeipſos ac ſtudia ſua poſſint regere; illi, ſi facultates ſuae ferent, priuatos ſibi praeceptores adſciſcunto, inque audiendis recitationibus publicis eorum conſilium ſequuntor; ſin, publicos profeſſores, a Rectore laudandos, conſulunto, eorumque conſiliis ac monitis obtemperanto.

VI. Subinde quisque cogitet, debere ſe, quippe liberalibus ſtudiis addictum, plurimum diſtare a vulgo hominum; nec alio fine miſſum in academiam, niſi vt in humanioribus litteris, variisque ſcientiis & diſciplinis, virtute item & bonis moribus, indies magis magisque proficiat. Quare in haec omnia cunctos ingenii induſtriaeque neruos intendito; contra ea, otium, inertiam, voluptates, laſciuiam, petulantiam, & quae praete-

rea

Digitized by Google

rea ſolido profectui bonisque moribus officiunt, aut academico nomini, ordinique literario dedecus, odium, aut contemtum pariunt, modis omnibus fugito. Qui in ſtudia non incubuerint, nec, vt deditos ſtudiis homines addecet, ſe geſſerint, Rectorisque & profeſſorum iuſſa detrectauerint; domum ad parentes, tutores aut propinquos ſuos, cauſſa eius rei perſcripta, remittuntor.

VII. Recens academiam ingreſſi, ad grauiora, ſiue theologiae, ſiue iurisprudentiae, medicaeque artis ſtudia, illotis manibus ne ruunto; ſed prius ductu profeſſorum, quibus commendati ſunt, quosue Rector ipſis laudauerit, philoſophiae linguisque diligentem operam nauanto: addant ſuper haec perpetuam ſtili exercitationem, & crebras declamationes. Nec cathedram, diſputandi gratia, conſcendunto, antequam fundamenta diſciplinarum animo comprehenderint.

VIII. Omnes modeſtiae, vitaeque ſanctitati & innocentiae ſtudento, aequitatem in contractibus colunto, & fidem pactorum pie inuiolateque ſeruanto: conuiciis, calumniis, vellicationibus, & iniuria omni penitus abſtinento: ſuum cuique locum & honorem tribuunto:

denique omnibus triumphis hanc victoriam anteponunto, ſuperiores aliis euadere humanitate & ἐπιεικεία.

IX. Temperate & ſobrie agunto, comeſſationes compotationesque fugiunto: nec conuiuia ſub diſceſſum, aut alia occaſione, inſtituunto: nec hoſpites horum quidquam tolerent, nedum adiuuent: aut prandia in coenas, has in multam vsque noctem produci patiantur. Qui iuuerit paſſusue fuerit, mulcta coerceatur: quod ſi ſemel iterumque admonitus, non deſtiterit; ab eo ius, conuictores ſtudioſos habendi, plane auferatur.

X. Caſtimoniam (cuius laude niſi ſint ornati mores hominum, etiam gentilis poetae iudicio, ſpreti, & ſine honore iacebunt) conſtanter tueantur, atque ita regant animos, vt precibus, & reliquo diuini Numinis cultui ſeruire poſſint: quod quum caſtisſima mens ſit; acerrime odit impuras omnes libidines.

XI. In veſtitu quoque & cultu grauitatem quandam prae ſe ferunto, eumque ſeruanto modum, vt appareat, eos non modo humana iudicia, ſed Dei quoque, & angelorum oculos reuereri. Quare, vt ſapientiae & pacis ſtudiis addictos decet; praeſertim in aede ſacra & au-

auditoriis, incedunto, omnique leuiori habitu abſtinento.

XII. Bacchanaliorum ferias perſonatus nemo, quocunque tandem, ſiue ludicro & turpi, ſiue honeſto ſchemate, celebrato. Qui id auſus fuerit, publice relegetur.

XIII. Pacem & concordiam, ad pietatem, virtutem & diſciplinam maximopere neceſſariam, tam inter ſe, quam cum ciuibus, colunto. Erga peregrinos modeſte & tranquille ſe gerunto. Nuptiis, niſi inuitati, ſeſe ne miſcento.

XIV. Nemo veteranorum a iunioribus, vllo praetextu, compotationes, conuiuia, pecuniam, ſeruitia, aut quidquam aliud exigito: nec verberibus, verbis, aliaue ratione eos exagitato. Neque nouitii horum aliquid admittant; aut alio, quam honeſto, & qui veteranis in vſu eſt, veſtitu vtantur: neque vlla ratione pennaliſmum, quem vocant, foueant ſubeantque. Delinquentes, nullo habito perſonarum diſcrimine, tanto grauius coercebuntur, quanto cum grauiore aliorum iniuria coniunctae fuerint iſtae exagitationes. Qui hoc genus delicti vllo modo iuuerit, inſpexerit, probauerit; is itidem, pro ratione delicti, merita poena afficietur.

XV. Omnes tumultuum occaſiones vitanto, nec cuiusquam aedes oppugnanto, aut vim iis inferunto; nec in plateis aut alibi turbas excitanto. Qui aliquid horum fecerit, pro delicti modo, poena graui afficietur.

XVI. Clamores quoque, & boatus illi barbarici, tam domi, quam in plateis & ſuburbiis, diurnae item nocturnaeque diſcurſationes, penitus prohibitae ſunto. In delinquentes carcere, aut vbi enormius peccauerint, ſaepiusue deprehenſi fuerint, relegatione animaduertetur.

XVII. Duella omnia & conflictus, tam ſollemnes, quam ſubiti, & quaeuis duellorum occaſiones, iniuriae, tam quae verbis, quam quae factis inferuntur, interdictae ſunto. Qui contra fecerint, ſciant, ſeueris ſe poenis, a ſereniſſimis academiae Nutritoribus, ſingulari hanc in rem edicto ſtatutis, affectum iri.

XVIII. Bombardas aut ſclopeta geſtare, ſolis peregre profecturis; eadem vero intra oppidum aut in ſuburbio diſplodere, nemini prorſus fas eſto. Geſtantibus ea adimentur, mulctaque aut poena carceris; diſplodentibus relegatio irrogabitur. Quisquis praeterea, ex incuria, aut fraude mala, nocuerit rebus vel anima-

malibus cuiusquam; pariterque, ſi quis canes aluerit noxios, & hi vel homini, vel alterius animali damnum dederint: de ſarciendo iſto aeque, ac poena tenebitur.

XIX. Ferarum auiumque venatione & captura penitus abſtineatur: quippe facinore, principum ac magiſtratuum iura, illaque inſignia prorſus, temerante.

XX. Nemo agros, hortos, vineasque depopuletur; nec olera quisquam, fructus, vuas rapiat; ſed iis penitus abſtineat. Nihil enim foedius cogitari poteſt, quam ex aliorum detrimentis non modo fructum, ſed etiam voluptatem capere. Nec indignius quidquam ordine litterario, quam furti crimine ſe alligare. Qui fecerit, ſeuere punietur: ad damnum inſuper, quod dederit, reſarciendum adigendus.

XXI. In ſuburbiis neque muſea, neque menſa conuictusue conducantur.

XXII. Hoſpitia & muſea, quae quisque incolit, ne auſit vaſtare: qui ſecus fecerit, noxam ſarcito.

XXIII. Lumina geſtentur caute, nec maiora aedibus, niſi exſtincta, inferantur allidanturue.

XXIV. Nemo in Sala flumine lauet natetue: qui haud paruerit, praeter vi-

tae periculum (quod natantibus imminere, tot triſtes ſuffocatorum caſus docent) etiam magiſtratus animaduerſionem incurret.

XXV. Atque haec omnia non modo ipſi, qui a ſtudiorum cultu nomen ſibi inuenerunt, ne faciunto; ſed nec famulis ſuis permittunto. Hos autem, niſi Rectore conſcio, nequaquam conducunto; nec niſi tales, qui non ſint oneri academiae, quique, vbi haberi queunt, vel ipſi ſtudia ſectentur, vel ſcholam oppidanam frequentent. Petulantes & male morati in aedes non admittantur.

XXVI. Frequens diſcedentium ex hac academia comitatus, vt periculi damnique plenus, penitus intermittitor: tantum abeſt, vt fas cuiquam eſſe debeat, tubarum clangore augere pompam, & ad ſpectaculum turbam conuocare.

XXVII. Nihil typis excudatur, niſi a Decano Facultatis, aut Profeſſore, cui cenſendi cuiusque ſcripti poteſtas eſt, viſum ante, probatumque & permiſſum fuerit.

Formula iurisiurandi, quo inſcripturi nomen in album Academiae Ienenſis, & in ciuium ſtudioſorum numerum recipiendi, fidem ſuam obſtringunt:

EGO N. N. IVRO

PRimum, me fundatoribus huius academiae, ſerenisſimis Principibus, Ducibus Saxoniae, neque ipſum, neque per alium, vllove modo detrimentum allaturum.

Tum, in regenda diſciplina, me obtemperaturum huius academiae legibus ac ſtatutis; in primis ſerenisſimorum eiusdem Nutritorum edicto, in duella ſancito: reuerentiam quoque habiturum debitam Rectori magnifico & Profeſſoribus.

Tertio, me adhibiturum diligentiam in diſcendo, dignam perſona academica, & ſcholas mihi neceſſarias auditurum ſedulo.

Quarto, iniuriam mihi factam, conſulto, nec ipſum, nec per alium me vindi-

dicaturum; ſed ſuper illa imploraturum auxilium Rectoris.

Denique, ſi quid delinquerem, aut aliquid haberem controuerſiae cum alio; me acquieturum in ſententia, quam Rector academiae dixerit, quique praeterea cauſſam cognoſcunt. ITA ME DEVS ADIVVET!



ELO-

ELOQVENTIAE ACADEMICAE
ARGVMENTA
QVINTI ORDINIS

IN

CELEBRIVM

PRAESTANTIVMQVE VIRORVM

EXEQVIIS

PVBLICATA.

I

EX quo tempore haec virtutis & ſapientiae officina, diuinis auſpiciis, conſtituta eſt; in id omni, tum cogitatione, tum cura, incubuerunt ſereniſſimi Principes: vt religionis praeſertim, & ſanctioris ſcientiae ſtudium, foedis antea tenebris inuolutum, effuſo, & pietatis ſincerae, & praeclararum artium lumine, magis magisque illuſtraretur. Atque illico, ſingulari ſanctimonia, exquiſitaque doctrina Theologi, fauſta veluti ſidera, in prytaneo hoc emerſerunt: qui Nicolai Amsdorffii & Philippi Melanchthonis, aliorumque exemplo ac aemulatione incenſi; de formandis ad puriorem doctrinam ingeniis, quoddam velut certamen inſtituerunt: idemque ſtudium, ac eundem religionis ardorem, perpetua ſerie, ad ſucceſſores & poſteros transmiſerunt. Ex his veterum laudem et gloriam nulli felicius aſſecuti ſunt, quam duo illi Iohannes, Gerhardus atque Muſaeus; quorum virtus & excellentia, normae inſtar habetur; quo qui accedunt propius, illi ceteris palmam praeripere, longeque excellere iudicantur. Nec magnitudini

ni reliquorum, nec gloriae inuidemus; verum aut fallit nos nimio opere BECHMANNI deſideratiſſimi amor; aut inuſitata Gerhardi pietas, ac egregium Muſaei acumen, plane reddita nobis in hoc Theologo videbantur. Simlerum commemorant, ex Tubingenſi in Vittebergenſe lyceum digrediente Philippo, multis id audientibus, exclamaſſe: deplorandum merito eſſe, vt ciuitati, ſic academiae maxime, eius abitum: atque omnes propemodum illos, qui Tubingae viuerent, eo vsque progreſſos non eſſe; vt, quantus eſſet hic vir, qui ipſis iam valediceret, ac diſcederet, pro eo, ac par eſſet, agnoſcerent. Nobis eadem fere, de acerbo omnibus, luctuoſoque Bechmanni exceſſu pronunciandi, eo potior conſtat ratio; quo pauciores hodie, parem, aut eruditionis copiam, aut ſanctimoniam vitae, ad ſacrae profesſionis munia afferre videmus. Iam, quod vnice poſſumus, venerabilem nos & caram habebimus Senis huius memoriam: & nunc pariter, in iuſtis defuncti funebribus, pro noſtra non minus pietate, quam conſuetudine, celebrabimus. Patriam ille habuit, non illuſtres Athenas, ſed pagum ignobilem; Ellebio nomen eſt, illuſtrisſimi apud Arnſtadienſes comitis

tis ditioni ſubiectum: cui tamen haud paruam nobilitatis & famae acceſſionem ſuis beatus incunabulis feciſſe videtur. Hic anno CIↃ IↃCXXVIII, die XXVI iulii, inter medios fere belli ſtrepitus, hanc lucem adſpexit, qui ſacra domini bella inire, ac gerere aliquando debebat. Pater, vir admodum reuerendus, Andreas Bechmannus, Chriſti, in pago hoc, oues magna induſtriae atque fidei laude paſcebat. Mater Anna, religioſiſſima foemina, ex ampla ac celebri Glaſſiorum familia ortum ducebat. A parentibus tam eximiis, tamque caſtis ac piis editus, ſanctimoniam domus & originis ſuae penitus referebat. Quis vero illuſtri ac ſtrenuo viro, Fridemanno a Soelniz, Ellebii VValtershuſiique dynaſtae, non poſt fata etiam, ſingulari honori & gloriae ducat? quod adeo magnum & carum ciuitatis ſanctiſſimae fulcrum ex diuino tunc fonte leuauerit? Neque accepto ibidem Fridemanni nomini omen defuit; vnde tranquilli moderatique augurium animi, omnes boni ceperunt. Quem porro ad modum notae aliquae in pullis equorum ſe ingerunt; neque dubia ſigna, generoſi ac firmi prae ceteris canes oſtendunt: ita docile promtumque Bechmanni ingenium,

um; quantus noſter futurus mox eſſet, aetate adhuc tenera demonſtrabat. Nam & celeriter ipſe accipiebat, quae tradebantur, & firmiter retinebat. Vt vero tentationi pariter: quam inter neceſſarias magis theologi dotes Lutherus habebat: mature noſter adſueſceret; igitur tot infeſtis caſibus, tot publicis priuatisque calamitatibus, ad inuictum quoddam patientiae robur obfirmabatur. Quantis enim bellorum fluctibus iactata tunc fuerit noſtra Germania; & quibus in lacrimis atque ſordibus vrbes & pagi iacuerint; nemo ignorat. Prope aberat, quin ſaeuus ac inhumanus aliquis Martis ſatelles eripuiſſet Bechmannum, qui ſanctiori militiae debebatur. Iam enim ephippio ipſum inuoluerat; iam in diuerſorium ſecum abduxerat; cum trucem hunc militem, & gladio ſtricto, execrationibusque infauſtis terribilem, geniorum ſanctorum praeſidio, ac diuinae prouidentiae ope ſeruatus, effugeret. In his malorum procellis, nouo turbine, ad orbitatis acerbae ac miſerae ſortem redigebatur; ne ad iuuandos erigendosque in pari calamitate alios, minus aliquando peritus atque inſtructus accederet. Annus CIↃ IↃCXXXIII parentem cariſſimum; quartus vero poſt annus

nus matrem optimam auferebat. Adhuc tamen, in re quantumlibet tenui, inueniebat fortunam, qui Deo propitio vtebatur. Primum beato perfugium vrbs Arnſtadii praebuit: vbi Hermannum Mineckium, & Nicolaum Hartmannum, praeceptores non magis, quam patres, expertus eſt. Minus enim atque exilius noſtro patrimonium erat, quam vt vel mediocribus, & quibus adoleſcentulus tunc egeret, impenſis ſufficeret. Qua de re nobilisſimus, artisque expertae medicus, Balthaſar Glasſius, matris germanus, in ſuis ipſum aedibus diu alebat. Anno CIƆ IƆCXLVI magnus coetuum diuinorum apud Gothanos antiſtes, Salomo Glaſſius, ceu propinqua cognatione coniunctus, ad ſe ſuosq; vocabat hoc coeli depoſitum, ac ſuo maxime ſumtu fouebat; donec mortuus eo perueniſſet aetatis, vt fingendis erudiendisque puerorum animis, operam ſuam addiceret. Atque praeerant vrbis huius lyceo tunc praeceptores eiusmodi; qui egregii penitus, ac iuuentuti formandae prae multis aliis nati, exiſtimabantur. Ex his Andreas Reyherus, & Georgius Heſſus, nota eruditis ſunt nomina: quibus a noſtra etiam academia haud exiguus honor debetur; quoniam tantum nobis Theologum tanto ſue-

ſucceſſu inſtituerunt. Annus CIƆ IƆC XXIX illius initium temporis eſſe debebat, quo in noſtro hoc athenaeo, tanquam inſigniori aliquo famae theatro, Bechmanniani ingenii actiones ac dotes oſtendere, ſummum Numen decreuerat. Accedebat autem, celebratiſſimi, in palatio ibi illuſtri, praeſidis, Georgii Franzkii, commendatione inſtructus: qua ipſi de liberali, in communi coenaculo, menſa, octaua ordine, proſpiciebatur. Vt haberent afflicti etiam & pauperculi literarum cultores, quorum Bechmannus ſocius fuit, quo in poſterum, ceu ad Miltiadis alicuius tropaeum, reſpicerent. Vt autem formicae, certum ac vnum iter terere perhibentur: ita vnum beatus alacritatis ac induſtriae curſum vrgebat: doctorumque priſcorum, qui literas & philoſophiae ſtudia, cum diuiniore ſcientia, recte ac vtiliter coniungebant, veſtigia ſectabatur. Quoniam vero Bechmannus in vtroque hoc eruditionis genere, nihil translatitium aut leue ſpirabat; proinde ex ſapientiſſimorum hominum inſtituto, praeſtantiſſimos quosque, & in publico tunc docendi officio poſitos, ante ceteros eligebat; ad quorum doctrinas atque exempla ſeſe componeret. In philoſophorum itaque ſcholis, non

non fratris tantum cariſſimi, M. Io. Bartholomaei Bechmanni, ſacerdotis poſtea Oſterodani, & in ſacro concilio adſeſſoris periti & ſenioris, auſpicio; ſed etiam celeberrimorum virorum, Stalii, Zeiſoldi, Sleuogtii, Sagittarii ductu, ſe exercebat. Ex ſanctiori ordine, ſumma illa theologorum lumina, Muſaeos, Chemnitios, Gerhardos, colebat. Laborioſam atque ſolertem apiculam Bechmannum hic dixeris: campos artium peruolantem; & congerentem exinde, quae in aliorum mox vſus expromeret. Cohoneſtatus deinde Magiſtri inſignibus, anno CIↃ IↃCLII diſputationis perdoctae ac egregiae praeſes, omnium in ſe oculos menteſq; conuertit. Nemoque exhinc, maiore literatorum iuuenum admiratione atque concurſu, frequentes de rebus, ad philoſophiam atque theologiam attinentibus, ſcholas habuit, quam Bechmannus. Quae enim obſcure a ſcholaſticis & confuſe docentur; ea facili ratione, ac ſermone perſpicuo ita tradebat; vt multi & magni, quos auditores habuit, viri, meritis ipſum laudibus hodieque extollant. Quando igitur acutiſſimus Stalius anno CIↃ IↃCLIV e viuis exceſſerat; merebatur beatus, vt inter alios, ab ampliſſimo philoſophorum ſenatu, magnatibus ac

Principibus ſummis commendaretur. Quamuis autem tunc logices ac philoſophiae primae profesſio a Sleuogtio auo ſuſcipienda, atque ornanda fuerit; mox tamen ab hoc, mortalium rebus exemto, velut per manus tradita, anno CIↃ IↃCLVI ad Bechmannum peruenit. Aperta ſic ſibi ſtadia, arbitrabatur defunctus, per quae ad gloriae incorruptae, & ſalutis publicae metam decurreret. Ac difficilis certe praelectionum ipſius, atque ſcriptorum omnium deſignatio hic eſſet futura. Illud vero diſſimulare, aut praetermittere, nefas cenſemus: pium illum Erneſtum, aeternae memoriae principem, hos beati conatus in tantis deliciis habuiſſe; vt liberali ſtipendio, atque aliis bonitatis inuſitatae pignoribus, eius fortunam ſemel ac iterum ſubleuauerit: cumque phyſicus atque logicus liber, in illuſtris gymnaſii vſum, tum concinnandus veniret; Bechmanno eodem, tanquam magiſtro ac Theſeo, vteretur. Ita communi, rei literariae bono, iuuenumque inprimis commodo, praeceptiones ipſius logicae prodierunt; praeferendae tot aliis, cumque optimis veterum comparandae. In Gothana tunc aula vir Abyſſinus, Principis huius impendio, verſabatur; dum arceſſitus illico fuit Bechmannus,

nus, vt Aethiopicas literas a doctore hoc celebri ac peregrino hauriret. Trium vero is menſium interuallo, hanc herois glorioſiſſimi ſpem, non impleuit tantum, ſed etiam ſuperauit. Quum igitur anno CIↃ IↃ CLXVIII Ioannes Erneſtus Gerhardus, caſu inopinatato ac ſubito, hac vita excederet; dignisſimus omnium habebatur Bechmannus, qui vacantem profeſſionis theologicae functionem caperet atque obiret. Quae honoris auſpicia, & ſuſceptis Doctoris inſignibus, auxit; & diſſertationibus tribus, de merito Chriſti, hominibus cunctis communi; & publicis in Matthaeum praelectionibus, conſecrauit. Quantum vero theologum tunc noſter promiſerit, ac opere ipſo praeſtiterit; vel inde elucet: quod, quamdiu Bechmannus ſatis neruorum ac roboris habuit; eius etiam ope & opera, academia noſtra prae multis aliis caput extulerit. Auditorum ipſius tanta copia fuit; vt reperti ſint viri ſummi, qui eum communem Germaniae, in ſacris & philoſophicis ſtudiis, praeceptorem, honorifice appellarent. Quos autem iam voce ac ore non amplius poteſt; eos noſter ingenii monumentis ac libris, ob integritatem doctrinae, verborumque praeterea lumen, Luthe-

ranorum quorumuis calculo dignis, inſtituet. Nullum certe eſt dubium, quin perutiles, in Leonhardi Hutteri compendium, notae, caſuumque & controuerſiarum praecepta, & alia, quae poſteritati elucubrauit, accuratisſima ſcripta, aetatem latura ſint. Vt autem antiquitus viri, philoſopha quidem ſententia, ſed ignaua opera, contemti pariter ac exoſi fuerunt: ſic theologi nomen perperam illos ac friuole iactare cenſebat, qui factis id non exprimerent. Igitur ipſe, quod de Ioanne Staupitio dictum eſt, pietate ac innocentia vitae, ſcientiam & doctrinam ornauit. Nemo ſane Bechmanno religioſior; nemo manſuetior; aut qui ardentiores ad Deum funderet preces; vnquam putatus eſt. Cum vero non paruam laudis Bechmannianae acceſſionem in eo fortaſſis quaererent pontificii, ſi vitam ſolutam ac caelibem exegiſſet; contra noſter haud vltimam partem felicitatis, in concordi & caſto matrimonio collocabat. Duarum, quas ſibi delegit, coniugum, primam, Margarethae nomine celebratam, ac egregii viri, Laurentii Andreae Rothii, conſiliarii atque praefecti Schvvarzburgici, filiam, anno CIↃ IↃCLIX ductam, die XIII martii CIↃ IↃCLXV, trium

pa-

natorum matrem, efferre coactus eſt. Horum maximus atque minimus natu, praecocibus fatis ceſſerunt; vno ſuperſtite, nobilisſimo experientisſimoque viro, Andrea Bechmanno, medicae artis Doctore, atque in ſerenisſimi Hilperhuſae principis aula, medicinam adhuc feliciter faciente. Anno CIϽ IϽ CLXVI, menſe nouembri, ſecundis ac proſperis votis, Reginam Mariam, beati Friſchmuthii filiam natu maiorem, ſibi adiunxit. Sicut vero ex hac religioſisſima coniuge, natas quinque, natosque binos ſuſcepit: ita filias duas, iam ante nouennium iſtud, cum luctu Bechmanni incredibili, praematura mors auferebat. Pari modo, quae nobilisſimo iuris Doctori, atque ſyndici munus in vrbe hac ſuſtinenti, Ioachimo Seeckio nupſerat, ornatisſima foemina, Chriſtina Maria; nec non maximus natu filius, Io. Tobias Bechmannus, iurium candidatus, annis abhinc perpaucis, parentum amborum, tunc vna lugentium, fata anticiparunt. Superſunt adhuc, & paterna pariter ac materna virtutum decora exprimunt, conſultisſimi viri, Chriſtiani Hubneri, praefecti antehac Crahnichfeldenſis, atque in rerum ſacrarum iudicio adſeſſoris, praeclarisſima vidua, Anna Maria; &

pietatis maternae aemula virgo, Eliſabetha Magdalena; nec non optimus atque florentisſimus iuuenis, Henricus Fridemannus, qui in diſcendis exercendisque nunc iuribus, apud nos elaborat. Porro vtrumque beati matrimonium, mutua animorum coniunctione, qua nihil auſpicatius dulciusque piis coniugibus eſſe poteſt, ſe commendauit. Nam erga ſuos non minus, quam alios, venerabilis ſenex, probi atque pacifici Fridemanni partes impleuit. Ceterum, quam praeclare & ſancte adhuc transegerat vitam; eam mors quoque tranquilla & proſpera ſequi debebat. Primos ſtatim adoleſcentiae annos, hypochondriorum, quos vocant, dolores crebro & grauiter affligebant. Quorum ſaeuitia, quod mirari quis poſſit, auctis cum aetate laboribus, non atrocior, ſed remiſſior fieri videbatur. Quorſum, dubio procul, moderatisſima illa viuendi ratio, atque exacta valetudinis cura, plurimum conferebant. Sed ingraueſcentem aetatem deſtillationes inprimis frequentes, vt cetera taceamus ſymptomata, infeſtabant. Ita tamen, vt ipſe vix ſemel ac iterum, praecipue autem ante biennium iſtud, lecto affigeretur. His vero non minus, quam aliis malis, acade-

demiae noſtrae Hippocrates, Georgius VVolffgangus VVedelius, mature obuiam ire ſolebat. Aliter tamen euenire non potuit, quin maiori indies pondere incumbens ſenectus, magnae quantumuis animae habitaculum, magis ac magis ruinoſum efficeret. Cum ſenſu proinde & appetitu, motrix quoque facultas, vltimis his diebus, ad ſuum interitum, non ibat amplius, ſed ruebat. Quandoquidem vero, aduerſus communem hominibus mortem, nullum in orbe remedium, aut praeſidium inueniri; iam olim beatus cognitum compertumque haberet; ad panaceam proinde coeleſtem, cruciatum pro nobis ac mortuum Dei filium, cui haud ingratam & ipſe nauauerat operam, ſe totum conuertit. Et ſicut religionis ardore, aeternique gaudii deſiderio, plures antehac alios; ſic poſtremo ſe ipſum propemodum ſuperabat. Philippum Melanchthonem, legimus, ante obitum paullo, cauſas praecipuas, quare neutiquam abhorrendum ab obitu atque tumulo, iudicaret? in pagella aliqua, eo ordine conſignaſſe; vt a ſiniſtris poneret: diſceſſurum ſe a peccatis; aque aerumnis omnibus, & quorundam in terris theologorum rabie, liberandum venire. A dextris autem:

tem: futurum iam eſſe, vt ex tenebris in lucem veniret; Deumque ac filium Dei intueretur; quin arcana haud vna, & magna, addiſceret, quae in vita hac intelligere & exponere non potuerit: quare ſic ſimus conditi? & quomodo naturarum duarum, in vna Chriſti perſona, coniunctionem & copulam Deus effecerit? Nullum vero eſt dubium, ſanctam religioſamque Bechmanni animam haec atque ſimilia cogitaſſe; quando vltimis ante exceſſum diebus, non ſine venerandorum antiſtitum & adſtantium admiratione, tota in coelum emicuit. Quo euolaſſe putanda eſt; quum die nono martii, ex corporeis ſeſe vinculis expediret. Vos, o Noſtri! quem coluiſtis viuentem; hunc mortuum etiam, tum quouis alio tempore, tum praeſenti inprimis, pompae funebris die, ſancte nobiscum honorabitis. P. P. D. XVI Martii, A. CIↃ IↃ CCIII.

II

VAlere tandem nos iuſſit nobiliſſimus conſultiſſimusque Vir, IOANNES PROBSTIVS, sereniſſimi Ducis Gothani, in aerarii rebus, conſultor eximius; dum incommodae ſimul valetudinis, & malorum omni-

mnium finem inuenit. Nam ſi lenti illius ac difficilis morbi, quo conflictatus Probſtius fuit, moleſtias intuemur; iam ex carcere ille ad libertatem; ex ſqualore ad gaudia; ex diuturna veluti morte, ad vitam perpetuam adſpiraſſe, putandus eſt. Vt igitur Senecae, ſe & alios conſolantis, effatum: deſinam aegrotare poſſe, deſinam alligari poſſe, deſinam mori poſſe: accurate admodum, & ex Chriſtianorum etiam mente, in ipſum conueniat. Sed neque in terris, per longam & grauem valetudinem, male antea cum beato, aut infeliciter actum videtur; quando haud opportunior pulchriorque occaſio dari poterat, qua animum ſuum aegrotus ad obitum pium componeret, & contra vltimos caſus inſtrueret. Quod enim de tota hominum vita a Stoicorum magiſtro eſt dictum; id de morbi hoc genere, interpolatis nonnihil vocibus, dici poteſt: quemadmodum nouem menſibus, maternus nos vterus tenet, illique praeparat loco, in quem, vitae hunc ſpiritum trahere, & in aperto durare nos apti, emittimur: ſic per ſpatium illud, quod a morbo aliquo fatali ac lento in obitum patet, in partum quaſi alium, eumque egregium, ſumi videmur. Namque alia

nos origo, atque alius rerum ſtatus expectat; quum diuerſum a terra & aere coelum, niſi ex interuallo aliquo, haud pati poſſimus. Inter haec nobis, qui ſuperſtites mortuo eſſe debuimus, haud vulgare is pietatis & conſtantiae exemplum reliquit. Quod intueri identidem, & ſequi iuuabit; quo nos eadem aliquando cum Probſtio donatiua, ac praemia reportemus. Auram defunctus vitalem, Lipſiae, literarum non minus, quam mercium aliarum emporio, anno CIↃ IↃCXLII, die octobris tertio ac viceſimo, hauriebat: quo eodem tempore, vrbem hanc ornatisſimam, graui diraque a Suecis obſidione cinctam fuiſſe, nemo ignorat. Ibi patrem eſt nactus admodum reuerendum, Ioannem Probſtium, Zvvenckauienſis tunc oppidi ſacerdotem, haud vulgariter de ſuis merentem; matrem vero Mariam, foeminam politisſimam, aque Tobia Finſingero, inter Lipſiae ciues ac mercatores ſpectatisſimo, procreatam. In auorum ac proauorum nos ſerie, eo minus haerebimus; quo plures, de honeſtate ipſorum ac praeſtantia, in terra patria teſtes habentur. A primis ſtatim infantiae annis, non vna in noſtro, indolis excitatae & probae indicia eluxeruut. Itaque parens ipſius carisſimus, non a praeceptori-

ptoribus tantum domeſticis, dextre ac ſedulo eum erudiendum curabat; ſed in eo iam erat, vt publicis ipſum iuuentutis formatoribus commendaret ac traderet; cum vir optimus, anno CIↃ IↃCLII, die XIV ianuarii, acerba admodum ſuis, bonisque omnibus morte, eriperetur. Ex hac igitur tempeſtate, Vitus Strigelius, lycei Zvvenckauienſis magiſter doctisſimus, ad annum vsque CIↃ IↃ CLV, & vitam beati, & ſtudia moderatus eſt. Tunc autem vir candidus ac induſtrius, Paulus Stemlerus, praefecturae Luzenſium ſcriba, matre Probſtii frugalisſima domum ducta, in mortui ſimul parentis negotia & curas ſucceſſit. Cuius noſter ſecutus conſilium, in ſchola deinde Luzenſi, in grammaticorum ac rhetorum artibus, pro virili ſeſe exercuit: adiutores in illis, viros eximios, Paulum Seyfridium, ludi huius rectorem, nec non Io. Hoeſelium, & M. Seidelium, cantorum tunc partibus perfungentes, ſortitus. Et poterat quidem beatus, iam anno CIↃ IↃ CLX, academias, ſublimioribus diſciplinis dicatas, non ſine ſucceſſu ac fructu adire; niſi & morbo periculoſiſſimo, & praematura vitrici morte, & actionibus matris forenſibus, impeditus fuiſſet. Igitur anno demum CIↃ IↃ CLXV, in Lipſienſe ingreſſus lyce-

lyceum; cum in philoſophiae artibus diu ac ſtrenue deſudaſſet; iuriſprudentiae ſtudia, ſibi peculiaria, auſpicatus: & in his iuxta & illis, ſpectatae tunc eruditionis ac fidei Viros, M. Dauidem Vhlmannum, ſcholae deinceps Aſcanienſis rectorem, D. Andream Mylium, D. Geislerum, D. Paulum Franciſcum Romanum, ac iuriſconſultum praeſertim percelebrem, Georgium Tobiam Schvvendendoerffe-rum, aſſidue & conſtanter ſectatus eſt. Quamuis autem res domi pertenues, & matris praeterea, anno cIↄ Iↄ c lxvi, die ſeptembris decima, obeuntis iactura, laudatiſſimos noſtri conatus ſufflaminare nonnihil & comprimere viderentur; coeleſtis tamen prouidentiae ope contigit, vt & magnificus in republica Lipſienſi ſenatus, inde ab anno cIↄ Iↄ c lxvi, vsque ad quartum & quadrageſimum, liberalibus atque variis ipſum ſtipendiis ſubleuaret; & maecenates praeterea plures, occultis veluti facibus, ad commoda eius iuuanda, ſtimularentur. Poſtea vero temporis, cauſas forenſes agere ac defendere, eo ſucceſſu eſt orſus; vt anno cIↄ Iↄ c lxxiii, a ciuibus atque mercatoribus huius loci praecipuis, certo eam ob rem ſalario ipſe afficeretur. Commodum inde

inde contigit, vt anno cIↃ IↃ C LXXX, ad quaeſtoris Ienenſis munia, a ſummo Vinarienſium Duce euocaretur; quum ſimilis ante officii partibus, in vrbe Vinaria fungi deberet. In qua equidem ſtatione, ad annum vsque cIↃ IↃC LXXXIX, quo poſt optimi Principis, Ioannis Guilielmi exceſſum, totus reipublicae ſtatus conuertebatur, non ſine honore ac laude permanſit. Interea anno cIↃ IↃ CLXXXI, piam admodum, ac moeſtiſſimam in praeſenti viduam, Sophiam Chemnitiam, viri egregii, Chriſtiani Chemnitii, doctoris & profeſſoris theologi, ſacrorumque praeſulis ſummi, filiam, tori conſortem expetiit. Ea itaque, memorato iam anno, die XXXI octobris, ſacris ſecum iugalibus copulata; vt fidiſſima omnis fortunae ſocia, ſic duorum praterea filiorum, filiarumque totidem matre, gaudebat. Et natu quidem priores, Ioannes ſcilicet Chriſtianus, & Fridericus Gottliebius, cum luctu parentum maximo, fata ipſorum ſpe celerius praeuerterunt. Filiae autem ſuperſtites, Dorothea Sophia, & Ioanna Maria, nulla non laudis virgineae decora ſibi vindicant, parentisque adeo honorem conſeruant. Hic, ceſſante, per Principis ante laudati, verum laudibus noſtris

ſtris maioris, obitum, functione Ienenſi; ab illuſtriſſimo apud Arnſtadienſes Comite; tum anno cIↃ IↃ CXCIV, a ſereniſſimo RoemhildenſiumDuce, ad ſimile genus prouinciae obeundum, expetebatur. Anno autem cIↃ IↃ C XCIX, cum infirmae & fractae valetudinis coniux aerem ferre alienum non poſſet; Ienam denuo, eius patriam, fortunarum ſuarum ſedem delegit. Vbi a ſereniſſimo Duce Gothano id ſimul honoris ac muneris, vt ipſi a rebus aerarii foret, obtinuit. Nullo autem non tempore Probſtius, ſicut conſcientiae ſuae & famae conſuluit: ita eum ſe praebuit; vt cum moerore haud paruo, Probſtiani nunc morbi & obitus recordemur. Plures iam praeterlapſi ſunt anni, ex quo calculus, ac membrorum & artuum dolor, capitisque vertigo, nec non alia deprauati ſanguinis mala, negotium noſtro faceſſiuerunt. Quae tamen omnia, Dei ac noſtri VVedelii ope, vel ſublata penitus, vel identidem mitigata fuerunt. Anni autem nouiſſimi menſe nouembri, maiori, quam paulo antea, vi ac impetu, haec aliaque ſymptomata in ipſum incubuerunt: vt & manus tremerent; & membra, in dextro cumprimis latere, magis infringerentur; & memoriae vis cum ſom-

ſomno deficeret. Tot proinde malorum moleſtiarumque genera, licet leuari nonnihil ac minui generoſis remediis viderentur; excuti tamen aut vinci non potuerunt. Imo proximis hisce duobus menſibus, exaſperari haec omnia, atque augeri coeperunt; vt medicamenta non minus, quam cibos, aegrotus reſpueret; &, cum nec reliquae partes, nec lingua, ſuum dehinc officium facerent, lecto interim noſter affigeretur. Quae ſicut defunctus aequo animo tulit: ſic non precibus tantum, piisque ſuſpiriis; ſed ſacri quoque viatici vſu, ſe ipſum ſolatus eſt; donec nudius quartus, matutino tempore, quintam inter & ſextam, fine optato ac bono, vitam pariter atque valetudinem terminaret. Exequiarum ſollemnia, quae poſt meridiem hodie, hora II, celebrabuntur, vt frequentes ac pii Vos obeatis, o ciues! maximopere cenſemus. P. P. ſub Acad. ſig. d. XXII Maii, A. CIϽIϽCCIV.

III

EOdem ſuperioris hebdomadis die, quo ſol deficiens, in terrarum hoc tractu, ſideris ſui nitorem condebat, haud vul-

vulgare Ienenſis curiae lumen, in grauiſſimo ac egregio eius conſule, ADOLPHO CHRISTIANO SCHELHASIO, iuris doctore, iudiciique apud nos aulici aduocato, aetate ac meritis primo, derepente, caſuque inopinato, extinguebatur. Vetus verumque eſt dictum: moderatores reipublicae ad ſolis ſe modum habere: ſuaque hunc ipſum virtute & gloria imitari; dum in ſublimi poſiti loco, alios ſe inferiores reſpiciant; & ſua veluti luce, ciues recreent, ſpirituque ac vita impertiantur. Ita Brutum Horatius, totius, qua patet, Aſiae ſolem adpellat: & ſuper tabernaculum regis Perſarum, ſolis imaginem, globo cryſtalli incluſam, emicuiſſe, cui ignis & flamma praeluxerit, a Xenophonte docemur. Id quod nouo huc vsque, laudatisſimoque exemplo, a Schelhaſio confirmatum eſt; quando ſolaris inſtar luminis, ciuium is bonorum ſucceſſus & incrementa adiuuit; vitiorumque tenebras, poteſtatis & ſapientiae ſuae radiis, disſipauit; atq; tot fere negotia, quot notabantur interea ſolis labores, pro ſalute oppidi & habitatorum ſuſcepit. Nullum proinde dubium eſſe poteſt, quin illius memoria temporis, quo Schelhaſius, non, vt ſidus ſolare, tantummodo occultatus, ſed plane ere-

ereptus eſt, inauſpicata ciuibus, & acerba admodum ſit futura. Quodſi enim ex breui, qualis iam contigit, ſolis defectu, plerorumque animis, de omine dubio ac ſiniſtro ſolicitis, religio aliqua, & ex ea formido incutitur; in haud minori diſcrimine ac timore, poſt interceptum atque extinctum Schelhaſii ſidus, reſpublica oppidana verſabitur. Quae res vtinam non in malum aliquod, aerumnamque & cladem, prout fieri ſolet, erumpat! Niſi fallimur, ſuis id ipſum precibus apud Numen miſericordisſimum exorat beatus: cuius ipſe adſpectu & ſolatio iam reficitur: & cuius is beneficio, anno CIↃ IↃCXLII, in Muſarum hac vrbe, in lucem eſt editus, ſplendoremque a parentibus ingentem accepit. Pater celebrabatur Iuſtinus Schelhaſius, iuris ſcientiae doctor, inque prouinciali tum curia cauſarum patronus; & ſicut conſiliarii Eberſteinenſis munere functus, ſic generoſis hinc inde familiis, ſuſcepti officii vinculo ac fide obſtrictus, & poſt obitum etiam, inter viuos laudandus. Nihiloque ſecius matrem, Annam Catharinam, ſummi olim, in aula Vinariae, medici, Martini Goebleri, ſobolem, multa atque eximia ſexus decora commendabant. Horum igitur cu-

ra Schelhaſius, praecepta virtutis atque doctrinae, quibus nihil habendum eſt potius, a dexterrimo viro, M. Ioanne Dauide Zangio, ſacerdote deinceps Bislebienſi, ac praeſulibus ſacrorum adiuncto, cupide hauriebat: clariusque indies, generoſi ac ſeduli perquam condiſcipuli, Ioannis Chriſtophori a Carlovviz, aemulatione incenſus, exſplendeſcebat. Ita nauiter ipſe impleuit, quod a Platone alicubi dictum, meminimus: qui egregii quid in literis ac rebuspublicis ſpectent; eos, in tenera iam aetate, praeſentis & alacris eſſe animi oportere. Quod propoſiti, in Rudolſtadienſium ludo, beatus tunc adoleſcentulus, accurate ac pulchre ſeruauit. Huius tum clauum moderabatur vir praeclarisſimus, M. Nicolaus Stenderus: qui Schelhaſium, toto quinquennio perpolitum atque inſtructum, in athenaeum Ienenſe remiſit; vt a Io. Schmidelio, poſt Hieranae academiae profeſſore eximio, magis vberem, in doctrinis & artibus, cultum capeſſeret. Orbus dehinc ambobus parentibus, auctore D. Ioanne Leonardo Kelnero, non tam cognati, quam patris munia obeunte, anno CIↃ IↃ CLX, ad Altorfenſium coetum ſe aggregauit. Quanto autem hic ſtudio noſter, ad audien-

diendum Durrium iuxta ac Molitorem, vitae morumq; ſcientiam, & omnem omnino philoſophiam, legitimae eruditionis nutricem, accurate tradentes, ſe excitauerit; quantamque conſtantiam Viris ſummis, Ludvvellio, Rittershuſio, Kregelio, in cunctis iurisprudentiae partibus, ad biennium vsque probauerit; praeter ceteros, magnum atque inſignem theologum, Ioannem Michaelem Dilherrum, cuius ipſe fauorem & opem Kelneri literis obtinuerat, luculentisſimum teſtem habebat. Idem vero hoc tenuit inſtitutum, cum in noſtra deinceps academia, celeberrimorum virorum, Auiani, Richteri, Sruuii, Schroeteri, Bechmanni, Falckneri, VVindheimii, Georgii, & qui vnus adhuc ex omnibus viuit, Beieri doctrinas exciperet, inque iurium abdita penetraret, & ad faſtigium artis contenderet; ſummisque iſtius honoribus, anno CIↃ IↃ CLXVIII potiretur. Tum in vſu ſe vitae ac foro exercuit; ſuſcepta ideo, anno CIↃ IↃ CLXXII, in iudicio aulico, aduocati prouincia: cui CIↃ IↃ CXCVI conſulis munus acceſſit; vtriusque officii dignitate, perpetuo, & ex voto ſeruata. In medio autem felicitatis, tam publicae, quam domeſticae curſu, coronam quaſi bonorum omnium, ornatisſimam,

 &

& antiquae apud nos ſtirpis virginem, Sophiam Eliſabetham, exquiſito ingenio, ac ſingulari alacritate, dum in viuis commoraretur, theologi, D. Io. Erneſti Gerhardi, filiam natu maiorem, anno CIↃ IↃCLXXV, die XX maii, ritu ſollemni pactus eſt: quae ſe gratam poſtea ipſi ac piam vitae ſociam, liberorumque octo foecundam, dignamque praeconio matrem, probauit. Ex his Chriſtianus Erneſtus, & Chriſtianus Auguſtus, rebus mortalium, ante, quam irretiri earum illecebris poſſent, exemti ſunt. Sed ſuperſunt adhuc, parentemque domui interceptum complorant, tres florentisſimi filii: Chriſtianus Fridericus, medicae artis licentiam, ſuo ex merito, conſecutus; Chriſtianus Guilielmus, iurium cultor perdiligens, & magna quaeque promittens; & Chriſtianus Adolphus, in literarurae adhuc ſtudiis, quae in ſcholis tractantur, ſedulo elaborans. Quibus iungendae filiae totidem: Catharina Sophia, dextre admodum rem familiarem cum matre conſtituens; Iohanna Sophia, conſultisſimi viri, Petri Schreiberi, aduocati Gerani in Variſcia, vxor; denique Mariana Sophia, quae nobilisſimo atque experientisſimo viro, Hermanno Ftiderico Teichmeyero, ſcientiae ſalutaris Doctori, neque

que infeliciter medicinam in vrbe Mundenſium facienti, ſancte ſollemniterque, anno elapſo coniungebatur. Quemadmodum autem in familia ſua Schelhaſius, ſic in curia quoque, concordiae bona, & diſcordiae mala, partim monitis, partim exemplo docebat. A ſuperbis ac prodigis vero quam longisſime abhorrebat: receptumque antiquitus morem ſolui, ſaepius cum indignatione ferebat. Frequens in ſenatorum conuentibus, dum reipublicae clauum teneret; frequens in iis congresſibus, qui vel boni publici cauſa, vel ad ſeruandum decorum, inſtitui conſueuerunt; frequens in templis, quoties tam precandi, quam auſcultandi in illis, facultas daretur. Sic proinde viuebat; vt moriendi periculo angi cruciarique non poſſet. Ex Iulio Caeſare cum inter coenandum ab hoſpite quaereretur: quodnam mortis is genus reliquis cunctis anteponeret? inopinatum, reſpondit. Verumque id eſſe, ſi ab obitu repentino violentia ac impietas abſit; illi demum intelligunt, qui, quantum ſit malum, lenta ac miſera morte tabeſcere, experimentis aliquibus didicerunt. Felicem igitur noſtrum! qui quum elapſa mercurii die, prandio aſſediſſet: quod, fuſis pro pio ex-

ceſſu precibus, terminauerat, iamque priori poſt meridiem hora, in lecto, a ſuauisſima vxore parato, acquieſceret; praeter ſpem atque opinionem omnium, deſtillatione oppreſſus, & vno veluti ictu proſtratus; commendatam toties Deo animam exhalauit. Diu eſt quidem, quod viribus, ob irrepentem ſenſim languorem, perque ſtomachum imbecillem, exhauſtis, ad coeleſtia animo & cogitatione contendit. Verum ingraueſcentis iam morbi initia ab aprilis nouisſimi fine ducenda ſunt; quo ſcilicet ardor ille & acor ventriculi, ciborumque nauſea, cum vomitu & ſingultibus crebris coniuncta, in peius omnia conuerterunt. Hic non ſolum artis expertae Filius, ſed vrbis etiam noſtrae Machaon, D. Otto Horſtius, ſerenisſimi Ducis Iſennacenſis conſiliarius, atque medicus ſumme meritus, quantum in arte ac diligentia ſitum erat, nihil quicquam intermiſerunt. Id interim omne, leuandis quidem aliquoties ſymptomatibus, at non vincendis iisdem, par erat; quando ad coelitum ſedem, vbi nulla eſt morbi contagio, euocare beatum, ſapientisſimns Deus decreuerat. Ad Vos pertinet, ciues! vt Viri meritisſimi funus, finitis a meridie ſacris, in aedem Paullinam hodie deducen-

cendum, comitatu frequenti ac pio proſequamini; quam vere ac recte Seneca in Thyeſte cecinerit: res Deus noſtras celeri citatas turbine vertit: in hoc funebri ſacro recordaturi. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. Exaudi, A. R. S. CIↃ IↃ CCVI.

IV

DVra lex, & imperioſa mortis neceſſitas, omni hominum ordini, aetatique omni ac ſexui, iuſta atque ſeuera Numinis voce: breui poſt morieris: certo, plenoque aerumnarum euentu, denunciabatur. Cuius veritas, etſi caſibus infinitis, atque omnium ſeculorum exemplis firmata eſt; a ſerpente tamen, vel inferorum potius duce, nequaquam homines morituros, fingente, haud obſcure oppugnabatur. Quod ſi effici ac praeſtari a mendaciſſimo genio potuiſſet; haberent fortaſſe, de quo ſibi gratularentur, qui voluptatum ac rerum vanarum illecebris ita ducuntur: quaſi ſemper, vt Apuleius loquitur, voluptari, nunquam digredi ex hoc mundo, contingeret. A quorum peruerſitate, e celebratione tot funerum, quibus fre-

quens intererat; & ex verbi diuini tractatione, cui ſe propemodum totus dicabat; ſicut longe ſe ſeparare didicerat Vir ampliſſimus, IOANNES BIELKIVS, oppidanae reipublicae conſul, ac bibliopola, dexteritate & fama egregius: ita iſtud obtinuit, vt ex caduca hac vita, ad vitam perpetuam, moriendo tranſiret; & hinc neutiquam eum moriturum, recte ac merito ſtatuamus. Iam ea fuerunt prudentiſſimi Viri decora, quorum memoriam conſecrari fas eſt: quod, ducto a natalibus eius initio, faciemus; quibus vicinum noſtro oppido pagum, VVickerſtadio nomen eſt, illuſtrauit; cum Ioannes Bielckius, innocenti agriculturae ſtudio, maiorum more, addictus, ex Anna Maria Fridericia, perhoneſti exempli foemina, die XVII iulii, anno CIↃ IↃ CXLIII, haud mediocri familiae gaudio, neque minori ſpe, ipſum ſuſciperet. Horum cura, in ciuitatem chriſtianam adſcriptus, aque magiſtris idoneis per eam deductus eſt ſemitam, qua ad Dei notitiam, magisq; neceſſarias artes contendimus. Ex quibus poſtea fontibus omnis profluebat felicitas, quae, diuinis auxiliis tuta, nullam annorum Bielckianorum partem deſtituit. Anno CIↃ IↃ CLVI· commodum accidit, vt mercaturae librariae diſciplinam,

plinam, quam inſigni aduerſus barbariem adiumento ac praeſidio eſſe, nouimus, a bibliopola quondam clariſſimo, Blaſio Lobenſteinio, hauriendi, continuandique occaſionem haberet. Quod propoſitum cum & naturae Bielckii eſſet aptiſſimum; & per ſexennium integrum, curioſe a noſtro ac ſedulo vrgeretur; inde id conſecutus eſt, vt librorum, commerciorumque huiusmodi rationes prae aliis intelligeret; & confectis ſic tirocinii annis, ſingulari penitus ſui patroni teſtimonio ac praeconio ornaretur. Tum digrediendi ex vrbe Ienenſi, & regiones exteras, eas inprimis, vnde maiorem poſtea in hac arte peritiam ſibi ſpondebat, obeundi cupido ipſum inceſſit. Quam nulla res alia, niſi vehementiſſima Lobenſteinii poſtulatio, vlteriorem ipſius operam, totque probatam indiciis fidem, per biennii adhuc ſpatium expetentis, reſtinguere, aut minuere potuiſſet. Ita enim aeterni Numinis fata ordinauerant: vt in Lobenſteinianam familiam ipſe cooptaretur; atque minimam natu filiam, Mariam Eliſabetham Lobenſteiniam, virginem pudiciſſimam, domum duceret: quacum XIV nouembris, anno CIƆ IƆ CLXIV, ſacra iugalia, ritu inter Chriſtianos recepto

ac publico, celebrauit. Poſt haec diſpenſatoris officium, in ſoceri officina, ſuſtinuit, & antiquum candoris ac diligentiae decus ſeruauit; donec elapſo biennio, totam librorum ſupellectilem iuſto pretio mercaretur, atque propriam ſibi familiam inſtitueret: quam & multis fortunae propitiae bonis florere, & octo praeterea liberorum partu augeri, gauiſus eſt. Ex his ſuperſtites viuunt Ioannes Sebaſtianus Bielckius, ciuis, atque aromatum inſtitor valde induſtrius; & Maria Eliſabetha, ornamentis ac dotibus ſexus ſui eximia, Viro admodum reuerendo & clariſſimo, M. Georgio Friderico Franckenbergero, in Hayngenſium atq; Stibrizenſium pagis, diuinarum rerum diſpenſatori, multis laudibus digno, in matrimonium collocata. Reliqui vero matris optimae, XVII martii, anno CIƆ IƆ CLXXXII demortuae, fatum, ſi non anticiparunt, certe poſt paulo, & ante parentem cariſſimum, ſubierunt. Cuius acerbitatem temporis, anno eodem, noui Bielckius ſuauitate connubii, quod die octobris XXX, cum Anna Magdalena Hofmannia, probi rectique exempli virgine, pactus eſt, condiendam putauit. Haec beatum, inter alia caritatis caſtiſſimae pignora, quinque liberorum mox

mox patrem effecit. E quibus non niſi tres inter mortales ſuperſunt: Ioannes Felix, gnauiter perquam parentis veſtigia, in mercandis libris, conſectans: nec non Anna Sophia, & Catharina Eliſabetha, ornamentis virgineis florentisſimae: omnes, vna cum matre moeſtisſima, paternis non minus exequiis, quam orbitati iam ſuae illacrimantes. In his igitur cunctis Bielckius, ſuffragante fortuna, res amplisſimas conſecutus eſt: quarum haud parua fiebat accesſio, quum anno CIƆ IƆ CLXXVI placeret ſenatui, vt concordibus eum ſuffragiis, in ſocietatem tunc ſuam allegerent. Ex quo tempore noſter, in quibusuis officii ſenatorii partibus, ingenue ac dextre verſatus, atque anno CIƆ IƆ CLXXXV, virtute pariter ſua, & fama eſt meritus, qui iudex ciuium crearetur. Præterea anno CIƆ IƆCXCIII vicarii conſulis; & duobus poſt annis, conſulis extra ordinem dignitate mactatus; cumq; nuperius, conſulis ordinarii locus vacaret, ad hanc pariter capeſſendam prouinciam, a collegis electus eſt; niſi diuinius fatum intercesſiſſet, ipſa hac die, ſollemniter, in curia oppidana renunciandus. Erat enim ſpectatae & clarae inter ſenatores integritatis; vt recte agendo, nullius inuidiam aut amorem curaret;

ret; &, quod caput eſt rei, actiones pariter & conſilia, ſummi Dei oraculis, domi atque in templo notatis, nunquam non metiretur. Quibus praeſidiis, ſicut alias, in rebus ſiniſtris, ita nuper aduerſus formidinem mortis, conſtanter ac ſtrenue nitebatur. Namque robur ipſius, quo multis praeſtare aliis videbatur, ſub anni praecedentis auctumnum, malo corporis habitu, haud obſcuris indiciis cognito, frangi coeptum eſt. Qui ipſe, ſuperiore februario menſe, in reſpirationem difficilem, tumoremque ac tuſſim erupit; quin XXVII die auguſti, aeſtum atque horrorem inſolitum excitauit. Quae malorum agmina, a WVedelio, illo medicorum heroe, toties oppugnata, rectorem corporis, animum expugnarunt. Hic autem, a venerando ſacrorum antiſtite ſemel ac iterum expiatus, die prima ſeptembris, octauam circiter matutinam, ad ſuperas illas, aque morborum contagione aeternum liberas ſedes digreſſus eſt. Veſtra nunc intereſt, ciues! dato hodie ſigno „ Viri ampliſſimi, atque meritis in rem publicam ac librariam, ante plures habendi, exequias, ad templum oppidanum ducendas, triſti habitu, memorique mortalitatis animo celebrare. P. P. ſub Acad.

ſig.

ſig. Domini XIV poſt Trinit. A. O. R. CIↃ IↃ CCVI.

V

BEne mori, ob codicis ſancti effatum, oportuit, qui bene adeo vixit, nobilisſimum huius vrbis conſulem, IVSTVM A SODEN: in quo vera pietas, cum propenſisſima ad ornandam rempublicam, voluntate certauit; & cuius in omnes merita, nemo, niſi ingratus, inficiabitur. In magiſtratu antehac vrbis gerendo talem profecto ſe praebuit, vt non conſulis, ſed parentis nomine, a ciuibus laudaretur; quia ex aequo omnium curam gerebat; & innocentes legibus tuebatur; ac ſuorum ſe commodo natum, ſignificabat. Si ea redirent tempora, cum praeclare merentibus monumenta & ſaxa erigerentur; dubium non eſt, quin prae ceteris Sodio tale praemii ac honoris nunc genus obtingeret. Primam in orbe ſtatuam, Ninus Aſſyrius, patris Beli virtuti ac memoriae conſecrabat: cuius exemplo poſtea multi, imagines & columnas huiusmodi, ſuis olim parentibus, ex hac vita cedentibus, poſuerunt. Verum conſuli noſtro praeſtantisſimo, tanquam

quam communi ciuium patri, monumentum aliquod, non in foro, ſed animis hominum, quod nec tempeſtas poſtmodum vlla, nec aetas delebit, merito ſuo ſtatuitur. Ipſa haec academia honorifice perquam Sodium, poſt mortem etiam appellabit: cuius in nos humanitas, & erga litteratos affectus, inter exempla hodie rariora habentur. Adeo vita defuncti cum origine eius conſentiebat! quam anno CIↃ IↃ CLXVI, die II iunii, in vrbe Hannouerana, electorum ac principum ſede, a parentibus, genere ac virtute egregiis, diuinae gratiae ope, ducebat. Patrem nactus eſt Iureconſultum percelebrem, D. Ludolfum a Soden, conſiliarium Luneburgenſem, & iudicii aulici adſeſſorem, ſolertia olim ac fide, ſummis aeque ac infimis commendatum. Mater extitit, ſingularis prudentiae foemina, Sophia Eliſabetha, ſtirpis Bartheliae. Si ad auos & proauos, vel ad ipſos maiores adſcendere, ſingulorumque decora memorare vellemus; tot nobis inſignes in republica viri, tot generoſi patricii ſe offerrent; quibus enumerandis, neque tempus hoc, neque charta ſufficeret. Hanc vero felicitatem natalium, religionis ſincerae auſpicia, quae die luſtrico capiebat, educationisque ſoler-

lertia, quam parentes probabant, haud parum amplificarunt. A quibus principiis, tam virtutes Sodii, quam optimarum artium ſtudia, & cuncta fortunae beneficia profluxerunt. Ad haec maior ſubinde acceſſio facta eſt; poſtquam parentum, iuſto citius ſubductorum, induſtriae, praeceptorum fidelium cura ſucceſſit: cui non minor defuncti conſtantia ac virtus reſpondit. Academiam enim Erfordienſem anno CIↃ IↃCLXXXIX ingreſſus, ad verum ſapientiae decus contendit; neque colorem tantum aut ſpeciem iurisprudentiae, ſed ſuccum & ſanguinem quaerendum putauit. Cumque vſus iſtius ſcientiae, per totum, ceu conſtat, orbem terrarum pateat; inde Belgium, tanquam aliquod orbis compendium, anno CIↃ IↃCXCI adiit; vt inchoatam in libris ac ſcholis peritiam, talem ad modum peregrinando perficeret. Cum autem in eo iam eſſet, vt comparatam & auctam apud exteros eruditionem in Germaniam ſuam referret; in ipſa Leidenſium academia, tot ſanitatis magiſtris nobilitata, grauis repente ingruit morbus, omnes profectionis Belgicae fructus, rei publicae erepturus; niſi eos aeterni Numinis prouidentia, non patriae quidem, quam repetebat primum,

sed

Digitized by Google

ſed ciuitati Ienenſi, tribuere ſtatuiſſet. Huc proinde, anno CIↃ IↃ CXCII delatus, & maioribus doctrinarum praeſidiis, ad negotia publica praemunitus, ipſos procerum aulicorum oculos in ſe conuertit: qui ſcribendarum epiſtolarum muniis, in ſanctiore ſenatu adminiſtrandis, anno CIↃ IↃ CXCIIX ornandum putarunt. Ab eo igitur tempore, tam fortunae, quam matrimonii: cum Maria Magdalena, nobilisſimi viri, Laurentii Schraderi, iurium quondam doctoris, inque Vinarienſi ac Ienenſi regimine aduocati, vidua, multis dotibus celebrata, eodem, quem diximus, anno initi; ac praeter tot alia amoris honeſti & mutui argumenta, filiarum duarum praecipue partu laudati, hic ſedem figebat. Eiusdem praeterea Principis, qui primum nuper officium ipſi detulerat, voluntate, anno CIↃ IↃCXCIX, conſul vicarius; & inſecuto poſt anno, praetor vrbis creatus; annoque recentis ſeculi primo, conſulis ordinarii dignitate mactatus eſt. In quo virtutis ac induſtriae campo, Vir iſte amplisſimus ita verſatus eſt: vt a recti tramite nunquam deflecteret; & neque amore aut odio, neque variis ac periculoſisſimis morbis, quorum veluti lerna aliqua in ſanguine corrupto continebatur, perturbari ſe pateretur.

Ve-

Verum auctumni nuperioris principio, tumor pedum, vlcusque praecordiorum & calculus, atque aliquid febris lentae, ad opprimendum aegrotum veluti conſpirarunt. Neque tamen cum corpore animus, a venerando ſacrorum praeſule atque conſiliario, D. Michaele Zulichio, theologo peritisſimo, expiatus, opprimi potuit; imo omnibus malis ſuperior, nouisſima die mercurii, hora ante meridiem nona, in coelum erupit. Veſtra intereſt, ciues! vt Viro huic meritisſimo, & ad rarae integritatis exemplum apud nos referendo, pulſato, poſt hodiernum meridiem, aere campano, ſupremum humanitatis officium perlibenter ac pie praeſtetis; doloresque ſuperſtitum, quantum in Vobis eſt poſitum, leniatis. P. P. ſub Acad. ſig Domin. III poſt Epiphan. A.O.R. CIↃ IↃCCIIX.

VI

DEfunctus eſt nudius ſextus, vel, vt diuini codicis more loquamur, placide obdormiuit, excellentisſimus Senex, CAROLVS CAFFA: quem annis abhinc octoginta & quinque, Italia tulit, amplisſimisque honoribus auxit; quem Sa-

 xonia,

xonia, ante octo & quadraginta hos annos aduenam, benigne accepit, & purioris doctrinae lumine colluſtrauit; Iena denique ad doctoris publici dignitatem extulit, ac impenſe dilexit, & perpetuo ſibi conciliauit. Mens beati, ex eo vsque tempore, Dei plena, & nullis vitiis inquinata, ita in terris verſata eſt; vt coeleſtia ſibi ſpatia deſignaret: atque ita inter nos vixit; vt viuendi exemplum merito haberetur. Cuius religionis id praemium conſecutus eſt noſter: vt quam longisſime vitam produceret; vtque noſtra haec academia, poſt Ioannem Maiorem, theologum olim atque antiſtitem ſummum, vix profeſſorum aliquem, grandiorem natu extulerit. Vetuſtioris igitur aeui mortalibus comparandus atque aequandus is venit: quorum grauis & honorifica aetas admirationi poſteris eſſe ſolet; & quorum noſter frugalitatem, virtutemque & innocentiam, viuendo expresſit. De quibus niſi nunc aliquid diceremus; iniqui eſſemus in Viri eximii merita; quae laudari par eſt, quando locus eſt, poſtremo ea laudandi in academia, quam non vnis doctrinae ac induſtriae monumentis ornauit. Ortum ipſe, anno cIↃ IↃ cxxIII, in illuſtri Italiae loco habuit; & decus a parentibus prae-

cla-

clarum accepit: quorum auſpicio, ſacris mox fontibus tinctus eſt, animumque virtute & literis expoliuit. Annum dehinc decimum & quintum ingreſſus, religionis Dominicanae placitis, ab hominibus ceteris ſe diſtinxit; ipſumque adeo florem aetatis, ieiuniis, precibus, diſceptationibus, & profanae non minus, quam ſacrae ſapientiae ſtudiis, cum ingenti valetudinis damno, conſumſit. Diuerſis idcirco ordinibus, a praeſulibus diuerſis initiatus, &, vt vocibus apud pontificios receptis vtamur, initio oſtiarii, poſt exorciſtae, deinde lectoris, tum acoluthi, poſtea ſubdiaconi, mox diaconi, denique ſacerdotis & presbyteri muniis, ad annum vsque viceſimum tertium, functus fuit. Inde Neapolin, ad tradenda theologorum ac philoſophorum praecepta, in Saluatoris, ceu vocant, conuentum, lectoris publici nomine, ablegatus; & biennio poſt, ad ſacra ſecularia, anno CIↃ IↃ CL ab Innocentio X inſtituta, Romam profectus, peccatorum veniam, indulgentiarum titulo celebratam, a memorato pontifice impetrauit, Ex cuius ſancito, & ſeptem hic templa praecipua de more obiuit; & Ioannis Baptiſtae de Marinis, qui principatum, in Dominicanorum tunc ordine, obtinebat, auctoritate, ad Docto-

ris theologi gradum adſcendit: ac propterea, in aede Mineruitana, pileo, annulo, oſculo, ceteriſque inſignibus, a deſignatore acceptis, ſollemniter proclamatus; cumque aliis, in ſanctae Mariae Querquenſis ſocietatem, prope Viterbium, ad propaganda pontificum ſacra, dimiſſus eſt: vbi ſeuerae ac moleſtisſimae diſciplinae propoſitum diu ſeruauit. Fracto ita corporis robore, nulloque tot ſuperſtitionum praeſidio in literis ſacris reperto; primum tunc cepit conſilium, inter verioris religionis cultores, nomen ſuum, ſerius, ocius, profitendi; fuſis ſaepius lacrimis, atque ſeriis votis ad miſericordiſſimum Numen conceptis. Hac ergo ſpe fretus, ad moderatorem huius ordinis ſummum, Romam ſe contulit; id, quemadmodum prae ſe ferebat, precatus, vt domum hinc Lauretanam adire, atque aegrum hic animum recreare liceret. Poſtquam igitur noſter, habitu peregrino indutus, celſisſimorum montium iuga transſcenderat; primum Geneuae pedem figebat; ac inde Lugdunum, hinc Maſſiliam, atq; poſt paulo Telonem Martium appellebat. Graui autem oppreſſus hic morbo, ſingularemque oppido ſacerdotum benignitatem & opem expertus eſt: quorum ani-

animos ſibi, tam docendo hucusque, quam diſputando deuinxerat. Exacto ita biennio, verus Numinis amor excitabat beatum; vt in Heluetiam pergeret, & Baſilea Argentoratum excurreret: quamque ingenti ac incredibili, emendandae religionis deſiderio teneretur, in ſummi antiſtitis ſinum deponeret. Perſuadebat is ipſi, vt in Saxoniam, ceu tutisſimum veritatis tunc portum, confugeret. Cuius ei mox inſtituti auctores, Darmſtadienſes ſimiliter & Gieſſenſes, inque his Haberkornius, extiterunt. Ingreſſus igitur Ienam noſtram, huius incepti gratia, ſtatim Chemnitium, theologum atque praeſulem incorruptum, conueniebat: qui & aditum ipſi, ad ſapientiae expurgatae myſteria, orationemque publicam, qua coetus pontificii nugas damnaret, ſine mora aperuit. Hanc enim, anno cIↃ IↃ CLXI, in theologorum hic auditorio, applaudentibus omnibus, quin & collacrimantibus, recitauit, breuique poſt, typis excuſam, cunctis academiae Nutritoribus conſecrauit. Ea quidem de cauſa, ad pietatis hoc domicilium, Vir hic optimus ſe conuerterat: vt religionis praeſidium; non vt ſedem hic dignitatis haberet: quam tamen & ipſam, coeleſtis prouidentiae be-

neficio, ſua citius opinione inuenit. Nam profeſſoris prouinciam, a principibus ſereniſsimis ſponte oblatam, vt diuinitus conſecutus eſt: ſic magna cum famae & laudis acceſsione, ſuſtinuit. Plures certe ex illo tempore diſputationes ſcholasque inſtituit; plures edidit libros; plures orationes Italicas atque Gallicas habuit; quam vt enumerari nunc ſingulae, nedum celebrari hic poſſint. Fuitque omnino, Vir iſte laborioſiſsimus, decus doctrinae exoticae in Saxonia; dum lycei iſtius vtilitati ac flori, annos quadraginta & ſeptem, conſtanter conſuluit: nullis Gieſſenſium, licet operam eius deſiderantium, adhortationibus atque precibus auocandus. Inter haec, nunquam beatus ab officio boni viri diſceſsit: atque animum ſuum in emendato ac puro Numinis cultu defixit. Quem vt in ſacris noſtratibus contineri ſciebat: ita vt vitam Romanienſium caelibem ipſo facto damnaret; cum virgine perhoneſta, ac domeſticae rei perita, Maria Boettneria, Viri, dum viueret, integerrimi, VVolfgangi Boettneri, ſaltuum Luneburgenſium olim praefecti, filia, anno CIↃ IↃCLXIX connubium iniit; inque aulico templo, & glorioſiſſimorum Principum, Ioannis Erneſti, & Ioannis Ge-

Georgii oculis, Vinariae conſummauit: ex quo filios ſex, & filias duas ſuſcepit. Inter ſuperſtites quatuor, ornatisſima, atque maxima natu filia, Dorothea Maria, iurisconſulto nobilisſimo, D. Henrico Rudolpho Heidenreichio, ab illuſtris regiminis, aerariique Gothani conſiliis, die III iunii, anni labentis, auſpicatisſime nupta, maximo ac ſupremo parentem gaudio, iam decumbentem, refecit. Ceterum tot annorum hic ſpatiis abſolutis; tot ſuſceptis atque abſorptis moleſtiis; vacationem tandem defunctus huius militiae ab imperatore coeleſti obtinuit: reſpirationisque difficilis morbo, ac tuſſi, quae nullis plane remediis, a Georgio VVolffgango VVedelio, medico ſummo, porrectis, expugnari poterat, continenter afflictus, viribusque exhauſtus; victricem malorum animam, diuinoque epulo confirmatam, die nouembris viceſimo, ſextam inter & ſeptimam matutinam, non ſine circumſtantium fletu ac gemitu, pie & placide exhalauit. Merita Senis optimi maiora fuerunt, quam a multis fortaſſe credentur; & veſtram proinde, dilectisſimi ciues! frequentiam, in exequiis, ex aedibus, quas viuus poſſedit & incoluit, pulſo hodie

aere campano, ducendis, plane, & nec monentibus nobis, requirunt. P. P. ſub Acad. ſig. d. XXV Nouembris, A. cIɔ Iɔccvii.

VII

AB vltima inde morborum origine, infiniti fere ſanitatis magiſtri a Deo propitio excitati ſunt: quorum primi & antiquisſimi, medicinam in vſu tantum, experimentisque dubiis, poſuerunt. Alii vero rationem ſimul & artem adhibuerunt; & hoc ſtudii genus, ad maius maiusque perfectionis faſtigium deduxerunt. In tanta tamen medentium multitudine, pauci, quos recordari poſſumus, extiterunt, qui partum a ſe ſcientiae decus, ad filios ac heredes, eosque numero plures, transtulerint; atque aliquam medicorum familiam, magno mortalium bono, propagauerint. Rarum ergo fortunae hoc munus, ſicut Dania in Bartholinis ac Borrichiis ſuis extollit: ſic Germania, non in Meibomiis & Hofmannis tantum; ſed etiam in VVedeliis, hodieque oſtendit. Fuerunt quidem ſuperioribus annis, in ipſa hac academia, Schenckii, Rolfincii, Moebii, atque alii medicinae ſtatores, doctrinis non

non minus, quam ſcriptis nobilitati. Videtur vero benignisſimum Numen, medicorum hodie principi, Georgio VVolfgango VVedelio, hoc prae ceteris pietatis ac ſolertiae praemium tribuiſſe: vt deceſſorum quidem memoriam, grato pioque animo conſeruaret; ſed ea tamen in re, anteiret magiſtros, quod virtutis ac praeſtantiae ſuae imaginem in Filiis tribus intueretur. Neque igitur caſu, ſed conſilio coeleſti eſt factum, vt natu ex iſtis grandior, ERNESTVS HENRICVS VVEDELIVS, Doctor atq; profeſſor medicus, ciuitatisque phyſicus, haud vulgare inter nos nomen iam pridem adeptus, idem adhuc, cum parente honoratiſſimo, athenaeum Ienenſe, neque impari ratione ac induſtria, illuſtraret. Vtinam vero tam laetis initiis laetus haud minus exitus reſpondiſſet! ac repentino obitu Viri, tota familia, imo tota haec academia, expectationis longiſſimae fructum non amiſiſſet! Iam perturbatis nos animis, modo funus Filii, modo luctum Parentis adſpicimus; cumque ingenti deſiderio, ampliſſima laudum ſpatia contemplamur: quae beatus, in circumſcripto adeo vitae curriculo, ſibi inter mortales deſignauerat. Dignam ſe patriam noſter ſortitus eſt Gotham, vrbem Thu-

ringiae perantiquam, & magnorum Principum, atque artium praeclararum altricem. Hic anno CIↃ IↃ CLXXI, calendis auguſti, circa ſeptimam veſpertinam, a laudato ſuperius Viro, ſed nunquam ſatis laudando, Georgio VVolfgango VVedelio, Schvvarzae praedium hereditarium poſſidente, nec non medicae artis doctore, & comite palatino caeſareo, ſereniſſimorumque Saxoniae Ducum conſiliarii, atque archiatri, & profeſſoris ordinarii munia impraeſentiarum tuente, collega noſtro plurimum honorando; medici nimirum perſonam, in Gothanis quibusdam prouinciis, tunc gerente: & a matrona exquiſitiſſime culta, Chriſtiana Sabina Auemannia, in lucem ſuſceptus; a paternarum auitarumque virtutum curriculo dimoueri haud potuit. Auus enim paternus, M. Ioannes Georgius VVedelius, Sprembergae, inferioris Luſatiae oppido, ſacris, dum viueret, operatus, eius ſimul officii partes cum laude impleuit, quod inſpectoris titulo celebratur. Eiusdem familiae auia, Eua Kohlia, famam ſimiliter pietatis ac pudicitiae poſt mortem reliquit. Auum maternum habuit, iurisconſultum illuſtrem, Eliam Henricum Auemannum, ſerenisſimi Ducis Gothani, in ſanctiore ſenatu, & curia

ria aulae, conſiliarium, ſacrorumque conuentuum praeſidem, tam prudentia, quam grauitate inſignem. Pari modo, quae matrem egregiam peperit, Chriſtiana Maria Rugeria, dignitate non magis, quam praeſtantia ac virtute, familiam inter foeminas ſui aeui ducebat. Nec minori ſplendore, eius originem illuſtrabant, iuſtitiae ſacerdotes incomparabiles, Auemannus & Heidenreichius: ille glorioſiſſimi Ducis Gothani a conſiliis intimis, & iudicii aulici moderator; hic diuinioris concilii praeſes; vtrique laudibus noſtris maiores: quibus teſtibus, nomen beati in ſanctorum tabulis ſcribebatur. Horum tropaea cum intueretur ſubinde, & magnopere aeſtimaret VVedelius; a Parentibus, felicem & probam filii indolem, per praecepta atque exempla, excitantibus, ad capeſſendam virtutem atque doctrinam, haud difficulter adductus eſt. Ex hoc laudis domeſticae campo, in gymnaſium Portenſe dimittebatur: ad omne eruditionis ſcholaſticae genus, ac praecipue ad ſermonis latini & graeci elegantiam, duces hic nactus egregios, M. Ioannem Georgium Laurentium, M. Chriſtophorum Franckium, M. Chriſtophorum Guntherum, M. Io. Gottlobium Huſtmannum,

&

& alios: quorum primo, Rectore ſimul & hoſpite vtebatur. Ibi quinquennium, & quod excedit, iis vnice rebus conſumſit, quibus vera ſapientia continetur, & gradus ad maiora paratur, tamque propriae, quam communi ſaluti conſulitur. Dignusque hoc modo, vt vitae, ſic gloriae academicae candidatus euaſit: quam anno cIↃ IↃ c xc, die II aprilis, de Parentis ſententia, auſpicatus, & ad rerum tam naturalium, quam medicarum arcana inueſtiganda, partim celebratiſſimi Patris exemplo, partim naturae impetu concitatus; cumque iis verſatus eſt profeſſoribus, quorum conſuetudine doctior, aptiorque ad diſciplinas has redderetur. Poſnerum proinde parentem, Schmidium, Hebenſtreitium, Hambergerum, in philoſophia ſectatus eſt. Cuius ipſe inſtructus praeſidiis, ad medentium artes ſe contulit, inſtitutionique doctorum inſignium, Crauſii, Schelhammeri, &, qui inſtar eſt omnium, ſui Parentis, aſſueuit: morborumque origines & cauſas ſcrutari, nec non corpora mortuorum incidere, viresque herbarum ac florum cognoſcere, & igne res abditiſſimas ſoluere, atque omnia iſta ad vſum transferre, edoctus eſt. Cum hoc igitur apparatu doctrinae, anno cIↃ IↃ c xcIv, Altorſum Noricorum in-

ingreſſus, ſummis in arte medica Viris, Mauritio nempe Hofmanno, Iac. Pancratio Brunoni, & Io. Mauritio Hofmanno; mathematicorumque ac phyſicorum noſtri ſeculi primo, Ioanni Chriſtophoro Sturmio, in permagnis deliciis; ſuisque commilitonibus in honore praecipuo eſſe coepit. Vt enim in noſtra hac academia, duo ad diſputandum argumentorum genera, de ſymptomatum omnium, praeſertimque ventriculi cauſis, ab honoratiſſimo patre propoſita; vnumque de aure, Deum conditorem probante, maxime reuerendi Schmidii, adfinis ſui auſpicio, magna cum audientium voluptate, defenderat: ita Altorfi, moderatore Hofmanno ſeniore, de vtero procidente diſputans, expectationem omnium ſuperabat. Inde igitur, anno cIↃ IↃ c xcv, menſe maio, praeclara virtutis & ſapientiae teſtimonia Ienam retulit; tam honorum, quam fortunarum poſtea ſedem, de ſapientiſſimi Numinis voluntate, futuram. Eodem enim hoc anno ac menſe, glorioſiſſimus princeps Vinarienſis, Guilielmus Erneſtus, accepto praeſtantiae eius nuncio, medici eum titulo, prouinciis Dorenburgenſibus atque Burgelenſibus praeeſſe iubebat. Quae honorum au-

auſpicia, menſe iunio, magiſtri philoſophiae laurea; ac die IV iulii, cum de ſale, ceu vocant, ammoniaco, publice ac ſubtiliter diſceptaſſet, doctoris medicinae inſignibus; & anni cIↃ IↃ c xcvi ianuario menſe, phyſici apud nos ordinarii; ſecutoque mox anno, die XVII iulii, medici profeſſoris munere, extra ordinem quidem, cum certa tamen ſpe ſuccedendi, illuſtrabantur. Ex quo tempore, capaciſſimi noſter ingenii dotes, in conſpectu omnium, inque academica luce, non doctrina & vſu ſolum explicuit; ſed diſſertationes quoque egregias edidit: quarum alias de peritonaeo, & tinctura martis hellebórata; alias de ephemera & morbis concionatorum; alias de hydrope atque catarrhis; rurſus alias de phyſiologia vrinae, deque ſaliua ac cerumine; omniumque poſtremas de vermibus, itemque de aquis deſtillatis, ac tranſpiratione inſenſibili, artis ſuae vocabulis vſus, inſcripſit. Certe plurima, a parente inuenta, magis excoluit; & nonnulla etiam ipſe eruit; auctoritatemque ſibi & famam haud minimam comparauit. In ſucceſſu itaque rerum tam proſpero, felix non minus matrimonii foedus, cum virgine pudiciſſima, Anna Catharina, Chryſoſtomi illius Ienenſis, Georgii

orgii Goetzii, antiſtitis olim apud nos ſummi, & a rerum ſacrarum conſiliis, filia, paternarum pariter laudum, & maternarum imagine, anno cIↄ Iↄc xcvii, die IX octobris, ſollemni cerimonia conſummatum, paciſcebatur. Quod & concordia mutua; & filiorum duorum, Georgii, inquam, VVolfgangi, Georgiique Erneſti; & quinque inſuper filiarum, Sophiae Erneſtinae, Chriſtianae Reginae, Annae Catharinae, Margarethae Catharinae, & Philippinae Dorotheae, foecunditate ſe commendauit. Ex his, quinque priores, in beatorum numerum pridem recepti ſunt; poſtremis duabus, animo atque cultu maioribus digno, effloreſcentibus. Quibus vt pignus amoris vltimum, vtero adhuc materno incluſum, coeleſti mox ope accedat, & gaudendi poſt luctum, materiam afferat, Deum immortalem precamur. Iam praeclara beati, erga vxorem ac prolem, officia, nullis teſtibus egent: & reuerentia aduerſus parentem ac matrem, non germanam ſolum, ſed, hac, anno cIↄ Iↄc LXXIX erepta, erga amantiſſimas ſui nouercas, Margaretham Catharinam Soeffingiam, & Catharinam Sophiam Schelhaſiam, magnae exiſtimationis matronas, digne praedicari haud poteſt. Reliquae vero virtutes VVedelii

delii tantae fuerunt; quantis pauci eruditorum, in ſcholis & academiis, cenſeri merentur. Conſtat vtique inter omnes, neminem noſtro, ad inſeruiendum aliis, & ad humanitatem ac fidem teſtandam, ſe promtiorem exhibuiſſe. Certabat in eo cum ſeueritate modeſtia, & cum tranquillitate ſagacitas. Blandus erat, ſed ſine vanitate ac fuco; laborioſus & acer, cum tempus id poſceret; patiens, mitis, pacatus, reuerens aliorum. Nunquam non ſorte ſua contentus reperiebatur, atque in voluntate Numinis acquieſcens. Minus corporis robur viribus animi ac ingenii natura penſabat. Quae in nuperiore etiam morbo creuerunt: vbi is non medendi tantum, ſed etiam moriendi artificem ſe probauit. Nuperioris hiemis, magna admodum, ac inuſitata ſaeuitia, in corpusculum eius tenerum, prauos humores, deſtillationesque inuexerat. Hinc languor membrorum, & die VI aprilis, ingruente iam nocte, horror cum aeſtu coniunctus, atque ex his ſymptomata alia naſcebantur. Ex quibus & ipſe, & parens ſolertisſimus, eam mox febris ſpeciem arguebant, quae a reliquis morbis, lipyriae ſpuriae voce dignoſcitur. Equidem omnes artis medicae vires, ad profliganda tot mala, quo-

quorum vicisſitudo perpetua erat, a vidua & parente comparabantur. Sed ſuperiore ſaturni die, ex labiorum ac vnguium liuore patebat: iam computruiſſe humores; valendique iterum facultatem penitus exſpiraſſe. Ab humanis proinde auxiliis ad diuina conuerſus VVedelius, ſolam animae medicinam quaeſiuit. Quam & ipſe aegrotus ex oraculis ſacris petiit; & ab ore plurimum reuerendi VVeiſenbornii, quin & parentis religioſiſſimi, ſumſit: coeleſtique refectus epulo, huic & coniugi vale vltimum dixit: ſaturnique veſpera, hora quinta, inter adſtantium preces & lacrimas, placide, atque dormienti ſimilis, acquieuit; poſtquam annos XXXIIX, menſesque VIII, meritis atque laudibus multis diſtinxerat. De veſtra, ciues cariſſimi! in VVedelianam familiam reuerentia, comitatum nobis decorum, & valde frequentem promittimus, in exequiis, hora II hodie, in academico templo, pie ac ſplendide celebrandis. P. P. ſub Acad. ſig. die XVII aprilis, A. O. R. CIϽ IϽCCIX.

VIII

IN ſupremo hoc pietatis officio; quod nobilisſimo conſultisſimoque Viro, IOACHIMO SEEKIO, iuris doctori, nec non prouincialis iudicii aduocato, & oppidani ſenatus conſiliatori, ſiue, vt vulgo vocatur, ſyndico meritisſimo, perſoluendum eſt; id in votis habemus: vt, quanta funeris indicendi neceſſitas nobis imponitur; tanta quoque facultas ſuppetat, mitigandi doloris; quem lectisſima vidua, atque ciuitas vniuerſa, nihil antehac minus, quam ſubitam hanc iacturam, ſperantes, merito conceperunt. Nam qualem Penelope in ſuo quondam Vlyſſe, talem Schubartia ſe in Seekio amiſiſſe, intelligit: concordisque & ſuauis matrimonii deſiderium graui ideo ac perenni moeſtitia renouat: amoremque caſtisſimum nec ipſa morte extingui, & ne minui quidem poſſe, teſtatur. Oppidana vero reſpublica, ſui velut Atteii, tam ſcientia, quam auctoritate ac vſu florentis, & diligentia ac fide ſpectati, obitum deflet, & officio triſti proſequitur. Vt vix modus futurus ſit luctus publici ac domeſtici; niſi ad ſapientisſimum Numen, vidua aeque, ac ſenatores & ciues, reſpiciant: ceu mariti, ſic patris munia ſubiturum; atque id rei publicae,

blicae largiturum; quod de aureo illo & mirabili ramo, qui ablatus, deorum auſpiciis reddebatur, poeta princeps commemorat. Nihil itaque reſtat, niſi vt conſeruemus memoriam atque laudem Seekii: cui naſcendi initium fuit Roſtochii, in eruditorum non minus, quam mercatorum iam olim emporio: vbi mortuum, anno CIↃ IↃCLIX, die XIX octobris, vir ſpectatae ſolertiae ac virtutis, Ioannes Seekius, mercator ibidem praecipuus, ex matrona egregia, Dorothea Sleueckia, ex voto ſuſcepit. Poſt praematurum parentis obitum, mater perinde ac nobiliſſimus patruus, Ioachimus Seekius, nil negligenter fecerunt; vt a praeceptoribus primum domeſticis ad omnem doctrinam ac elegantiam formaretur. Inde expleto adoleſcentiae anno XVII, in Guſtrouienſe lyceum amandatus eſt: Gothofredum Vogtium, initio huius gymnaſii, poſt Hamburgenſis, moderatorem clariſſimum, ac theologiae licentiam iure ſuo adeptum; Corneliumque Pittelium, conrectoris munere functum; adiutores hic ſtudiorum idoneos, ſucceſſuque tam proſpero nactus; vt magnum deinceps ac egregium, ab eius conatibus fructum, omnes ſibi pollicerentur. Dein maiora atque ſublimiora agitans ani-

mo, de patrui iam laudati ſententia, academiam noſtram ingreſſus, & conſultisſimos iuſti ac aequi doctores; in philoſophiae ſcilicet inſtitutis, Ioannem Chriſtophorum Hartungium; in legum vero ſcientia Ioannem Georgium Simonem, mox athenaei Halenſis antecesſorem, ſectatus eſt. Tum in academiam patriam reuocatus, non modo a doctoribus iuris dexterrimis, Ioanne Kleinio, Georgioque Rachelio; ſed & a profeſſoribus ibi excellentisſimis, Ioanne Siebrando, Iacobo Lemckio, & Ioanne Feſtingio, qui poſtremus a ſerenisſimi Suerinenſium Ducis conſiliis ſanctioribus erat, acriter ipſe excitabatur, ac vehementer in prudentia iuris confirmabatur. Nam ſub Lemckii memorati auſpiciis, pro ſuggeſto academico ſtetit, atque de iure theſaurum aliquem acquirendi, applaudentibus omnibus, diſputauit. Interiecto deinde tempore, Regiomontum ſe contulit, profeſſore iuxta ac hoſpite vſus Chriſtiano Rangero, viro inſigni; atque iis in ſtudiis, quibus ad iurisprudentiam vis ac pondus ineſſet, plurimum aſſecutus. Inde matris exoptatisſimae morte, domum redire, & res domeſticas conſtituere cogebatur. Mox vero in prytaneum Ienenſe pedem retulit; tum perilluſtris Lyn-
keri,

ckeri, tum aliorum apud nos profeſſorum fama allectus. Quorum conſilio iuxta & ope effectum eſt, vt egregiis noſtri ſtudiis laeti exitus reſponderent; atque vt literarum ſecretiorum interea ſcribendarum munia, in laudatisſimi baronis Lynckeri legatione, qua Viennae perfungebatur, dextre & accurate obiret. Quare merito ſuo, ſummos in iure honores anno CIↃ IↃC LXXXVII petiit; atque nobili argumento, de perſonis praecipuis, id iudicii genus, quod in praediis beneficiariis valet, conſtituentibus, in diſputantium arena excuſſo; die XXVI ianuarii, anni CIↃ IↃC XCII, cum fauſta omnium acclamatione, obtinuit. Ex quo tempore virtus beati, quae ſua iam luce fulgebat, ſereniſsſimis Ducibus, Vinarienſi atque Gothano, innotuit: dignaque eſt viſa, quam aduocati ordinarii functione, in regiminibus ſplendisſimis, Vinariae primum, poſt Gothae, remunerarent. Quibus partibus, ad annum vsque CIↃ IↃC XCIV, praeclare adminiſtratis; cum ſyndici mox honore ac titulo, ſenatui apud nos oppidano adfuit: atque huius pariter dignitati, ciuiumque ſaluti conſuluit. Inter haec, nuptias ipſe quatuor, cum vxoribus totidem, quarum & tribus iuſta vltima ſoluit, Deo

ita res Seekii ordinante, non ſine cere-moniis ſplendidis, celebrauit. Primas anno cIↃ IↃcxcI, die XVI nouembris, cum pudicisſima virgine, Maria Chri-ſtina, Viri maxime reuerendi, Frideman-ni Bechmanni, diuinarum tunc literarum doctoris, ac profeſſoris primarii filia; ſe-cundas, anno cIↃ IↃcxcv, die XIV ianua-rii, cum virgine ornatisſima, Iuſtina Regina, medicorum hodie primi, Geor-gii VVolfgangi VVedelii prole; tertias cum Ioanna Carolina, pari modo virtu-tibus virgineis florentisſima, & a conſilia-rio aulae Cizenſis nobilisſimo, Paulo Conrado Mitternachtio, procreata; quar-tas cum foemina praeclarisſima, Martha Chriſtina, hiſtorici quondam ac oratoris Ienenſis, D. Georgii Schubarti, viri cele-bratisſimi, vidua, pio ritu confecit. Et ex Bechmannia quidem, praeſtantisſimae ſpei filium, Fridemannum Chriſtianum Seekium; ex VVedelia vero filiolam in partu ereptam; ex Mitternachtia porro filium ornatisſimum, Carolum Conra-dum; ex Schubartia denique, duos ſua-uisſimos liberos, Georgium Ioachimum, & Dorotheam Chriſtianam, vt naſcentes excepit, ſic diligentisſime educauit. Iam coniugibus quatuor lumen ipſe virtutis ac fidei praetulit: cumque ſoceris hono-

randis, officio & amore certauit: nullumque interea tempus, bene merendi de ſua familia ac republica, praetermiſit. Solers, diligens, acer, candidus, pius, plenusque humanitatis. Quare non poſſumus, quin dolore ingenti & candido proſequamur Viri nobilisſimi obitum: ex lumbi inprimis ſiniſtri calculo, inde a XVIImo maii, renis exitum obſtruente, coortum; poſtquam crebra arthritidis atque calculi mala, licet ſaepius generoſis remediis victa, aliquot abhinc annis praeceſſerant. Sed poſtremum hoc iſchuriae, ceu vocant, ſymptoma, medicamentis fortius fuit; nec niſi medicina coeleſti, quam ex antiſtitum venerabilium, Zulichii atque VVeiſenbornii ore, & ex prioris, qui ipſi a confesſionibus erat, etiam manu, accipiebat: & quam ipſe etiam, ſanctis ex precibus & oraculis hauriebat; Deo auſpice, ſuperandum. Dies XXVI labentis nunc maii, decretoria fuit: quae, inter vota ſuorum, Seekium, cum ſexta iam matutina appeteret, a mortalitatis vinculis liberum, geniorum coeleſtium ciuitate donauit. Veſtrum erit, cariſſimi! hodie, hora II poſt meridiem, prodire in funus meritisſimi Viri, ac dolores lugentium, pio admodum & amplisſimo

comitatu lenire. P. P. ſub Academ. ſig. die XXIX Maii, A. O. R. CIↃIↃCCIX.

IX

SI nulla vnquam mortalibus plaga imponitur, quae aeternum & ſapientisſimum Deum auctorem non habeat; multo minus iniuſſu eiusdem, dolor aut morbus aliquis, vel mors denique nobis obtinget. Neque igitur ſine coeleſti numine, Vir amplisſimus, FRIDERICVS KROMEYERVS, rationibus militiae ac Ienenſis prouinciae, vt & lignorum, quae Sala fluuio deuehuntur, praefectus; cum & ſerenisſimi Ducis gratia, & amplis fortunae muneribus, & ſua etiam virtute floreret; ſpe atque opinione citius de ſtatione decesſit. Qui in Romana republica, aerarii olim ac redituum curam gerebant; illi non ſolum pecunias in accepti atque expenſi tabulas referebant; ſed inopes quoque ac hoſpites benigne habebant; & magiſtratus placita aſſeruabant. Prima munia, velut auctoritate Principis, ſibi incumbentia, quam ſapienter beatus ac ſolicite moderatus ſit; comitia pariter ac aulae loquuntur. Quemadmodum vero partes alteras

alteras, beneficentia ac humanitate in omnes; ita tertias, ſuo in leges obſequio, ac iuſtitiae amore impleuit. Quantae olim res dignitatis fuerit, pecunias & annonas adminiſtrare; vel ex eo perſpicitur: quod magiſtratus eiusmodi ex patriciis ſolis, in comitiis curiatis, eligi, & creari primum conſueuerint. Kromeyerus etiam noſter, ex ea ortus eſt ſtirpe, cuius merita atque ornamenta egregia, in vrbe inprimis Vinarienſi, exſplenduerunt. In hac enim magnorum Principum ſede, anno cIɔ Iɔ c LIV, die XXX menſis iulii, in lucem productus, parentem ſortiebatur, ſuperiorem hic tributorum diſpenſatorem, & perſpectiſſimae fidei ac prudentiae virum, FridericumKromeyerum; vna cum matre lectiſſima, Anna Neumayeria, haud vulgaris virtutis foemina, beatorum nunc gaudiis affluentem. Auus paternus, Ioannis Kromeyeri nomine appellatus, inter ſummos ſacrorum praeſules, & aulae Vinarienſis antiſtites, poſt mortem etiam celebratur. Pari modo meritiſſimi viri, Ioannis Neumayeri, in dicta republica conſulis, atque reditus frumentarii ſcribae, memoria, nulla temere, quoad virtuti pretium erit, obliuione delebitur. Neque vero defunctum parentes ampliſſimi mortalem genuerunt

ſolum; ſed in ſacris mox fontibus, Chriſto ac immortalitati etiam conſecrarunt: Ioanne Friderico Pabſtio, rei hic monetalis, dum viueret, ſcriba integerrimo; Elia Bindero, oppidanae curiae ab epiſtolis; atque Anna Margaretha VValtheria, VVolſgangi VValtheri, VVachſenburgenſis olim atque Ichtershuſani quaeſtoris, filia, cultu virgineo florentiſſima, fideiuſſorum munia obeuntibus. Tum erecto ad meliora Filii animo, religionis ac honeſtatis cuiusuis ſemina tradiderunt: vtque ad rerum ſalutarium meditationem vlterius ſe conferret, ac linguarum notitiam ſibi pararet; omni ſtudio effecerunt. Dicique non poteſt, quanto noſter ardore, in oppidano lyceo, ad ingenuas diſciplinas contenderit; & quantam de ſe praeceptorum opinionem, ſuis iam tum conatibus, fecerit; vt proinde a ſcholae iſtius rectoribus, Reiskio atque Franckio, ipſa academica luce digniſſimus cenſeretur. Peruenturus omnino ad metam; niſi iam ingraueſcens parentis optimi aetas, eum, ad partienda tunc ſecum aerarii principalis negotia abſtraxiſſet. Quorum ingentem peritiam, quum, occaſione tam pulchra & commoda, ſibi paraſſet; idcirco eidem muneri ac honori, poſt patris cariſſimi mortem, praeficiebatur.

Digitized by Google

ebatur. Vt proinde his pariter, ac rei domeſticae curis, quas matris decrepitae cauſa agere, ſuarum beatus partium iudicabat, tanto magis par eſſet; matrimonii, pie ac prouide ineundi, conſilium capiebat: & cariſſimae matris conſenſu, virginem virtute & cultu inſignem, Martham Eliſabetham, ex ſenatoris prudentiſſimi, Ioannis Friderici Happii domo, conſuetis & ſacris cerimoniis, anno cIↄ Iↄ c lxxix, menſe iulio celebratis, in ſuam ducebat. Suauem oppido, per triginta hos annos, atque concordem, nec infelicis vteri coniugem; quippe ex qua liberos quinque ſuſcepit. Inter eos Ioannes Fridericus iurisprudentiae apud nos operatur: neque minus Eliſabetha virtute ac ſexus ſui pudicitia efflorefcit: reliquis tribus, Friderico, Anna Sophia, ac Dorothea Iohanna, pridem in coelo triumphantibus, atque dubio procul, in beati nunc pariter patris amplexum ruentibus. Iam cum noua ſubinde, tam probitatis, quam fidei documenta ederet noſter, ac teſtimoniis honorificis ſe dignum praeberet; inde effectum eſt, vt ampliſſimo Viro, Ioanne Fickio, ex viuis digreſſo; ſereniſſimi Principis Iſennacenſis literis deuocatus, A. cIↄ Iↄ clvii ea iniret munia, quae tot meritis huc vsque

que ornauit: pagis, oppidis, comitiis, aulis, in laudes ipſius conſpirantibus. Erat enim expertae dexteritatis & conſtantiae: nunquam difficilis, cum agendum aliquid ſe obiiceret; nunquam moroſus, cum loqueretur. Conditori ſuo religioſum; Principi fidum; ſuis beneuolum; omnibus ſincerum & comem ſe approbauit. Cumque omni is tempore de ſupremis antea cogitaſſet; propterea mortis timore percelli & perturbari non poterat, quando mori nuperius oportebat. Poſtquam enim calendis ſeptembribus, ſacra publica, horis aliquot matutinis, in oppidi templo peregerat; de ciborum nauſea ac debilitate virium ſtatim conquerebatur; nec redire a meridie ad aedem diuinam valebat. Ex quo tempore dyſenteriae ſymptomata iacentem oppugnauerunt; nullis medicamentis, quae a nobilisſimo Fickio, artis ſalutaris doctore, & aulae Vinarienſis medico, praebebantur, cedentia; viriumque reliquias, die VI ſeptembris, prorſus delentia. Spe igitur vitae caducae abiecta; ad vitam aeternam, tempeſtiue & cupide adſpirauit: accitoque admodum reuerendo Gnugio, atque abſterſis peccatorum ſordibus, viaticum coeleſte accepit. His praeſidiis fretus, inter ſuos atque

atque ſuorum ſanctiſſimos gemitus, media nocte diei ſextae ſeptembris, quam diximus, hora XI, in beatarum mentium ciuitatem adſcribebatur. Ita igitur annos LV, menſem vnum, vnamque hebdomadem atque diem, inter mortales, non ſine ſpe immortalitatis perpetua, commoratus eſt. Pompa funebris autem, hora III poſt meridiem, ex aedibus defuncti procedet: vbi poſtremo humanitatis officio, teſtatum facietis, o ciues! quanti merita ac virtutes nobiliſſimi Viri feceritis. P. P. ſub Acad. ſig. d. XII Septembris, A. cIↃ IↃ ccIx.

X

HEbdomadis praecedentis initio, vitam ſuam, vt morbis, ſic moleſtiis plenam, finiuit; e corpore, tanquam e cuſtodia quadam, dimiſſus, nobilisſimus Vir, Io. Matthias Bielerus, diſciplinae legitimae doctor, nec non reipublicae oppidanae conſiliarius, inque iudicio aulico cauſarum patronus, ac nunciorum publicorum magiſter meritisſimus: & vel eo nomine ad exemplum laudandus; quod obitum ſuum, non dolendi, ſed laetandi potius cauſam, quod ad ſe attine-

attineret, interpretatus eſt. Diuerſus longe ab illis, qui, licet infirma ſint valetudine, & infinitis propemodum malis tententur; viuendi tamen hoc genus moleſtisſimum, morti felici & placidae anteponunt. Talem Herodicum illum Selymbrianum, Hippocratis Coi magiſtrum, fuiſſe: & quamuis omnia ſuae aetatis tempora morbis plurimis diſtinxiſſet; omnia tamen praeſidia, quibus vitam in longum proferret, circumſpexiſſe; non ſine dedecore eius ac ludibrio, Plato commemorat. Paremque ad modum Maecenas, teſte Plinio, poſtquam noctes, triennio toto inſomnes, exegerat; vt proinde, viribus plane affectis, & ne pedibus quidem officium ſuum facientibus, commutationem iam vitae praeſagire animo poſſet; nullo tamen, valedicendi rebus humanis, deſiderio tenebatur; ſed in haec potius verba, cum praeſentium admiratione, erupit: omnia expectanda atque ferenda ſunt, vt viuamus. Cuius generis quidem aegroto epitaphium illud atque elogium congruit; quod in coenobio aliquo apud Luſitanos extare, Antonius Gueuara affirmat: mortuus ac ſepultus hic eſt, qui inuitus, atque moroſus penitus, ex vita diſcesſit. Certe haud minus ridiculos
ine-

ineptosque, homines iſti ſe gerunt; quam olim Ioannes Artius, Comes Liuonus, extitit: qui ad mortem damnatus, & candenti iam forcipe vſtus; perenni ſeruitio ac miſeria vitam paciſci, & catenis ferreis vinctus, ſub dio iacere, omniumque horarum ſupplicium pati, modo viuentibus intereſſet; vano ac irrito licet voto, optabat. Neque iſti, dum afflictiſſimam vitam, bonum eiusmodi eſſe, quo carere haud velint, exiſtimant; conſiderare vel credere poſſunt: meliora in vita coeleſti, quae poſt obitum chriſtianis promittitur, ſupereſſe. Quae tamen haud eo accipenda ſunt: ac ſi morborum impatientem ſe gerere; vel animum, inter dolores ac ſymptomata, deſpondere; vel conceſſam diuinitus vitam diris tunc deuouere, fas ac pium putemus. Quin expectandum imperatoris ſummi imperium; nec niſi ad voluntatem iuſſumque ipſius, de ſtatione hac recedendum eſt, qui in ea nos collocauit. Interea fractae valetudinis mala, incitamenta mortalibus atque ſtimuli eſſe debent: vt, quandocunque voluerit Numen, peregrinari atque affligi in hac ciuitate caduca, hoc libentius deſinant, coeleſtemque repetant; &, quod caput eſt rei, vt ſuo cum ſeruatore viuere, arctiusque

uſque coniungi, ac triumphare exoptent. Quae ipſa Martini noſtri Lutheri ſententia erat, quando obitum ille beatum ac laetum, vitae calamitoſae & languidae praeſtare dicebat. Ita & Paulus ſanctiſſimus, vt corporis aegri atque moleſti vinculis ſolueretur; melioremque, cum Deo & Chriſto, vitam ageret; etiam atque etiam precabatur. Parem optandi nouiſſime rationem inibat; paremque cum iſtis vitae exitum ſortiebatur Bielerus: cuius natales Etenhuſa, ad Neſſam fluuium ſita, ſibi vindicat: quae anno cIↄ Iↄ CLI, die XVI februarii, ex honeſtis parentibus, IO. MATTHIA BIELERO, architecturae dedito; & Dorothea Vockerothia, Matthiae Vockerothii, VVolfſersbreiningae praedio noti, filia, natum, ſuo veluti ſinu excepit. Breui poſt ipſe chriſtianorum in ciuitatem adſcriptus eſt: teſte Ioanne Herrio, in diuinis coetibus, qui Melbornae, Ettenhuſae & Aſterfeldae, ſeruatori optimo nomen dederunt, rerum ſacrarum praecone, pietatis ac fidei laude ſpectato. Tum ad annum vſque aetatis decimum quartum, lycei VValtershuſani magiſtris; atque poſtea illis in diſciplinam eſt datus, quibus formanda adoleſcentum ingenia, in ſchola Gothana, committebantur. Horum

rum ornatus teſtimoniis, anno cIↄ IↄCLXXII Ienam, nobiliorum artium officinam, adiit: in philoſophia Velthemium; in iurisprudentia Struuium, Schroeterum, Bechmannum; ſui temporis profeſſores perdoctos atq; dexterrimos, magno adeo noſter ſucceſſu & fructu conſectatus eſt; vt anno cIↄ Iↄ CLXXIV, ſub illuſtris Struuii clypeo, diſſertationem acutam, de concluſione in cauſa editam, promte ac fortiter tueretur. Anno cIↄ Iↄ CLXXV, labente tunc ianuario menſe, a Mulsbachio, ſummo curſuum publicorum moderatore, Lipſiam deuocatus, vt mathematicorum doctrinas ſuo filio explicaret; non has ſolummodo partes impleuit; ſed actionum ſimul forenſium rationem, data ſaepius huius rei occaſione, perſpexit, ac feliciter ad vſum traduxit. Sed cum dicta Mulsbachii proles animum ad peregrinandum appelleret; a glorioſiſſimo Salfeldenſium Duce, Alberto, commendationem benignam & honorificam ad Delouium, exercituum in Batauia Brabantiaque praefectum, accepit. Qua ratione effectum eſt, vt potiores Germaniae & Hollandiae regiones ac vrbes luſtraret. Equidem de ſpe ſua Bielerus, cum nullum militiae inter copias iſtas tunc munus vacaret, tam

 diu

diu depulſus eſt; donec a Stangio, copiarum Iſennacenſium duce, anno cIↄ Iↄ CLXXIIX, iudicis iuxta, & ſecretorum caſtrenſium ſcribae, prouinciam obtineret: in diuerſis dein Germaniae locis, inque praeliis & obſidionibus ipſis, praeclare adminiſtratam. Pace vero Neomagenſi, anno cIↄ Iↄ CLXXIX, bellum cruentum ac dubium finiente; noſter non ſine honore dimiſſus, principio Iſennacum, tum Lipſiam, atque poſtea Martisburgum, menſe decembri contendit: aduocati aulici munere, patroni tunc ſui, Lehmanni, in dicta iam aula conſiliarii, commendatione & ope, ornatus. Ex quo tempore, multos ſibi magnosque clientes, in prouinciis iſtis, deuinxit. Neque commodum ſibi hunc locum mutaſſet; niſi infelix peſtilentiae ſidus, quod eam etiam vrbem afflauerat, diuerſum ſuaſiſſet. Ienam itaque noſtram, anno cIↄ IↄCLXXXVI reuerſus; ſicut itinerum publicorum negotia auſpicio coeleſti confecit: ſic interiectis aliquot annis, curiae aulicae aduocatus; & ante bienniium iſtud, publicae rei conſiliarius, in oppido noſtro euaſit. Ante vero, quam inter nos commorari inciperet, anno cIↄ IↄCLXXX, in vicina Erfordienſium academia, primum licentiati, vt vocant;
tum

tum doctoris ius honoremque ſollemniter capiebat. Neque deerat curarum ac vitae, in vxore fideli, ſolatium: quale anno CIↃ IↃCLXXXI, die ianuarii quarto, in ornatisſima foemina, Helena Heinia, Praenckhofiorum genere orta, & poſt huius exceſſum, anno CIↃ IↃCCII, in ſuperſtite adhuc vidua, ornamentis foemineis praeſtantisſima, Anna Sophia, Iurecenſulti nobilisſimi, Viti Ludouici Goeckelii, aulae Gothanae conſiliarii, & tutelarum ac regiminis, in praefectura Tonnenſi, moderatoris meritisſimi, filia, ope coeleſti ſortitus eſt. Ex quarum priori, Theodorum Carolum, Annam Dorotheam, Chriſtianam Eliſabetham, Magdalenam Chriſtinam, Ioannam Sophiam, & Ioannem Erneſtum ſuſtulit: vtque officiis publicis, ſic mariti atque parentis partibus, cum laude reſpondit. Pius, candidus, probus; neque vel ſuis, vel aliis, quantum in ſe foret, moleſtus; niſi quod calculi ipſe doloribus ſubinde affligeretur, & non leuem idcirco ſolicitudinem vxori afferret. Quae in luctum mox neceſſarium, Deo hunc decernente, conuerſa eſt; poſtquam haud vna mariti ſymptomata, die XIIX euntis adhuc decembris, magis magisque inualuerunt. Quamuis enim

morerentur, oſtenderent; eius ſibi memoriam, ac velut imaginem, modis variis renouarunt. Abrahamum profecto, Iſraelis parentem, nouimus, dum ſpiraret adhuc & viueret, ſepulchrum tam coniugi, quam ſibi ſtruxiſſe; atque vt idem facerent, natos ſuos & poſteros excitaſſe. Neque alio inſtituto Aegyptii, oſſa hominis artificioſe compacta in conuiuia inferebant; laetos, partimque ebrios hoſpites: tali eos mox ſpecie ac forma futuros; ſpectaculo tam horrendo admonituri. Illuſtre admodum inter principes Anhaltinos, VVolfgangi alicuius eſt nomen, ſuum ipſius loculum, tribus ante obitum annis, lecto ſuo quotidie admouentis; & breui ſe ex hac vita, velut ſomno aliquo, migraturum, forti pioque animo reputantis. Neque minus praeclarum & pulchrum, formoſiſſimae olim inter Brandenburgenſes principis, Dorotheae, ex familia ducum Brunſuicenſium ortae, exemplum, aeternitati conſecratum eſt. Namque capulum ea, ex auro confectum, in pectore candido ac venuſto geſtare, mentemque, in obitus ſui meditatione defixam, talem in modum prodere ac teſtari conſueuerat. Sicut vero haec atque alia fati vltimi monumenta, laudabili ſane arti-

tificio, ab hominibus quondam religioſis reperta ſunt, & noſtro adhuc aeuo reperiuntur; ita ipſius naturae beneficio, infinita fere viciſſitudinis occurrunt exempla, quae mortalitatis imaginem noſtris oculis offerunt, clareque oſtendunt. Nam qui rapido ac perpetuo curſu feruntur, torrentes & fluuii, ecquid aliud, niſi fugacem hanc vitam, acceleratumque ſaepius vitae terminum; quem in ipſis etiam aquis nonnulli inueniunt; luculentiſſimo nobis, paſſimque obuio argumento, inculcant? Quorſum vero tot herbas & arbores, florem iam induentes, quem poſt paulo amittant, ſpectare putabimus? niſi vt vnam omnium eſſe conditionem ac ſortem, qua nati, ſine exceptione ac diſcrimine, moriantur; cunctos nos doceant atque conuincant? Quoties ergo vel veſtimenta circumponimus corpori, vel deponimus; toties nos ab aliis, eo habitu poſt mortem ornandos, quo non niſi a vermibus exuamur, attente ac pie recogitabimus. Neque temere aedes noſtras intrabimus; quin breui ac certo futurum, meminerimus, vt iisdem ex aedibus a conductis huc baiulis efferamur: vtque anguſtior ac humilior longe domuncula, quemadmodum Apuleius loquitur, nobis

bis obtingat. Qua de re certiores nos reddunt, nec dubitare amplius ſinunt, quotquot vel antehac homines ſuum debitum naturae ſoluerunt, vel noſtris adhuc temporibus ſoluunt; & Siracidae illud: hodie mihi, cras tibi: noſtris quotidie auribus, ore veluti clauſo inclamant. Neque fieri potuit, quin eundem ad modum, mortalitatis hanc legem expleret, qui mira admodum arte, ab aliis necem ipſam depellere credebatur, nobiliſſimus & ratione ac vſu egregius, IOANNES OTTO HORSTIVS, ſalutaris ſcientiae doctor, & archiatri atque conſiliarii Iſennacenſis apud nos dignitate conſpicuus, aeque plurimis huius vrbis incolis mirifice cultus, & poſt mortem etiam honoratus. Qui communi naſcendi conditione, vitae ſplendidae, ac diu felicis curriculum, in illuſtri Darmſtadienſium vrbe, anno cIↃ IↃCLI, die X ianuarii, inchoauit. Ortumq; tunc habuit a parentibus magnae virtutis, nec minoris apud ſuos honoris ac nominis: nobilisſimo nempe, & artis expertae medico, Ioanne Daniele Horſtio, ſcientiae ſuae doctore, & electorum quorundam ac principum a conſiliis ac re medica, nec non Francofurtenſis ad Moenum reipublicae phyſico, locum principem inter ceteros obtinente, ac

domi foriſque, ſummam gloriam conſecuto; atque Eliſabetha Schuppia, honoratiſſimi Viri, Io. Bernhardi Schuppii, iudicis atque ſenatoris optime erga ciuitatem ſuam affecti, filia, cunctas matronae honeſtisſimae partes implente. Horum beatus auſpicio, domi excultus, ac ſcholae Darmſtadienſi traditus; ſtudiorum ſuorum & vitae magiſtris, excitati ingenii, praeclarique conatus ſpem praebuit, profectusque eximios approbauit. Quales ſcilicet in ſublimioris ſapientiae officinam, quae Giſſae habetur, anno cIɔ Iɔ CLXVII attulit, & magis magisque amplificauit. Ex eo enim tempore, illis operam dedit, quorum praeceptis ac virtutibus doctior meliorque euaderet. Quemadmodum autem Strausſio VVeiſſioque, illi medicae ac naturalis doctrinae, huic moralis atque ciuilis ſapientiae, profeſſoribus, edita eruditionis ac peritiae monimenta, famam haud paruam circumdederant: ita vtrumque praeter ceteros coluit & ſectatus eſt. Sic confirmato apud hos animo, ſummorum hodie medicorum exemplo, Belgium, Angliamque & Galliam, tanquam magis inſignia anatomicorum ac chirurgorum theatra, ingreſſus eſt: ac Lutetiae inprimis Pariſiorum; inque vetuſta admodum

An-

Andegauenſium academia; hiſce exercitationum generibus, annos duos, ſingulari cum fructu ac laude, conſumſit. Inde Italiam, & anno cIↃ IↃCLXXI Baſileam petiit: eruditionis ac meritorum tunc gloria valde inclitos viros, Glaſerum, Bauhinum, Burchardtum, cum in publicis ac domeſticis ſcholis, tum in diſputatorum certaminibus, duces ſortitus. Per hos igitur gradus, ad ſummum medicinae faſtigium haud difficulter adſcendit: in illuſtri Giſſenſium academia: quae anno cIↃ IↃCLXXII ex peregrinationibus reducem, ominibus fauſtis exceperat: ornamenta doctoris ac priuilegia iure ſuo adeptus; poſtquam de foetu abortiuo, eoque icterico, rite diſputans, ſpem opinionemq; omnium ſuperauerat. Simul ac vero de cumulatisſima noſtri doctrina, & ſolertia ſingulari, ad electorem Moguntinorum eminentisſimum, Lotharium Fridericum, relatum eſt; honorem is ipſi ac locum inter medicos ſuos, eius meritis dignum, anno cIↃ IↃCLXXIV, die XXIV iulii, impertitus eſt. Quod idem prouinciae genus, glorioſiſſimus eius ſucceſſor, Damianus Hartardus, anno cIↃ IↃCLXXV, die V iulii, beato commiſit. Sed iam antea, anno cIↃ IↃCLXXIV, die XXIX auguſti, immortalis memoriae

Ptinceps, diuus Ioannes Georgius I, dux Saxoniae tam religioſus, quam fortis, medici eum dignitate cohoneſtauerat. Cui egregiae ac exquiſitiſſimae virtutis heroi, in Ratisponenſi & Schvveinfurthenſi itinere, ad copias militares ſuſcepto; nec non poſteaMarckſuhlae & Altenkirchae, Iſennacique ac Ienae, operam inſignem nauauit: atque ex eo tempore, archiatri conſiliariique Iſennacenſis atque Ienenſis munia praeclare expleuit. Haec & alia, fortunae ſecundae ac ſplendidae ornamenta, nouis acceſſionibus auxit matrimonii foedus caſtisſimum: anno cIↄ Iↄcʟxxvɪ, die XXIV ianuarii, cum primaria huius vrbis virgine, Maria Sophia, medicorum tunc principis, Guerneri Rolfincii prole, ſancitum; amborumque virtutibus ac officiis conſeruatum; atque omnium rerum affluentia, ſi foecunditatem, rarum videlicet apud diuites bonum, excipias, in ciuitate hac memorabile; nec ſine ingenti Horſtii, iam aegrotantis, moerore, die XXI menſis nouembris, anni cIↄ Iↄccɪx, tam piae & carae coniugis morte conuulſum. Sicut autem hoc acerbisſimo caſu, ſic infirma valetudine, commonebatur defunctus: haud multo poſt, Deo ſic ordinante, futurum,

vt

vt ipſe etiam ex hac ſtatione euocaretur. Quartus enim iam circumactus eſt annus, ex quo ſanum antea & robuſtum Horſtii corpus, eorum inprimis viſcerum, quae coctioni primae conducunt, debilitate haud parua, neque obſcura amplius fellis acrimonia, ita fractum eſt; vt, cui remedia praeſentisſima, multis antehac aegris ſubminiſtrata, magnam adeo venerationem & famam pepererant; eum omnes iam herbae ac ſucci, & quaecunque tandem, vel ab Horſtio ipſo, vel a noſtratibus iuxta & exteris medendi magiſtris, vel ab illuſtrioris fortunae hominibus, tenacisſimo huic malo opponerentur, penitus deſtituerent. Cumque corporis iuxta & animae vires, ingraueſcentibus annis, paulatim deficerent; ſpes viuendi diutius, aegrum pariter, &, qui valetudinem eius curabant, reliquos fruſtrabatur. Poſtquam igitur menſes complures in lecto ferali conſumſerat; paucis abhinc diebus, quodam velut lethargo, atque hinc dextri lateris ſideratione correptus eſt. Vt propterea fatum eius ſupremum: quo Vir optimus, menſis adhuc labentis die viceſimo, hora poſt meridiem quinta, inter ſacrorum praeſulis venerandi, & propinquorum ſanctiſſimas preces, tranquil-

le

Digitized by Google

le ac pie eſt functus: omnes praedicerent. Veſtrarum iam partium erit, o noſtri! vt ad funus mortui, ſacra & feſta hac die ſollemniter deducendum, atque in templi primarii aede humandum, frequentes conueniatis: & quaſi Vos loco excellentisſimi Viri merita, praeclarasque ipſius neceſſitudines habeatis; inſigni ac publico argumento teſtemini. P. P. ſub Acad. ſig. die XXV Martii, A. O. R. cIↄ Iↄccxi

---

XII

IVſta hodie facienda ſunt Viro ampliſſimo, ADAMO VATERO, ciuitatis Ienenſis ab epiſtolis, integritate ac ſolertia inter ſenatores ſpectato. Certe ſcribarum ordinem, haud ſpernendum, ſed honeſtiſſimum eſſe; vel ea de cauſa, ſuo iam tempore Cicero affirmauit: quod magiſtratus periculo, tabulae publicae, horum hominum fidei crederentur. Poſtquam vero respublica in principatum eſt verſa; maior dignitas atque exiſtimatio ſcribis accreuit: vt ad ipſa principum atque imperatorum ſecreta admitterentur. Quod officii, apud Macedonas multo amplius atque honorificentius erat,

rat, quam apud Romanos: inter quos, teſte Nepote, ad id muneris aditus, niſi tam loco honeſto, quam fide & induſtria cognito, nulli patebat; quia conſiliorum & arcanorum omnium eum eſſe participem, oporteret. Pari modo, ex vetuſtiſſimo gentis Iudaicae inſtituto, ſcribis publicis, qui contrahentium nempe pactionibus, & ſponſalibus conſignandis, in tribu quacunque adhiberentur, magna olim auctoritas, magnum decus conſtabat. Cumque reges deinceps imperii habenas tenerent; ſcribae regii, inque ordine horum, Seraiae, Saphanis ac Siſae nomina, inter miniſteria ſumma inclaruerunt. Neque mirum itaque, a potentiſſimo regum, Dauide, linguam ſuam ac ſtilum cum ſcribarum ſermonibus atque literis comparatum fuiſſe: atque in Romanorum republica, Diocletianum, Mauritium, Theodoſium, ex ſcribarum familia ortos, ad imperatoriae dignitatis faſtigium adſcendiſſe. Plura adhuc, in honorem ac laudem officii, a beato adminiſtrati, cumulari a nobis hic poſſent; quamuis ipſe Vaterus haud inani haec gloriatione iactaret; ſed factis potius, vno laudis tenore inter ſe congruentibus, honeſtatem ordinis ſui ac muneris conſeruaret. Dignus proinde cuius

cuius elogium, in exequiis, & in loco hoc publico, celebretur. Anno CIƆ IƆ CL, die ianuarii ſexto, Poeſneccae, noto noſtratibus oppido, & huic vrbi vicino, lucis primum vſura is fruebatur: patrem ſortitus, inſtitorem oppidi huius ac ciuem, fide & innocentia ſingulari praeditum, Ioannem Vaterum; matrem Eliſabetham, honeſtiſſimo Pennerorum genere oriundam. Hi diuinitus datam hanc ſobolem, ſoli etiam Deo, in fonte diuino; cuius teſtem, Hiobum Iobbium, ſenatorem, & aerarii ſacri praefectum fideliſsimum, exorabant; ſollemniter conſecrarunt: & ad diuinam pariter gloriam, omni cura ſtudioque formarunt. Cumque indoles feſtiua & capax in puero ſtatim ſe proderet; ſtudiis eum liberalibus aptum, non patrii tantum lycei praeceptoribus tradiderunt; ſed progreſſu deinceps temporis, in vicinam Altenburgenſium ſcholam miſerunt: a magiſtris clariſsimis ad conatus egregios excitandum; ac diſciplinis ſublimioribus, & academiarum inſtituto ac ſcopo propriis, praeparandum. Ceterum egeſtate hic conflictantem Vaterum, eius agnati: quorum vnus a ſereniſſimi Ducis ſecretis; alter conſulis dignitate conſpicuus erat: beneficientia ſua ac ope leuarunt; donec

nec anno cIↃIↃCLXIX Lipſiam; exacto-que ſemeſtri, Altorſum concederet. Licet vero hic patronorum complurium, beatique inprimis Scherzeri beneuolentiam ſibi conciliaſſet; tamen res domi anguſtior, Ienam ipſum reflectere iter, cogebat; non ſtudiorum duntaxat, ſed fortunarum etiam ſedem futuram. Inter Dei miſericordiſſimi munera, in ſalanae iſtius tum ciuem collata, ſicut Richteri ac VVeigelii, profeſſorum prae ceteris tunc celebratorum, fauorem ac patrocinium; ſic menſae potisſimum liberalis beneficium, in coenaculo publico, annos non paucos, ſerenisſimorum Principum iuſſu, tributum, recenſere beatus, ac identidem collaudare ſolebat. Accesſit mox reipublicae Salfeldenſis ſtipendium, a ſenatu amplisſimo ipſi indultum, & ad perficienda prouehendaque Vateri ſtudia comparatum. Ex his nempe initiis repetenda eſt eius dexteritas & peritia, in creditis ſibi deinceps partibus, comprobata: quas in Ienenſi tum curia conſultoris, ſiue, vt vulgo loquuntur, ſyndici, iamque Altorfenſium Iureconſulti & antecesſoris egregii, Felicis Spizii commendationi atque auxilio, ſe poſt Deum debere, profitebatur. Primum iudicii oppidani; mox, anno cIↃ IↃ CLXXII, ſancti-

ctioris aerarii; & inde ab anno cIↃIↃCLXXXII, oppidanae reipublicae ſcribam; tum illuſtris regiminis; pauloque poſt, curiae hic prouincialis procuratorem, cum ſingulari laude praeſtabat. Neque minus in duplici matrimonio, eius probitas ac virtus eluxit. Prius, cum foemina pudicisſima, Catharina, Ioannis Bernhardi, vendendis, in Poeſneccenſi oppido, pannis rem facientis, vidua, & Auguſtini Dietmuthi, conſulis ibi ſpectatiſſimi, filia, anno cIↃ IↃCLXXX coeptum, quinque eum liberorum parentem, temporis progreſſu effecit. Duoque ex iſtis ſuperſtites: Clara videlicet Magdalena, Viro plurimum reuerendo, Io. Carolo Liernero, illuſtrisſimi Leiningenſium comitis a concionibus aulicis, nupta; & Adamus Vaterus, in philoſophiae ac omnis elegantiae ſtudia, non poenitendo adhuc ſucceſſu, incumbens; patris optimi iam funus complorant. Foedus alterum cum honeſtae ſimiliter gentis virgine, Maria Magdalena, Io. Caſparis Mulleri, ſenatus hic oppidani a molendinis, filia, liberorum quatuor, viuentisque adhuc vnius filioli, Ieſaiae Ioachimi poſtea matre, anno cIↃ IↃCC, die XVIII nouembris, paciſcebatur. In his omnibus vero, vt res terrenas ac for-

fortuitas prorſus contemneret; & de ſupremis ac coeleſtibus nunquam non cogitaret; ſicut aedium nuper ſuarum incendio, ita calamitatibus aliis, quin & podagrae morbo admonebatur. Qui ſicut beatum continuo fere afflixit: ſic anni iſtius aetate penitus eneruauit; ac vita denique ipſa, nudius quartus priuauit. Partes hic ſuas egerunt, tum medendi artifices, tum voluntatis diuinae interpretes, multis meritis clari; donec Vaterus in patriam coeleſtem intrauit, aeuique iſtius miſerias cum ſolatiis gaudiisque perpetuis commutauit. Veſtri, o ciues! officii erit, pulſo hodie aere campano, modeſtos ac pios, in Viri meritisſimi funus prodire. P. P. ſub. Acad. ſig. D. XIII Auguſti, A. O. R. cIↄ Iↄccxi.

XIII

QVem nouisſime, in Iureconſultorum ſuggeſto, inter clarisſimos huius ordinis candidatos, fauſtis ominibus proſecuti ſumus, conſultisſimum & eximium Virum, CAROLVM DAVIDEM ROSTIVM; eum, inexpectata hodie rerum conuerſione, in loculo ſuo compoſitum, atque exanimem deploramus. A-

deone de inauſpicato ac triſti hoc tempore plane eadem dici debent ; quae de Andronico tiranno a Niceta Choniate ſunt dicta? Quos humanisſimis heri & ſuauisſimis modis exceperat ; in hos hodie ſumma vi & atrocitate graſſatur? Idemque igitur homo, die eadem, ceu de Xerxis nauarcho eſt proditum, modò coronatur, iam ſpiritu ipſo priuatur? Nihil enim in ſtatu mortalium conſtans & aequabile , ac diuturnum exiſtit ; ſed rerum noſtrarum, aliquis velut orbis circumuoluitur ; mutationes diuerſas, vna ſaepius die & hora , cum omnium conſternatione ac metu, inducens. Sane ventis fugacibus , nauiumque in mari vectarum veſtigiis, ductisque in arena figuris, ac inſommniis , voluptatem fallacem afferentibus , magis ac tutius, quam felicitati aut vitae hominum , credi poteſt. Haec omnia vero , ſi Gregorium Nazianzenum audimus, tali inter ſe nexu , a conditore ſapientisſimo ordinantur: vt rerum terreſtrium vices tacite admirari ; mundique totius arbitrum, Deum, & contemplari in illis, & adorare queamus. Ac de Roſtio quidem, honoris nunc ſui curriculum, per inſperatam penitus mortem, interrumpente , bene admodum , Dei immortalis beneficio, agi videtur.

Ita

Ita enim iſtius prouidentiae placuit: vt Ienenſem academiam cum coeleſti, honoresque caducos cum perpetuis; & doctoris iuridici mitram cum beatorum corona & lauru, is commutaret. Quae obtinentur in orbe hoc dignitates, titulorumque ornamenta ac praemia; ea non meliorem ſaepius ſortem experiuntur, quam Demetrii illae, vel Demadis ſtatuae: quarum illae, obſeruatore Plutarcho, viuente adhuc Demetrio Phalereo, euerſae; hae in matulas conuerſae fuerunt. Contra, mentium beatarum ac coelitum decora, ſicut a Deo potentisſimo tribuuntur: ita nec ſitu aut aerugine conſumuntur; nec temporum hominumque iniuria corrumpuntur. Tantum itaque abeſt, vt auſpicata adeo rerum Roſtianarum mutatio lugeri aut fleri debeat; vt laudandus ob eam potius noſter, & gratulatione eadem proſequendus ſit: qua amicorum aliquem, ad praecipuam, in Romana republica, dignitatem euctum, Quintus Aurelius Symmachus, vrbis praefectus, excipiebat: macte honorum auſpiciis! & ad vberioris, vtque de Roſtio dici fas eſt, ad ſempiternae gloriae decus contende, poſtquam ad celſiores hos gradus ianuam Tibi aperuiſti! Tali

li omine noſter, die ſeptembris triceſima anni cIↃ IↃCLXXXV, in pago Hohenleinenſi, haud procul ab vrbe Gerana diſſito, a parentibus integerrimis, iamque ad meliora translatis, Dauide Roſtio, & Sophia Dorothea Zeidleria, ſacerdotis Hannouerani filia, in lucem hanc edebatur. Eandemque in ſpem, ſancto chriſtianorum lauacro, a Viris clariſſimis, M. Ioanne Krumholzio, & M. Ioanne Chriſtophoro Kophio, illo VVeidenſis oppidi ciues, hoc pagi Kurbſenſis incolas, in myſteriis diuinis inſtituente; aque honeſti exempli foemina, Maria Sophia Zeidleria, amantiſſima ſui matertera, poſt paulo inferebatur. Ad patrem beati vt reuertamur; ille, cum generoſorum quorundam equitum apud Variſcos mancipem huc vsque egiſſet; mutandi mox domicilii, ac Gerae vrbis colendae, conſilium cepit; emto id propter diuerſorio, ad nuperum vsque ex vita diſceſſum, adminiſtrato. Interea matris demortuae locum, Anna Hornia, mercatoris, in Hamburgenſium ciuitate, eximii filia, cum probitatis atque candoris teſtatiſſimi laude, ſubierat. Amborum proinde auſpicio, in lyceo Gerano, ſtudiorum tunc tirocinia poſiturus, eruditionis egregiae Viros, Ioannem Frideri-

cum

cum Koeberum, M. Georgium Ludouicum Goldnerum, & M. Ioannem Hennicum VVolfium; illos rectorum, hunc conrectoris munia, dextre ac ſedulo obeuntes; facile ſibi conciliabat. Anno cIↄ Iↄccv ad ſalanam hanc noſtram dimiſſus, ſui ſtudii, in legum doctrinis poſiti, rationes, nec imprudenter, nec male conſtituit; quod magnificum iuris antiſtitem, Ioannem Bernhardum Friſium, Poeſenae praedii clientela inſignem, ac aulae & concilii ſacri conſiliarium, communisque iudicii, quod voce vulgari ſcabinatus dicitur, adſeſſorem, ac profeſſorem academiae huius egregium, auctorem ſibi ac ducem delegerit; inſtitutionesque Iuſtinianeas, nec non pandectas, quas vocant, cauſarumque forenſium modos perſpicue explanantem, interea conſectatus ſit. Cum his maxime reuerendi Treuneri morales & politicas ſcholas, praeclarisſimique magiſtri Stockii, ordini philoſophorum adſcripti, operas metaphyſicas atque logicas, ex vſu ſuo ac voto, coniunxit. Anno cIↄ Iↄccix athenaeum Halenſe adiit: & ſicut iureconſultorum tunc principis, Samuelis Strykii; ita antecesſoris, inque iudicio ſanctiore conſiliarii meritisſimi, Henrici Bodini bene-

uolentiam conſecutus, doctrinisque ipſorum, ad iurisprudentiam totam facientibus, ſatis ſuperque imbutus eſt. His conatibus, vtilitatis ac laudum plenisſimis, gradum ſibi ad ſummos in diſciplina legitima honores parauit; ab amplisſimo Iureconſultorum ordine, pro eo, ac par erat, petitos. Quos, lectione ſollemni, ad legem codicis vnicam: vbi de poſſeſſione agi oporteat; nuperiore februario habita; ſuo mox merito obtenturus fuiſſet; niſi phthiſeos malo oppresſus, elapſo nuperius lunae die; medico pariter, & ſacrorum praecone, ſuum officium facientibus; ex rebus humanis ad diuinas migraſſet. Vobis conuenit, ciues! Viri optimi atque conſultisſimi funus, oppidi templo hodie inferendum, comitatu frequenti, atq; animis ad mortalitatis memoriam pie compoſitis, celebrare. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. Iudica, A. O. R. cIɔ Iɔccxii.

XIV

EIusmodi olim conſuetudo in chriſtianorum coetibus ſeruabatur: vt quemadmodum cantionibus, ita cereis, defunctorum funera ac ſepulchra ornarent.

Gre-

Gregorius certe Nyſſenus, in laudatione cuiusdam funebri, auctor eſt: vtraque ex parte, haud exiguum virorum ſacrorum ac miniſtrorum numerum praeceſsiſſe: qui in exequiis iſtis, pulchro ordine, faces cera inductas atque accenſas geſtauerint. Similiter quum Caeſario, Nazianzeni fratri, iuſta vltima ſoluerentur; ipſa mortui mater, cereorum tunc lumina, ad funeris huius celebritatem & pompam augendam, ſuis manibus praeferebat. Imo Mariae, virginis ſanctae, exuuias, inter lampades cereas, a ſanctisſimis viris, apoſtolorum nomine appellatis, Sionis ex monte, in Gethſemanum vallem delatas, ac pro merito honoratas fuiſſe; Nicephorus, neſcimus, quam certa, narrationum traditionumque veterum fide, teſtatur. Ceterum huius tam priſcae & ſanctae cerimoniae, hanc praecipue ſignificationem fuiſſe, accepimus: quod defunctorum animae, ceu pietatis ac fidei luce in terris nituerint; ita in coelo, diuinitatis ſplendore ingenti ac perpetuo illuſtrentur. Ceterum rei huius memoria, ſi vllo alio tempore, ſane in conſultisſimi Viri, IEREMIAE STOEPLERI exequiis, vel ideo renouanda nunc nobis videtur; quod ſingulari Numinis beneficio, non vna eidem lux orta ſit: qua tenebrae eius,

non mentem ſolum, ſed corpus etiam obſcurantes, praeter ſpem expectationemque ipſius, diſcutiebantur. Duo iam circumacti ſunt anni, ex quo oculorum obſtructio & ſuffuſio omne ipſi tunc lumen extinxit. Verum animus eius, in tam infauſta ac triſti oculorum amborum caligine, ſancto atque coeleſti lumine tam diu perfuſus eſt; donec Dei & medicorum ſolertium ope, afflicto ac caeco, poſt quatuor menſes finitos, ſol ac dies reluxit. Quod auxilii genus inter prouidentiae ac bonitatis diuinae miracula haud praeter rem numerabat: illiusque interea noctis recordabatur, in quam noſtri mortalium animi, naturali quadam corruptione, aguntur: & qua, lauacri ſanctiſſimi, verbique diuini beneficio, ſe liberatum, gaudebat. Nunc in illum euectus eſt locum, vbi nec oculorum ſenſibus poſthac orbatur; neque mentis beatae ac hilaris lumen amittit. Quodſi igitur laudati Stoepleri obitus in chriſtianorum priſcorum tempora incidiſſet; tanto maiori nunc iure, taedis, lucernis ac cereis, omnia, in ſepultura eius ſollemni & pia, clareſcerent. Primam vero is lucem, anno CIↃ IↃCXLVI, die XXIV iunii, Eccardsbergae, VVeiſenfelſenſi oppido, vidit: a parentibus perho-

honeſtis, Andrea Stoeplero, vectigalium atque tributorum diſpenſatore, probitatis ac fidei laudem adepto; & Anaſtaſia Stoepleria, haud ſpernendis virtutibus foemina, procreatus. Pauloque poſt, actus religioſisſimi teſtibus, Eliſabetha Heckelia, maxime reuerendi ſacrorum hic praeſulis, M. Thomae Heckelii, coniuge praeſtantiſſima; & Ieremia Guthiario, praefecturae tunc ſcriba; ac Nicolao Kloppfleiſchio, Apoldano conſule; Viris de republica bene meritis; ritu antiquo & ſancto, initiabatur. Ex hac igitur tempeſtate Stoeplerus, aetate ingenioque profecit; ac literarum ſtudia coluit: a praeceptoribus primum domeſticis; aque iunio menſe anni cIↄ Iↄclxiii, ab illuſtris gymnaſii, quod Gothae habetur, magiſtris eruditisſimis, ad honeſtatis ac literarurae ſcholaſticae decus, bono adeo euentu formatus; vt anno cIↄ Iↄ clxvi, die XVII octobris, ciuem huic academiae ſatis idoneum daret; rectasque & commodas artis legitmae rationes iniret. Sicut autem, quos aetas haec tulerat, profeſſores pereruditi ac egregii, propenſam beato animi voluntatem, conſilio ac doctrina, probarunt: ita & ipſe, in audiendis ſcientiarum praeceptis, aſſiduus fuit: inque Dei & artium cultu

animum totum defixit. Poſtquam vero ad patrios lares, anno cIↃ IↃCLXIX, die quinto ſeptembris, redierat; biennio poſt, die iunii quarta, matrimonii ordiendi conſilium capiebat: Annamque Mariam, Timothei illius Kirchneri, qui inter theologos olim eniteſcebat, progeniem, domum ducebat. Cum hac igitur vitae ac tori ſocia, anno cIↃ IↃCLXXI, die XXVII iulii, Ienam noſtram repetiit; ſecuto poſt anno cIↃ IↃCLXXII, a ſereniſſimo Duce, Bernhardo, id officii nactus, vt a commentariis rei frumentariae eſſet; poſtea vero, in aulico apud nos foro, procuratoris partibus, ad vltimum vſque halitum, bona fide perfunctus. Interea ex laudata antea coniuge, ſeptem filios, filiasque tres ſuſtulit: ex quibus nunc duo, Auguſtinus Fridericus, & Ioannes Chriſtianus, peregre abſunt; dum Erneſtus Chriſtianus, diuiniori ſcientiae deditus, atque Helena Dorothea, parentis deſideratiſſimi funus complorant. Namque reliqui, ante patrem non minus, quam matrem, anno cIↃ IↃCCXI, die IX martii, mortuam, beatarum mentium locum conſecuti ſunt. Horum igitur, inque primis vxoris cariſſimae obitu, haud parum noſter perturbabatur; auctis inſuper ſene-

ctu-

Digitized by Google

ctutis calamitatibus ac moleſtiis; quum anno cIↄ Iↄccx, die XII ianuarii, prout ſupra eſt dictum, vtrorumque is oculorum luminibus caperetur. A qua tamen miſeria, anni eiusdem calendis aprilibus: quibus humor, inter tunicas ante pupillam vtramque collectus, exercitati artificis manu diſſipatus eſt: liber atque immunis, coeleſti auſpicio praeſtabatur. Corpus alias ſanum, lacertisque ſat firmum, beato obtigerat; ſed quod contra malignitatem anginae; qua, inde a die vndecimo labentis nunc maii, fauces aegroti ſtrangulabantur; adeo ſeſe tueri haud potuit: vt, adhibita licet ab academiae huius Hippocrate, Georgio VVolſgango VVedelio, medicina exquiſitisſima; & poſt ſumtas, die octauo ac decimo maii, diuinas & ſaluberrimas dapes, ſpe ſanitatis aliqua apparente; tamen ſuperiore mercurii die, hora altera matutina, opprimeretur: mente piisſima, inter circumſtantium preces ac gemitus, ad coelum migrante. In huius exequiis, pulſo hodie aere campano, ſollemniter celebrandis, vt & mortalitatis memores, & frequentes conueniatis, o noſtri! pro eo ac par eſt, & vehementer Vos cohortamur. P. P. ſub Acad. ſig. die XXIII Maii, A. O. R. cIↄIↄccxIII

XV

XV

CYrum regem, commemorant, cum quieti ſe aliquando dediſſet; virum ſpecie humana auguſtiorem, lecto regio imminentem, ſeque ſerio commonentem, vidiſſe: vt ad obitum confeſtim ſe praepararet; futurum enim iam eſſe, vt ad Deos abiret. Cui iuſta ſuprema nunc ſoluimus, meritisſimus, ac vel ipſa aetate memorabilis, iuris ſacerdos, ADRIANVS BEIERVS, tum propter exiſtimationem candoris, quo numquam ſibi disſimilis erat; tum ob vitae morumque ſanctimoniam, quam ſenili experientia temperabat, nobis omnibus impenſe amatus; ante mortem nuperrimam, monitores complures, ad curam cogitationemque eandem, de commutando mox vitae genere, & diuinitus ſibi iniuncta ad ſuperos ac beatos migratione, eius animum identidem excitantes, ſortitus eſt. Etſi autem non genius aliquis, mortem ipſi, quemadmodum Cyro, oſtendit aut praecinuit; tamen pietas eius ac fides, aliquid fata ſuprema praeſagiens, ac diuinum habebat. Neque a vero quis aberrauerit, qui tot eius grauisſimos caſus ac morbos, illamque, necis prodromum, ſenectutem, inter vitae

tae mox finiendae praedictiones praeſenſionesque, coeleſti non minus conſilio ordinatas, habuerit. Inque mentem nunc venit, quod a recentiorum aliquo annotatum eſt: eosdem hos horae fatalis praenuncios, viro cuidam, ſuum ſibi praeſignificari exceſſum, ſemel iterumque optanti, a diuino, vt videbatur, nuncio nominatos, atque ſerio commendatos fuiſſe. Quantum enim euentus inopinati ac triſtes hic valeant? id vero inter alios, rex Suecorum fortisſimus, Guſtauus Adolphus, militis ſibi proximi caput, tormenti globo ablatum, ſuae denunciationem mortis interpretatus, caſu ſuo praepropero, ac re adeo ipſa, probabat. Similiter Hadrianus, ſua ſobole ex viuis erepta, cum in ſenatu haec verba: poſt filii mei mortem: proferre ac eloqui ſuſtineret; certo velut interitus ſui praeſagio, lingua lapſus: poſt mortem meam: aiebat. Neque aliter beato Beiero, ſuorum ſubinde calamitates ac funera, haud ſecus ac nuncii quidam, miſeriae & mortalitatis ſuae memoriam renouarunt. Accedebant tot deſtillationes ac morbi: quibus, aucta praeſertim aetate, implicitus; eam aeterni Numinis vocem, qua olim Hiskias compellatus eſt, audire ſibi eſt viſus: vt ſupremam

fa-

familiae curam ageret; communemque mortalitatis mox legem impleret. Quod enim Dinantii olim ciuitas ſuperbe ac imprudenter iactabat: oppugnatam ſe ſaepius eſſe, expugnari tamen ac vinci haud potuiſſe; id de corpore ſuo beatus, tot ſymptomatibus & malis attrito, tandemque oppreſſo, dicere, ineptum omnino & vanum arbitrabatur. Ingruente praeſertim ſenio, tanquam vltimo mortis antecurſore, Stoicorum cuidam: ſenum animam in primis perpetuo labris haerere, & vi admodum parua a corpore diſtrahi: ſapienter ac vere pronuncianti, nunquam non fidem habebat. Ad Iſaaci proinde, viri ſanctiſſimi, ac prae ſenio iam caecutientis, exemplum, vxorem iuxta & prolem cariſſimam ad ſe identidem arceſſebat: videtis, inquiens, me iam aeuo praecipiti eſſe, horamque idcirco decretoriam operiri; bene igitur vobis, priusquam humanis me ſubtraham rebus, precabor. Neque vero Beierus, hos aliosque neceſſitatis vltimae prodromos, inique ferebat, aut muliebriter metuebat; cum nihil in obitu mali ineſſe; neque extingui per eum animos; verum onere preſſos tunc liberari; erudite non minus, quam ſancte exiſtimaret. Cum piiſſimis igitur aeui noſtri

iure-

Digitized by Google

iureconſultis, ſuo merito, comparandus, & ad poſteritatis memoriam praedicandus, omnique honoris genere proſequendus videtur. Ortum ipſius, haec virtutum & ſapientiae officina, ſicut tot aliorum ſtudiis, ita noſtri etiam eruditis laboribus illuſtrata, ſibi vindicat: vbi inter ampliſſimorum parentum, M. Adriani Beieri, viri de ciuitatis noſtrae hiſtoria ante alios meriti, ſacrorumque diſpenſatoris hic munere, annos quinquaginta ac duos, praeclare perfuncti; atque Annae Kirchneriae, admodum reuerendi myſteriorum, in coetu Buttelſtadienſi, praeconis, M. Philippi Kirchneri filiae, Timotheique illius Kirchneri, qui non in noſtro ſolum, ſed in Helmſtadienſi etiam, atque Heidelbergenſi lyceo, doctoris ac profeſſoris theologi, tandemque in Vinarienſium vrbe, ſummi ſacrorum praeſulis, dignitatem indeptus eſt, neptis clariſſimae, vota & gaudia; anno cIɔ Iɔ c xxxiv, die xxix ianuarii, longaeuae adeo vitae primordia capiebat. Laetisque non minus auſpiciis, altera ſtatim poſt die, in chriſtianorum tabulas, ritu ſollemni referebatur: Paulo Slevogtio, illo academiae noſtrae tunc ornamento egregio; Martinoque Koppio, oppidi huius praetore, mox conſule, ſingula-

gularem prudentiae laudem promerito; & Anna denique Liſſemannia, quaeſtoris ampliſſimi, Burcardi Grosmanni, vidua ornatisſima; ex ſanctisſimo eum lauacro lauantibus. Prima virtutum literarumque praecepta, a ludi Ienenſis moderatoribus, inque primis a M. Chriſtfriedo Sagittario, tum rectore clarisſimo, & Ioanne Mullero, conrectoris officium obeunte, auide hauriebat; donec, laudato a nobis Sagittario ad profeſſoris hiſtorici locum euecto; in Muhlhuſinum gymnaſium, inque rectoris dexterrimi, Ioannis Gisberti contubernium atque conuictum, anno CIↃ IↃCXLVI, die ſeptimo viceſimoque auguſti, concederet. Hic biennii ſpatio, fauentibus cunctis, confecto; propter belli, tum vndiquaque graſſantis, pericula, Altenburgum vicinum, Georgiique Crauſeri, rectoris eruditisſimi, ſcholam adibat. Vbi inſtructum praeſtantiſſimis rebus atque praeceptis animum, anno CIↃ IↃCXLIX, Ienam retulit; inſecuto poſt anno CIↃIↃCL, ſtudioſorum iuuenum albo inſcriptus. Et principio quidem, parentis non modo, ſed ſua ipſius etiam pietate, ad ſanctioris ſcientiae inſtitutum excitabatur; & ad hanc vnice metam, per literarum huc facientium, humanaeque ſapi-

ſapientiae, ac hiſtoriae ſtudia, profeſſorum aetate iſthac inſignium, Sagittarii ac Sleuogtii, itemq; Bartholomaei Bruhmanni, artium praeclararum magiſtri eximii ope, velut per gradus tendebat: doctis praeterea diſceptationibus, & colloquiis, in patris optimi domo ac menſa habitis, ad hoc ſanctioris propoſiti genus rectisſime praeparatus. In iisdem doctrinis & exercitiis, licet nunc propius paulo cum theologia coniunctis, annum CIϽ IϽCLI, in illuſtri Lipſienſium athenaeo; annumque proximum in academia Vittebergenſi conſumſit. Quemadmodum enim Lipſiae, inter philoſophiae magiſtros doctiſſimos, Hornium ac Herrlingium; interque theologorum lumina, Hulſemannum & Kromayerum colebat; annoque aetatis decimo atque ſeptimo, primum omnium pro ſacra concione dicebat: ita in Vittebergenſium prytaneo, maximorum virorum, Quenſtadii, Oſtermanni, VVendleri, aliorumque beneuolentiam ſibi conciliabat. Hinc in patriam redux, Bechmanni, Zeiſoldi, Sleuogtii, Friſchmuthii, profeſſorum inprimis celebrium, conſilio atque opera vſus, parem hic ſtationem ſeruauit: in ſacro non minus ſuggeſtu, quam philoſophorum cathedra, cum, laudati iam nobis

bis Sleuogtii auſpicio fretus, de praeeminentia, ceu Mamertini vocabulo rem iſtam vocabat, formarum reipublicae; & clarisſimo M. Ioanne Hanckio certamen doctisſimum moderante, de ira & manſuetudine, ſubtiliter diſputaret; litteratorum atque bonorum omnium plauſu exceptus. Interiecto deinde tempore, ad iurisprudentiae ſtudium, occulto quodam impetu ferebatur: tanto id rectius, celeberrimi Ziegleri exemplo, per theologiae ſanctisſimae apparatum & opem, iam tractaturus. Ad hoc igitur laudis plenisſimum inſtitutum, ſummorum tum iuris antiſtitum, Strauchii, Richteri, Struuii, Schroeteri, atque Bechmanni doctrinis & conſuetudine, cum felici adeo rerum ſuarum ſucceſſu, ſe excitauit atque prouexit; vt memorati Schroeteri clypeo tectus, diſſertationes aliquot, a beato Sutholto editas, ſolerter ac promte admodum tueretur. Deinde in regiones exteras iter aggreſſus, anno cIↃ IↃCLIV vrbem Lubecam, tum Holſatiam ac Suerinum luſtrauit: tam terrarum iſtarum moribus probe cognitis; quam amanuenſis prouincia, in grauisſimo quodam Ducis Megapolitani negotio, inque comitiis publicis, anno cIↃ IↃCLV Kilonii habitis, conſultisſimi inprimis Boeckelii, in Lube-

becenſi curia oratoris, ſiue, vt vulgo appellant, ſyndici, patrocinio vſus, fideliter ac dextre adminiſtrata. Tum noua peregrinatione, anno cIↄ Iↄclvi, in Batauorum praecipuas vrbes ſuſcepta, auditoque apud Leidenſes celebri illo iuris oraculo, Iacobo Moeſterio, rebusque & conſiliis Hagae Comitum non raro inſpectis, maiorem noſter doctrinam & prudentiam acquiſiuit. Eiusdem anni auctumno, per Friſiam ad vrbem Hamburgum reflexo itinere, mox VVismariam, & poſt iſtam, Roſtochium petiit: a theologorum tunc anteſignano, Georgio nempe Dorſchaeo, in literatorum ciuitatem receptus; & propter paternam amicitiam, valde comiter habitus, ac benigne adiutus. Nihiloque ſecius ab interpretibus iuris exercitatisſimis, Kleinio ac Redkero: quorum ille iuuenes ſibi commiſſos, Schotani eruditisſimi ductu, examinabat; hic in ceteris harum diſciplinarum partibus, inque publica diſputatione, de reſtitutione in integrum, ducem ei fidelem ſe exhibebat; ad maiora omnia praeparatus eſt. Quibus ipſe praeſidiis auctus; inque Ienenſi poſtmodum academia, quam anno cIↄ Iↄclvii, eunte auctumno, repetiit, a celebratis antea profeſſoribus: quibus iam Vngebauerus,

praeſidis ordinarii dignitatem adeptus, acceſſerat: ad faſtigium artis prouectus; anno cIↃ IↃCLIIX, die XII octobris, ſponte ſibi oblatam doctoris lauream, poſt ſollemnia eruditionis ſpecimina, ſuo merito reportauit. Ex quo tempore decus is extitit ſui ordinis, quem docendo pariter ac ſcribendo, aliorumque cauſas orando, non ſine clientum & auditorum frequentia, illuſtrauit. Sicut vero officia publica, principio in adminiſtrandis hinc inde iudiciis ſita, ſua virtute, ac ſuperiorum ſuffragio, ſponte obtinuit: ita ſyndici munus, anno cIↃ IↃCXCIV ab oppidi huius ſenatu ampliſſimo ſibi delatum, accurate confecit; nullo partium ſtudio, aut odio ductus; aque ciuibus, quos amabat ſincere, per functionis illius triennium, viciſſim amatus. Inter aerarii ducalis procuratores deinde relatus, talem ſe, in negotiorum hoc genere, qualem ante, exhibuit; omnesque viri candidi ac honeſti numeros praeclare impleuit. Parem quoq; iudicio aulico, cuius ipſe cauſſarum patronus, anno cIↃ IↃCLXX, die I decembris; adſeſſor vero anno cIↃ IↃCXCVIII conſtitutus eſt; fidem exſoluit. Profeſſoris iurium inde prouinciam extra ordinem, anno cIↃ IↃCXC, die XI auguſti; ordinariam autem,
an-

anno cIↄIↄcxciv, die XIV aprilis, ſibi mandatam, quemadmodum promte ſuſcepit: ita tot vtilisſimis doctrinarum praeceptis, nec non diſſertationibus publicis, atque editis libris: quibus vaſtisſimum iuris opificum corpus, iam a beato perfectum, breui accedet: in extrema etiam ſenectute ornauit; vt eorum inire numerum, in anguſtis his paginis, haud queamus. Decurionis in ſuo ordine functionem quinquies; prorectoris vero atque brabeutae munia bis cum laude ſuſtinuit: atque generos ambos doctorum inſignibus decorauit, ſibique deuinxit. Nam foedus connubii duplex fecerat: vnum cum emendatiſſimi moris virgine, Catharina Eliſabetha, pharmacopolae apud Lauenburgenſes florentiſſimi, Ioannis Adolfi filia, anno cIↄIↄclx, die XXIII martii, in illuſtri & ampla Hamburgenſium vrbe, ſollemniter celebratum; alterum cum exquiſitae virtutis nunc vidua, Dorothea Sabina, ab exiſtimationis ampliſſimae viro, Ioanne Mauritio Friderico, sereniſſimi Altenburgenſium Ducis a ſecretis ſanctioribus; ſimilisque officii partibus, apud glorioſiſſimam diui Bernhardi Viduam, hic Ienae perfuncto, genita, anno cIↄIↄclxvi, die VI maii, Altenbur-

Digitized by Google

gi firmatum. Ex priori filios duos, natasque totidem; ſed amantisſimae matris, anno CIↃ IↃCLXV, die XXV aprilis, mortuae, fatum anticipantes; ex ſecundo liberos decem ſuſcepit. E quibus nobilisſimus, artisque expertae filius, Arnoldus Fridericus Beierus, inter doctores medicos cooptatus eſt. Duae vero clariſſimae filiae, Dorothea Regina, & Clara Barbara, duobus eximiis atque conſultisſimis fratribus, iurisque doctoribus; & illa quidem Georgio Andreae Kampero, ſerenisſimi Zorbigenſium Ducis conſiliario aulico, multis meritis claro; haec autem Chriſtophoro Ferdinando Kampero, docendi pariter, inque foro agendi ſolertia, apud nos celebrato, in matrimonium collocatae ſunt; reliquis ſeptem, ante parentes optimos, iam pridem extinctis. Quemadmodum autem Beierus erga praeſtantiſſimas coniuges, humanum ſe penitus & concordem praebebat; ſobolemque ſuperſtitem, haud ſecus ac imaginem ſuam, Licinii Romani exemplo, intuebatur; tamque amore paterno, quam ſolicita ac perpetua cura proſequebatur: ſic mortuorum funera, & quicquid ſibi aduerſi accideret, patienter ferebat, neque indignum ſe aliquid admittebat. Illud enim miſeri-

cor-

cordisſimi Dei oraculum, quo, ſe Moſi ſanctisſimo a tergo cernendum, pollicebatur, ad ſe etiam pertinere, haud praeter rem autumabat. Vir vsquequaque religioſus, temperans, iuſtus, integer, comis; nullasque iureconſulti optimi partes temere praetermittens. Idem proinde elogii meritus; quod Comes quidam optimus ac iuſtisſimus, ſuo inſcribi tumulo cupiebat: amatorem pariter & patronum iuſtitiae ſepultum hic eſſe. Nos autem, non ſine doloris maximi & piisſimi ſenſu, ad ea deferimur, quae ſuprema collegae adeo ſuaui & commodo contigerunt. Iam viginti elapſi ſunt anni, ex quo apoplexia primum, vir antea ſanus & validus tentabatur. Quae etiam ipſa, anno cIↃ IↃCCV, cum maiore impetu ac furore, redibat: ac ſenis decrepiti corpus, tot praeterea oculorum incommodis, calculorumque doloribus, & ante has duas hebdomadas, quum exequiis, more ſuo, interfuiſſet, languore inſolito fractum; die triceſimo maii, hora ſexta matutina, nouiſſime perimebat. Tertia ante obitum die, collegii publici, magno auditorum concurſu per ſemeſtre hoc celebrati, quo iuris militaris prudentiam, publici a ſe iuris factam, licet exhauſtis, per ſenectutem ac morbum, viribus,

inculcare eſt ſolitus, labori vacabat. Eademque hac die, ad apportandum aliquem librum, de lecto ferali ſurrexit; cuius nox apoplexiam illam extremam attulit: qua laborum ſtudiorumque cunctorum vacatio, a rerum humanarum arbitro, ipſi indicebatur. Sic de patria ſua, omnique literatorum republica, bene meritus Senex, annis fere ſeptuaginta ac nouem in miſeria humana exactis, inter ſacrorum praeconis aliorumque ſanctiſſimas preces, noſtra adhuc opinione celerius, ad felicitatis aeternae ac perfectiſſimae portum delatus eſt. Veſtra intereſt, ciues! vt profeſſori hodie veſtro exequias, in templo vrbis primario celebrandas, frequentes eatis; & quicquid hoc eſt officii, id Senis laborioſiſſimi meritis, perlibenter, ac non admoniti rependatis. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. II poſt Trinit. A. O. R. cIↄ IↄccxlI.

XVI

QVemadmodum infinita, contra vim grauitatemque morborum, remedia horum artificibus ſuppetunt: ita nemini certiorem conualeſcendi, & ad vltimam vsque ſenectutem viuendi ſpem

ſpem, quam medico eſſe, vulgari pariter, ac inueterato errore ſtatuitur. Vnde Capernaitarum veterum illud, ab ipſorum maioribus ortum, atque a Deo filio repetitum: quo curare ſe ipſum medicus & iuuare, velut per iocum iubetur: vno omnium ore iactari, aque pluribus approbari conſueuit. Nullis itaque grauiorem calamitatem ac miſeriam, quam ſanandi magiſtris, corpore fracto languentibus, vnquam obtingere, vel eam ob cauſam, Gemma Friſius, artis ſuae peritus, affirmat; quoniam iſti, a doctis pariter ac indoctis, ad opem ſibimet ipſis ferendam, quam expedita ſcientiae ſuae ratio aegrotis promittat, prouerbio hoc antiquo ac lepido prouocentur. Neque vero & nos, exercitatiſſimi rerum medicarum doctoris, inque republica oppidana phyſici praeclare merentis, ELIAE CASPARIS IVDELII funus, ſine admiratione aliqua, & animorum ſtupore, adſpicimus: cuius maximam nuper medendi ſolertiam, inque aliis iuuandis alacritatem, cognitam omnes habuimus, atque laudibus iuſtis extulimus. Verum eadem aegrotandi moriendique neceſſitas, ſcientiae ſalutaris magiſtris, quae hominibus vniuerſis, poſt primorum parentum facinus, ad ne-

Digitized by Google

cem damnatis, omni tempore, & tanto etiam magis incumbit; vt ipſi, humanae inconſtantiae ac mortalitatis exemplo, ex Numinis ſempiterni decreto, aliis cunctis praeluceant! Imo inter theologos noſtros repertus eſt, qui, quae a Salomone ſapientiſſimo de Iudaeis ſunt dicta: nec herbae cuiusdam, nec malagmatis, ſed ſermonis tantum diuini viribus, eos curari: tanquam de medicorum filiis ſpeciatim pronunciata, interpretaretur ac defenderet. Vt igitur omne aegrotis, ſi vel maxime ipſi medicinae alias operentur, auxilium, non tam ab imbecillis medici manu, quam a Dei ter optimi virtute obtingat. Tu enim, o ſapientiſſimum Numen! vitae necisque arbitrium ac imperium adminiſtras! tu piorum etiam aliquos ad orci portas detrudis, & ex eo reducis ac reſtituis! tu egreſſas corporibus animas, ſolum reuocas, pietatis ſuae ac fidei praemiis aeternum ornandas! Neque vero haec ignorabat Iudelius; ſed ſuo ſubinde animo agitabat: ſicut omnibus rebus caducis, ita & medicamentorum praeſidiis ita vſus; vt ſibi haec ipſi aliquando non ſuffectura, agnoſceret, animoque teneret. Hoc igitur vno ſolalio fretus: quod tam corporis, quam animae

nimae ſuae ſalutem, certae atque ingenti a Deo curae haberi, ſtatueret. Huiusmodi enim praeceptis parens piisſimus, & vel ipſo ſacerdotio, apud Ermſtadienſes, in vicina Erfordienſium ditione, annos triginta adminiſtrato, venerabilis, Samuel Iudelius, vna cum pudiciſſima matre, Martha Mangoldia, partu eius auſpicatisſimo: qui in diem nouembris octauum ac decimum anni cIↃ IↃ C LIX incidit: mirifice recreatus; & poſt lauacri diuini beneficium, in prolem collatum, educationi ipſius, inque literis ac virtutibus inſtitutioni, vehementer intentus; noſtrum imbuerat. Et hac adeo ratione formatum, in illuſtre, quod Gothae habetur, gymnaſium miſit: ac tum rectoris egregii, Samuelis Reyheri; tum huic proximi, & ea aetate clariſſimi, Georgii Heſſi; tum alumnorum moderatoris doctiſſimi, M. Trieberi, fidei eum & curae commiſit. Intercedente poſtea breui tempore, primum Erfordiae, tum Gerae Ruthenicae, pharmacopolarum negotia obiit; quibus, ad medicinam mox faciendam, tanto aptior ac ſolertior reddebatur. Cuius ſimiliter rudimentis, ſub celebri illo Groeningenſium medico, Freitagio, poſitis; &, ſicut inciſis cadaueribus, ita tot aliis rebus notatu dignis-

Digitized by Google

gniſſimis, apud Batauos perluſtratis; cum interea peſtis Erfordiae graſſaretur, patremque optimum interciperet; in Liuoniam ſe recepit: ab artis ſuae apud Reualienſes conſulto, D. Paulo Floriano Iuchio, per totius triennii interuallum, in domo iuxta & menſa comiter ac benigne habitus; medicorumque ſancitis & obſeruationibus abunde inſtructus. Vix in patriam redux, ad hanc ſalanam ſe vertit: tum philoſophorum inſignium, VVeigelii, Poſneri parentis, Schmidii eruditis ſermonibus, de mathematicorum phyſicorumque doctrina habitis, egregie confirmatus; tum medicorum praecipue, rerum conſiliorumque gloria vndiquaque florentium, Crauſii, VVedelii, Faſchii, Schelhammeri, VVolfii, in ſcientiae vniuerſae curriculo, ductum ſecutus; inque primis Crauſium ac VVedelium, illum hoſpitem & magiſtrum, hunc decus ac praeſidium ſuum, ſumma, & qualis filio erga parentes congrueret, reuerentia proſecutus. Creuit ſic noſtri ſolertia: obtentisque, anno cIↃ IↃcxcv, die februarii ſexta, doctoris inſignibus; artisque exercitationibus, non ſine aegrotorum ſolatio & auxilio, inſtitutis; tanto cum rerum ſucceſſu amplificata eſt; vt anno cIↃ IↃcxcv,

VVal-

VValdenburgum vicinum, ad auſpicanda hic archiatri munia, a Comite illuſtrisſimo vocaretur; cumque Ienam poſtea noſtram repetiiſſet, anno cIↄ Iↄ cclx, phyſici oppidani prouincia a patre patriae ſerenisſimo ornaretur; expeditamque medendi hic rationem ſummis iuxta & infimis approbaret. Neque ſpe ſua excidit, cum egregiam ſibi politisſimamque virginem, Louiſam Chriſtinam, illuſtris quondam iureconſulti, inque celſisſimorum Comitum Ruthenorum palatio praeſidis, Petri Mulleri filiam, nuptum dari, contenderet: ex qua, anno cIↄ Iↄ cxciv, die vi februarii, feliciter ſibi collocata, filias tres, ac filios duos ſuſcepit. Inter quos Magdalena Louiſa, & Louiſa VVilhelmina; ornatisſimae matri, anno cIↄ Iↄ ccI, die iunii quinto, extinctae, & nu[illegible]tiam patri ſuperſtites; nullis non ſex[illegible]ſui ornamentis redundant. Secundo connubii pacto, virginem praeclarisſimam, Angelicam Frieſiam, a magnifico iuris antiſtite, aulaeque & concilii ſancti conſiliario, ac profeſſore apud nos ordinario, Io. Bernhardo Frieſio, procreatam, vniusque deinceps ſobolis, Iohannettae Mariae, ſed poſt paulo ereptae, foecundisſimam matrem, anno cIↄ IↄccII, die xi martii, ſibi adiunxit. Qua & ipſa,

anno

anno cIↄ Iↄ ccIII, calendis auguſtis, mortalium rebus exemta; anno cIↄ Iↄ cc Iv, die ſeptembris vndecimo, viri ampliſſimi, Ioannis Stoeſigeri, tributorum olim diſpenſatoris integerrimi, & poſt obitum adhuc laudati, filiam florentiſſimam, Mariam Chriſtinam, conſuetis cerimoniis, domum duxit: Suſannae Mariae, Bernhardi Chriſtiani, & Mariae Eliſabethae: quorum tertia poſt ſtatim erepta eſt: partu felici ſe commendantem. Inter haec noſter, & coniugis fideliſſimi, & amantiſſimi ſuorum parentis, & medici exquiſitae diligentiae ac ſolertiae, cum pari religione ac fide coniunctae, laudem obtinuit. Quamuis autem tot aliis, ſanitate ſua ac vita periclitantibus, conſilium modo dediſſet, ac laborantibus ſubueniſſet; neque vllo antehac morbo, quae naturae in ipſo bonitas atque firmitas erat, vel leuiter ſaltem, per annorum tot ſpatia, tentatus fuiſſet; a febre tamen, prout a ſexto ſeptembris ac decimo videbatur, quartana, mox vero in purpuram, rubram iuxta & albam, degenerante, nullis penitus artis ſuae praeſidiis, vel ſeipſum defendere, vel a medicorum noſtrorum principe, Georgio VVolfgango VVedelio, celeriter ad partes vocato, & nullas non medicinae

nae, tam diu ab ſe exercitae, vires, ad depellenda ſymptomata, comparante, defendi; nec prohiberi omnino potuit, quo minus ſanctisſima anima, ad redemtorem, medicorumque omnium tutorem conuerſa, & a myſteriorum ſacrorum diſpenſatoribus ritu religioſisſimo expiata, nouisſimo die ſaturni, hora poſt meridiem tertia, corporeis ſeſe vinculis expediret. Vos, carisſimi! virtutes Iudelianae, nobis haud admonentibus, tam ad imitationem honeſtam, quam ad exequias, poſt hodiernum meridiem digne ornandas, excitant atque inuitant. P. P. ſub Acad. ſig. d. v octobr. A. O. R. cIↃ IↃ ccxII.

XVII

HVmandum hac die, ſenatorii ordinis virum, ac iudicem vrbis prudentisſimum, IOANNEM MARTINVM GREFFIVM, haud vna virtutum decora, ſicut in ciuitatis totius negotiis, ita in reliquis vitae actibus comprobata, & in obitu quoque conſpicua, commendarunt. Talem enim officii ſui rationem is iniit, talemque candoris ac iuſtitiae amorem ſeruauit; vt metuendum ipſi haud

haud eſſet, ne a ſummo mortalium iudice, cuius tribunal ac ſententiam ſeueriſſimam Dauid, regum religioſiſſimus, tanto opere formidabat, in ius poſtmodum vocaretur; aut cum praetoribus improbis ac iniuſtis condemnaretur. Auaritiam igitur, tanquam curiae peſtem, ciuiumque perniciem, ac boni ordinis hoſtem, penitus abhorrebat: ciuisque non minus integri, quam iudicis incorrupti exemplum aliis quoque praebebat. Illos autem iudiciorum arbitros, qui pecunia expugnari ſe ſinerent, vel cupiditatibus ſuis obſequerentur, ac pupillorum lacrimas, viduarumque gemitus & pauperum oppreſſorum querelas, aduerſus ſe prouocarent, haudquaquam imitabatur; ſed res ſuas ſibimet ipſos habere, recto pioque admodum inſtituto, iubebat. Neque ciuium cauſſas protrahi, magisque in dies ſingulos implicari, quantum in ſe poſitum eſſet, ſinebat. Haud ignarus ac immemor: horam illam, qua Deo reddenda ratio eſſet, iudicibus aeque ac aliis, ex improuiſo inſtare, neque, ex hominum arbitratu aut voto, in aliud tempus differri. Prout Bebius quidam, cum litis alicuius deciſionem ad diem octauum reiiceret; ipſo temporis illo articulo, quo verba, ad exprimendum

dum hoc neceſſaria, faciebat; exanimatus illico concidit, neque moram aliquam, a morte interponendam, obtinuit. Noſter vero, in lectum nouiſſime feralem coniectus, aduocatum pariter ſuum ac iudicem, ſibi propitium, Chriſtum intuebatur: qui & mortuus, & reſuſcitatus ſuo commodo eſſet; & preces pro ſe efficacisſimas ad Deum ter optimum allegaret. Ceterum quali quantaque conſtantia Greffius viam agendi rectisſimam in hac ciuitate inſtiterit; atque deuium iter, quod tot alios abripit, ad obitum vsque declinauerit; ex vitae ipſius curriculo, in exequiis eius nunc breuiter deſcribendo, magis adhuc manifeſtum euadet. Auram ipſe vitalem, anno CIↃ IↃCLXVI, die decembris decimo, in Ienenſi hac vrbe, bonis artibus florentisſima, ab integritatis ac innocentiae ſingularis parentibus, Ioanne Greffio, aerarii oppidani praefecto eximio; & Maria Beyeria, foemina honeſtisſima, iamque optimi viri, Ioannis Iacobi VVolffeltii, qui ſenatus reditibus ſimiliter praeeſt, fidelisſima coniuge, hauriebat. Tum ex crimine innato ereptus, aque fideiuſſoribus praeſtantisſimis, Martha Tannenbergeria, ciuitatis iſtius conſuli meritisſimo in matrimonium

data; Georgioque Paſcaſio, a reipublicae oppidanae literis, ac perſcriptoris caeſarei iura adepto; & Martino Behlingio, ſanctioris aerarii ſcriba, ac teſtamentario; aquis diuinis illatus eſt. Ex quo tempore, partim parentes, partim magiſtri domeſtici; & qui iuuentuti formandae operam in ſchola nauabant; indolem eius optimam, literarumque capaciſſimam, ſumma cura fingebant; conatusque ipſius pulcherrimos, ſtudio ſuo & conſilio, muniebant. Cum igitur patri Graeuii certum deliberatumque iam eſſet, ſcientiis eum liberalibus tradere, & ad negotia magis ardua praeparare; contra noſter, ad artem a parente excultam ſuas viuendi rationes accommodabat; eiusdemque mox tirocinia, patris dilectiſſimi ductu, ponebat. Sic rerum iſtarum ſatagens, illis, a quibus genitus erat, obſequebatur; inque ſuſcipiendis laboribus, firmum animum, & ad auxilia, poſt mariti obitum, matri ferenda, paratum & pronum, teſtatus eſt. Anno CIↃ IↃCXCVI, die tertia ac viceſima tunc labentis nouembris, virginem pudiciſſimam, Dorotheam Sophiam, Ioannis Martini Hummelii, inſtitorum magiſtri, ac aulae Iſennacenſis poſtea rationes fideliter procurantis, ſena-

natuſque aerario, aliquot abhinc annis, praepoſiti, ciuiumque iudicio aſſidentis, ſobolem, duorum mox filiorum, filiarumque totidem, atque ex his, Ioannis Martini, & Annae Roſinae, adhuc ſuperſtitum, matrem; ſibi deſpondit. Qua, poſt integri fere decennii matrimonium, non ſine acerbiſſimo luctu, orbatus; anno cIↃ IↃ ccxI, mulierem laudatiſſimam, Annam Catharinam, Viri quondam eximii, Friderici Kreussleri, gladiatorum artificia feliciter olim ac dextre tradentis, viduam, ſibi iuxta, ac liberis ſuis, ſubſidio venire volebat; dieqne viceſima quarta decembris, non ſine receptis cerimoniis, domum ducebat. Inter haec omnia, cum fides ipſius & probitas, iuſtique ac aequi ſtudium, magis magisque innoteſcerent; anno cIↃ IↃ cxcIx, militum oppidanorum ſignifer; nec multo poſt, anno cIↃ IↃ ccII, praetor oppidi, de patris patriae voluntate, euaſit. Quod officium, inde ab anno cIↃ IↃ ccvII, ita obiit, vt religioſius iuſtiusque haud poſſet: & res quoque aduerſas eo animo tulit, vt sereniſſimi Ducis gratiam, Deique inprimis prouidentiam, grato animo celebraret. Recte enim felicitatis maximae, imo vnicae, fundamentum, in ſempiterni Numinis cultu ponebat: in quo

defixus, aſſidue templum obibat, & ſanctiſſimas dapes ſemel iterumq; ſumebat: quin decembre nouisſimo ingruentis, cumque melius nonnihil haberet; menſe ianuario redeuntis, febris hecticae vim, multo minus, quam credi vt poſſet, vir iſte piisſimus ſentiebat. Decumbenti, cum medicus ſolertisſimus, tum ſacrorum antiſtes religioſiſſimus, praeſto fuerunt. Qui poſterior animam, in meditationes & curas ſanctisſimas incumbentem, & ad coeleſtia adſpirantem, verbi diuini dulcedine perfundebat; & precatione inſuper pia ac vltima conſecrabat; donec illa, inter adſtantium cantiones & lacrimas, praeterlapſo proxime ſolis die, nona poſt veſperam hora, ex corporis aegri ſe vinculis expediret. Nos interea decet, cariſſimi! vt praetori, dum viueret, integerrimo, iuſta hodie ſuprema ſoluamus; & mortalitatis ſic noſtrae memoriam, occaſione tam commoda, renouemus. P. P. ſub Acad. ſig. die XX Aprilis, A. O. R. cIɔ Iɔccxiv.

XIIX

INter acerba, ac infelicia nimis mortalium fata, id quoque habendum eſt: quod

quod & medendi artifices, qui remedia & auxilia praeſentiſſima, contra aliorum valetudinem, morboſque grauiſſimos, ſpondent, ab aegrotandi non raro, quin celerius, quam ſua ceterorumque opinio tulerat, moriendi neceſſitate, neutiquam eximantur. Salomonem igitur, gentis ebraeae ſapientisſimum, ferunt, libri cuiusdam, qui contra omnia aegrotorum incommoda, leuamentum haud vnum continuerit, inque templi ideo Hieroſolymitani veſtibulo asſeruatus fuerit, vix auctorem fuiſſe; cum naturae debitum ipſe mox ſolueret; viuendique hanc artem morbo ac obitu ſuo eluderet. Pari modo, ſuperioribus annis, Caius Iulius, medicorum exercitatisſimus; dum vngentum aliquod laborantis atque caecutientis oculo illinebat; oculorum ſuorum lumina, caſu ſubito atque inopinato, claudebat. Neque obſcurum Sileſiis Curaei eſt nomen; neque fatum ipſius incognitum: quo, cum herbam aliquam, cuius ope tot decumbentium mala profligauerat, aegro ſibi adhibuisſet; ſed in gratiam tamen cum morbo letifero redire haud poſſet; medicamentum hoc ſuum, paucis, ſed memorabilibus verbis, allocutus eſt. Nummos nempe tot aureos, eius ſe beneficio

Digitized by Google

ac virtute, antea comparaſſe, aſſeuerabat; quandoquidem vero praeparatione eiusdem ac vſu, nihil apud ſe ipſum iam profeciſſet; eius rei hanc cauſam is afferebat: quoniam vitae mortisque arbiter, Deus, omni id robore ac virtute impraeſentiarum priuaſſet. Nec minoris conſtantiae, inque caſu extremo patientiae, laudem obtinuit, qui non parua medendi peritia, inter artis ſuae doctores, in Ienenſi hac vrbe inclaruit, probitatisque ac fidei ſuae memoriam, in multorum animis, poſt mortem reliquit, IOANNES THEOPHILVS LAVRENTIVS, iuſtis hodie vltimis, ac vitae laudabiliter actae elogio proſequendus. Ibat recuperatae gratiae annus cIↃ IↃCLXXXVI, iamque martii menſis dies vndecima labebatur; quando hunc virum experientisſimum, in vicino Apoldae oppido, parens eius, dum inter mortales degebat, amplisſimus, & antiſtitis atque ſacerdotis officio venerandus, Iuſtus Laurentius; & ſuperſtes adhuc atque ornatisſima mater, cui Margarethae eſt nomen, Fickianae propaginis, in lucem ſuſcipiebant. Tum chriſtianorum de conſuetudine, aquis ſanctis purgando, Iacobus Sichartus, ciuis quondam ac inſtitor apud Ienenſes florentisſimus,

ac

ac ſenatoria dignitate ſpectatus; & Ioannes Henricus Gerlachius, oppidanae reipublicae conſul meritisſimus; nec non Eliſabetha, Ioannis Guilielmi Sonnenſchmidii, Apoldani conſulis ac mercatoris marita probisſima, teſtes iuxta & fideiuſſores tunc adfuerunt. Auctis poſtmodum annis, tam honoratisſimorum parentum, quam praeceptorum, domi ipſum erudientium, ope, ad capeſſendam virtutem pariter & doctrinam: quarum non minus capacem, quam cupidum ſe probauit: adductus eſt; donec in Vinarienſi lyceo, vberiorem laudis materiam reperiret; & Grosgebauero pariter ac Gunthero, illo rectoris, hoc conrectoris officium obeunte, auctoribus, per quinquennium iſtud, ſpem atque ſententiam optimam, ad maiora impoſterum adſpirandi, ingrederetur. De quo virtutis ac induſtriae curſu, cum Ienenſe hoc athenaeum, anno cIↃ IↃ CCV, ſtudiorum ſuorum & conatuum officinam deligeret; nomenque tunc ſuum, Hambergeri excellentiſſimi, huius res academiae eo tempore gubernantis, auſpicio, in literatorum tabulis ſcriberet; haud dimoueri ſe patiebatur. Poſtquam igitur eas literas, quae ad humanitatem atque philoſophiam attinent, viamque ad di-

ſciplinas medicas ſternunt, arbitris earundem doctoribus, auctoritate publica conſtitutis, attigerat; ad illarum faſtigium & arcem contendit: noſtrique inprimis Aeſculapii, Georgii VVolffgangi VVedelii, & praeclari pariter medendi magiſtri, Ioannis Adriani Sleuogtii, voluntates mox ſibi conciliauit. Horum autem ſancitis & monitis, celebratiſſimi auunculi ſui, Ioannis Iacobi Fickii, nuper admodum ad profeſſoris medici extra ordinem munus euecti, operam ſolertiſſimam & peculiarem coniunxit. Cumque omnium expectationi ſatisfaceret; anno cIↄ Iↄ ccxII; ex quo diſſertationem perdoctam, medici veterani ac emeriti, Rudolphi Guilielmi Crauſii, patrocinio fretus, non ſine auditorum applauſu, defenderat; paullo poſt, ſummos ſcientiae ſuae honores, merito ſuo conſecutus eſt. Sic ad gloriam inflammatus; ſua pariter & familiae ſuae decora, Ienae noſtrae, vt pietatis ac modeſtiae laudibus, ſic medicina, officioſe ac feliciter facta, amplificauit. Omnium vero opinione celerius, poſt leuiora aliquot mala, quibus, poſt anni huius initium, conflictatus eſt, die xIV ianuarii, in morbum fatalem incidit: qui febris primum, a deſtillationibus ortae, ſpe-

ciem

ciem mentiebatur. Hic autem, poſt medicamenta idonea, ab aegro ipſo parata, in febris vehementisſimae genus, neque Fickii exercitatisſimi ope, neque matris atque ſororis optimae fomentis & curis, neque vllorum auxiliis expugnandum, degenerabat. Ad beatam igitur ex hac vita migrationem ſe compoſuit; coeleſtique viatico, ac praeſidiis diuinis inſtructus, die XXVII ianuarii, plenam religionis ac fiduciae animam in coelum efflauit. A Vobis hodie, ciues carisſimi! frequens iuxta & pium ſupremae humanitatis officium, cum meritisſimi Doctoris honori, tum amplisſimae ſtirpis ſolatio, in pompa hodie funebri, deberi exiſtimate. P. P. ſub Acad. ſig. die XXX Ianuar. A. O. R. cIↄ Iↄccxv.

XIX

HUius atque ſuperioris ſeculi ornamento & gloriae tribuendum eſt, quod, cum mathematicorum antehac munus, & ſola ſaepius appellatio, magni admodum criminis, & tantum non veneficii inſtar, in rudi adhuc Germania cenſeretur; inter noſtrates non minus, quam vicinos & exreros, harum pariter doctri-

narum amplificatores, ſumma ingenii ac induſtriae laude floruerint; & mirifica quadam inueniendi ſolertia, ipſis etiam Britannis & Gallis antecelluerint. Quod peregrinorum fortaſſe omnium, noſtrae vtplurimum famae inuidentium, fidem excederet; niſi & Nicolai Cuſani, & Purbachii atque Schvventeri, & Harsdoerfferi ac Schotti; &, vt ad noſtram nos conuertamus aetatem, Tſchirnhauſii, Sturmii ac Leibnitzii, &, qui hanc nuper academiam illuſtrauit, VVeigelii, nomina, inque totam poſteritatem merita, in faſtis extarent, & contradicentium oculos, magnitudine ſua ac luce, praeſtringerent. His collega noſter inſignis ac deſideratisſimus, GEORGIVS ALBERTVS HAMBERGERVS, ſi non ſuperiorem hucusque, at parem tamen ſe gesſit; conatu certe ac ſtudio, quo computandi metiendique artificia cum rerum naturae abſtruſiſſimarum inueſtigatione coniunxit; plerisque omnibus nihil, & mathematicorum paucisſimis parum concesſit. Sicut igitur vita ipſius, bonis omnibus cara, & Ienenſi praeſertim academiae honorifica credebatur: ita obitus Viri, non familiam tantum amplisſimam prope conficit, ac vi repentina percellit; ſed nos pariter, & Vitembergae ac

Li-

Lipſiae, & Halae doctores egregios, a-
liarumque tot regionum mathematicos,
quos ad audiendum ſe olim, eruditionis
ac ſolertiae ſuae gloria inuitauit, luctu
impraeſentiarum communi afficit, ac ve-
hementer conſternat. Vtut vero prae-
clari adeo Viri meritis atque laudibus,
nec oratio noſtra, nec facultas ſufficiat;
ſed Gaſſendo aliquo, ceu alterius huius
Tychonis praedicatore, opus eſſe iam vi-
deatur; quantum tamen poterimus, no-
men eius clariſſimum ac perenne, tam
praeſenti, quam poſterae, ſi qua erit,
aetati commendabimus. Prima vitae,
tot laudibus, quot annis diſtinctae, ini-
tia, anno cIↃ IↃCLXII, die viceſimo ac
ſexto nouembris, Steyerbergae, Franco-
niae pago, ſortitus eſt; patre, tam ſa-
cerdotis ibidem, quam in VVaſſertrudin-
gae capitulo, ſenioris muniis graui, Ge-
orgio Ludouico Hambergero; matre
Barbara, Colerianis natalibus, & virtuti-
bus haud obſcuris laudata. Horum o-
pera, & ciuitati mox ſacrae adſcriptus,
& domi excultus eſt; donec anno cIↃ
IↃCLXXIV, Dunckelſpilenſe lyceum; &
quadriennio poſt, Heilsbronnae gymna-
ſium, cui dexteritatis & famae egregiae
Vir, M. Io. Fridericus Krebſius praeerat,
ceu theatra quaedam iniret, in quibus
in-

Digitized by Google

ingenii atque ſtudii Hambergeriani vis atque alacritas ſe primum oſtenderet. Anno cIↃ IↃCLXXXII, die XXIV labentis tunc maii, in ampliorem adhuc virtutis ac diligentiae campum, Altorfi Noricorum deſcendit: ſuorumque conatuum adiutores excellentisſimos, VVagenſeilium, Sturmium, Mollerum, Omeiſium, Roetenbeccium nactus; in quibuscunque philoſophorum, hiſtoricorumque ac rhetorum, & philologorum exercitationibus, & in rerum praecipue mathematicarum atque naturalium ſtudiis, pulchre ſtetit; maturitatemque aetatis, in iuuentutis principio, anteuertit. Talem itaque literarum & ſapientiae apparatum quum anno cIↃ IↃCLXXXIV, die XXIV aprilis, in hanc ſalanam afferret; & virorum incomparabilium, Friſchmuthi, VVeigelii, Sagittarii, Schubarti, Schmidii ductu, vberiorem adhuc, tam doctrinae cuiusuis, quam totius inprimis matheſeos cultum capeſſeret; vſumque iſtarum multiplicem ac inſignem, a theologis ſua aetate maximis, Bechmanno, Baiero, Velthemio, doceretur; expectaonem mox omnium, non aequauit tantum, ſed interuallo longisſimo ſuperauit. Quare merito ſuo, ab honorum iſtorum diſpenſatore, Caſpare Sagittario,

ad

ad doctoris philoſophi gradum, anno cIↃ IↃCLXXXIX euectus; & poſt annorum quinque decurſum, ordini philoſophorum adſcriptus; in arena diſputantium, ac docentium cathedra, nemine ſe inferiorem probauit. Dignus igitur ante alios, athenaei noſtri conſeruatoribus maximis atque ſapientisſimis viſus; quem anno cIↃ IↃCXCVI profeſſoris mathematici partibus, extra ordinem obeundis; & poſt biennii ſpatium, ſedulo ac praeclare confectum, ordinario huius diſciplinae tradendae officio; quin profeſſoris praeterea phyſici functioni, anno cIↃ IↃCCV praeficerent. Neque magis in his, quam in coenaculi academici, recte ac laudabiliter moderandi, negotiis, iuſſu ſimiliter Principum, ſibi iniunctis, ſpem ipſorum atque opinionem fefellit. Vt admirationi proinde tam auditoribus quam eruditorum aliis eſſet; & ab exteteris etiam, Hambergerianae ſcientiae, in diſputationibus eius & ſcriptis expreſſae, imaginem agnoſcentibus, coleretur. Quanta porro amoris ac fidei argumenta, tum praeclarisſimae coniugi, ac frugalitate & ſanctimonia, cum mulieribus optimis ac religioſiſſimis comparandae, Sophiae Catharinae, a percelebri illo Altorfinorum Iuriſconſulto, Felice

Spi-

Spizio, procreatae, vſitatisque ceremoniis, die VIII aprilis, anni cIↃ IↃCXCVI, domum ductae; tum tribus ex ea filiis, & octo ſimiliter filiabus probisſimis; ſi quinque iſtorum, obitu praematuro ſubductos, excipias; paternarum iam laudum aemulis, viuus dederit, ac defunctus reliquerit; non verba eorum tantum, ſed & lacrimae, aperte loquuntur. Iam prudentia eius; quoties vel decurionis prouinciam gereret, vel ad academiae clauum ſederet, prodita; nullis teſtibus eget; ac religio, ſicut in chriſtianorum coetibus, ita in ſacris domeſticis, cum bonorum omnium laude, eluxit: ceterarumque virtutum decora tanta fuerunt; quanta pauci, inſtitutione ac vſu, inter viros doctiſſimos, conſequuntur. Ceterum quod de candela ardente, & paulatim extincta, dictum eſt: eam aliis inſeruiendo conſumi; hoc de noſtro pariter, lucubrationibus curisque perpetuis nuper immortuo, dici fas eſt. His enim & lentum, & continuum, & periculoſiſſimum febris genus, quod ſcorbuticum atque ſpurium a medendi artificibus appellatur, contraxit. Quod tamen in alium, eumque inuſitatum alias morbum, qui ex febre & palpitatione cordis conflatus eſt, & febris ideo comi-

comitatae titulum apud medicos gerit, triſti adeo fatalique euentu, degenerauit; vt neque ab incredibili VVedelii vtriusque prudentia, nec ab exquiſitisſimis moeſtae coniugis ac liberorum fomentis, auxilium expectari potuerit. Sed mens tamen beati, in ſanctisſimis meditationibus ac Deo defixa, per afflicti, & aeſtuantis praeterea corporis imbecillitatem, nunquam torpuit; neque in ipſo mortis limine, tempus ſibi ad otiandum indulſit: diuinisque epulis, viam ſibi ad beatisſimas ſedes; quas praeterita iouis die, nocte media, inter ſuas aliorumque precationes, geniorumque & animarum coeleſtium plauſus, ingreſſa eſt; communiuit. Vobis conuenit, ciues! profeſſoris tam clari ac egregii funus, pompa ſollemni hodie deducendum, comitatu lugubri & pio cohoneſtare; defunctique decus ac magnitudinem, non in capulo aut ſepulchro, ſed in relictis ingenii monumentis ac coelo, circumſpicere, P. P. ſub Acad. ſig. die XVII Februar. A. O. R. CIↃ IↃCCXVI.

XX

XX

VIuendi ſimul ac aegrotandi nuperius finem fecit, experientisſimus artis medicae doctor, & vicarius huius oppidi conſul ac iudex, IOANNES HELMREICHIVS, ſuae non minus patientiae, quam induſtriae teſtimonium in praeſenti depoſcens. Huius vtique Viri exemplo, variorumque & grauium, quibus ipſe obnoxius fuit, ſymptomatum documentis conſtitit: Auguſtinum, ſubtili ingenio ac iudicio praeſulem, a vero haud abiiſſe, dum ex corpore noſtro, tot cruciatus & morbos exiſtere, affirmauit; quot medicorum omnium libris ediſſeri comprehendique haud poſſent. Quod ipſum, in Patauinorum lyceo, ſcientiae ſalutaris magiſter egregius, & longisſimo vſu edoctus, excogitata eam in rem pictura, ſignificaſſe, ab aliquibus perhibetur: vbi homo aliquis, in terra proſtratus, & a canibus totidem, quot partes haberet, miſere laceratus, iacuerit. Quemadmodum vero catelli, non tam animalia iſta, quam humani corporis morbos, de viri iſtius ſententia, deſignabant; ita vnus eorum, podagrae; alter calculi; tertius cancri; quartus phthiſeos; atque alii aliorum malorum,

qui-

quibus hominum valetudo ſubiacet, appellationem gerebant. Porro oppoſitus ceteris, canum iſtorum maximus atque robuſtisſimus, febris malignae titulo inſignitus; atque omnia membra inuadens, & plane conficiens, in eadem hac tabula cernebatur. Procul dubio autem imaginis tam ingenioſae & verae inuentor, hominem, multis ac difficilibus morbis tentatum, cum ceruo aliquo, a diuerſae magnitudinis canibus agitato, tandemque oppreſſo, in comparationem venire voluit, & in linteo picto oſtendit. Neque melius certe ab aegrotantibus leuamentum & auxilium quaeri poteſt; quam quod a pientisſimo regum, Dauide, in literis ſacris circumſpicitur, eiusque exemplo, omnibus commendatur. Vt enim ad fontes limpidos cerua, clamorem ſaepe acutum & anxium tollit: ſic memorati Dauidis animus ad Deum gemebat, ſitientisque in modum, coniunctionem cum Deo beatam & arctisſimam precabatur. Et hoc etiam ipſum, in lecto adhuc ferali optauit, huiusque iam voti potitus eſt, principio huius ſcriptionis laudatus, & vlterius, pro eo, ac par eſt, laudandus Heimreichius; quando obitum, nil niſi afflicti corporis requiem, atque animae

ſuae ad regnum coeleſte aditum eſſe, re ipſa expertus eſt. Nam in ſpem adeo ſanctam beatus, anno cIↄ Iↄ CLXXXII, die aprilis ſeptimo atque decimo, Neo-ſchvvanbaci, ex parentibus, pagum hunc incolentibus, famamque honeſtam, quoad viuerent, conſecutis, Ioanne Heimreichio, & Anna Maria Gielbertia, natus; atque altero die, in fonte diuino, fideiuſſoris munia, viro probo, Ioanne Calbio, obeunte, renatus eſt. Quorum ſolicitudine atque ſtudio, cum aliquantisper adoleuiſſet; mox ingenium eius, ad ſcientias liberales idoneum, in Iſenacenſi lyceo; atque poſtea in Ienenſi hoc athenaeo, quod anno cIↄ Iↄ CC VI, non ſine ominibus bonis, inibat, apparuit. Tum frequentatis hinc inde collegiis, ad propoſitum ſuum vtilibus, imo neceſſariis, rem eo deduxit; vt die IX octobris, anni cIↄ Iↄ CCXII, doctoris medici gradum adſcenderet. Ac ne de publico bono merendi occaſio ipſi deesſet; ea Heimreichio, Patris patriae ſereniſſimi nutu, in reipublicae oppidanae ſenatu, bis oblata eſt: dum & praetoris prouinciam, anno cIↄ Iↄ CCXII, die IX martii; & vicarii conſulis dignitatem, die auguſti viceſimo, anno cIↄ Iↄ CCXIV, eum in finem obtinuit; vt iudicis mo-

deſti

deſti ac iuſti exemplo, ordinis ſui aliis praeluceret. Ad lenienda interim vitae taedia, rei familiaris ſocietatem cum vidua primum probiſſima, Barbara Regina Huttenrauchia; & poſt huius exceſſum, cum viri admodum reuerendi, Iacobi Bornii, myſteriorum coeleſtium apud Manſtadenſes praeconis meritiſſimi, filia, Maria Dorothea; ornamentis virgineis tunc praeſtante; & anno cIↄ Iↄ cc xlv, die ſeptembris decimo ſeptimo, domum ducta; feliciter iniit, maritique optimi partes impleuit. Pignus amoris optatiſſimum, quod a coniuge noſter ſecunda acceperat Ioannes videlicet Fridericus, hodie, hora poſt meridiem altera, vna cum patre ampliſſimo, efferetur; poſtquam hunc febris hecticae morbus, ex anni ſuperioris haemorrhagia coortus, die nono euntis nunc menſis; tam ipſius aegroti, quam collegae noſtri excellentiſſimi, Ioannis Adolphi VVedelii, ſuccis ac herbis a malorum vehementia atque copia ſuperatis; pie antea praeparatum, extinxit. Veſtrae humanitatis eſt, ciues! exanimatas reliquias, ad ſepulchrum, comitatu honeſto proſequi, ac veſtrae ipſorum mortalitatis memoriam, data occaſione tam commoda, renouare. P. P.

ſub Acad. ſig. III Feriar. Paſch. A. O. R. cIↄ Iↄ ccxvI.

XXI

MAgnum Hugonis Grotii nomen, laudandumque ab omnibus ſtudium; non in religione quidem tuenda: in qua varius, & modo ad pontificios, mox ad Photini atque Arminii ſectatores, pronſior fuit; ſed in morum legumque ſcientia: cuius is emendator egregius, & quodammodo pater extitit; tum aetate ipſius eſt habitum, tum, quod aequitas ipſa exigit, in hunc diem vsque habetur. Enimuero ſuperioribus ſeculis, tam conditoris aeterni, hominumque mortalium iura; quam naturae ipſius ſtatuta, & quae a legislatorum arbitrio pendent; imprudenter admodum & abſurde inter ſe miſcebantur. Primus itaque Grotius, accuratum & iuſtum, inter omnia iſta, diſcrimen poſuit: & officia hominum ex ſocietatis humanae fontibus deriuauit: excogitatumque a viris ſcholaſticis chaos, in formae decentis ordinem, ac diſciplinae eximiae corpus redegit. Ita vero incomparabile illud, diuinumque ac aureum opus prodiit:

diit: quod, vt ab aulae ac militiae administratoribus, ſagique ac togae heroibus, pari ſuffragio & applauſu exciperetur; de iure belli & pacis inſcribere, quam naturae & gentium inſtituta; licet hoc, neque aliud argumentum is liber contineat; appellare, ſatius iudicauit. Equidem notae cuiusdam, nec remotae adeo ab hac vrbe academiae, profeſſorum ſententiam: qui a ſcripturae coeleſtis codice, huic Hugonis Grotii monumento, locum proximum tribuerunt: nos in medio impraeſentiarum relinquimus. Tamen hoc, ad excellentiſſimi, qui humandus eſt hodie, morum pariter atque rerum ciuilium profeſſoris, iuriumque doctoris conſultiſſimi, IOANNIS IACOBI MVLLERI, ſenioris in ſuo collegio locum adepti, nobisque deſideratisſimi, laudem, in exequiis eius disſimulari haud debet: illum a celebrati hucusque Grotii, velut accuratisſimi magiſtri ac ducis, veſtigiis, ſine cauſa diſcedere, religioni propemodum ſibi duxiſſe; atque ea duntaxat, quae cum ſanctitate diuina congruerent, ſua feciſſe; actionesque adeo in ſe honeſtas ac turpes, ad viri tam celebris inſtar, propugnauiſſe. Neque vero deteriorem in morte, imo meliorem ſe Grotio

Mullerus probauit. Quamuis etiam ille, in vitae extremae limine apud Roſtochienſes poſitus, in Ioannis Quiſtorpii ore & oculis, talem ſe exhibuerit; qualem futurum, ne Quiſtorpius quidem ipſe ſperauerat. Namque & Deo, mortis arbitro, viſum ſic eſſe, ſapienter Grotius affirmauit; & publicano ſe ſimilem extitiſſe, ac deinceps futurum, pie contendit; nec niſi in Chriſto ſuam ſe ſpem ac fiduciam collocare, ſemel iterumque pronunciauit. De Mullero iam mortuo, atque Grotii quondam imitatore, niſi haec & ſimilia, eius in funere teſtaremur; ſane aduerſus merita noſtri, in virili praeſertim aetate, atque virium robore adhuc integro, erga hoc prytaneum extantia, iniqui fortasſe ac inuidi cenſeremur. Aque ortu beati vt initia tandem narrationis, ſupremis Viri laudibus deſtinatae, ducamus; patriam ipſe, anno cIↄ Iↄcl, die primo atque triceſimo maii, hanc vrbem, eruditorum hominum ſedem, habuit: a parente clarisſimo, Ioanne Mullero, conrectoris tunc munia fideliter obeunte; & matre frugali ac proba, Dorothea Groſſneria, non ſine iſtorum gaudio ac ſolatio, procreatus. Ambo autem, has etiam curas & partes ad ſe pertinere, putabant: vt & ſacris

cris initiaretur defunctus ; & ad vitam honeſte ac pie inſtituendam, excitaretur ; & primum deinde ſtudii literarii curſum, in ſchola Ienenſi conficeret. Statimque indoles noſtri, literarum & artium capax, emicuit : vbi viris perdoctis ac ſolertibus, Ringlero atque Moſero ; illo rectoris laboribus mox immortuo ; hoc autem, in ſancto Salfeldenſium coetu, ad archidiaconi, imo praeſulis demum vicarii locum euecto, & affinitatis necesſitudine ſibi coniuncto, auctoribus ; magis magisque profecit, diſcendique alacritatem omnibus approbauit. Neque Mulleri adſiduitas, in ſublimiorum hac artium officina : cui, ſub exercitatisſimi atque inſignis medici, Theodori Schenckii, magiſtratu academico, nomen dabat, refrixit ; ſed plane ad profeſſorum, illa aetate praeſtantium, atque ſtudiis eius conſulentium, Friſchmuthii ſcilicet ac VVeigelii, Poſnerique & Boſii, nec non Goezii ac Velthemii laudem contendit. Per haec igitur ac ſimilia doctrinarum ſtadia decurrenti, non tantum amplisſimus ſapientum ſenatus, doctoris primum philoſophi, poſt adiuncti, vt vocant, honoribus rite tributis ; ſed nutritores etiam clementisſimi, profeſſorem initio ex-

tra ordinem; tum poeticae artis; & mox logicae; tandemque moralis, & ad respublicas attinentis philoſophiae, interpretem eum creantes; mercedem laboris luculentisſimam, atque honorificam ſatis, ſoluerunt. Ex quo tempore, nomen ſuum ac decus, ſicut pluribus, quam recenſeri hic poſſunt, diſſertationibus: ita morum, ſocietatumque conſtituendarum praeceptis; & naturae ac gentium inſtitutis; ad magni imprimis Grotii ductum: cuius etiam ius belli & pacis, annotationibus doctis augendum, ſuſceperat: cum cura elaboratis ac editis, illuſtrauit. Similiter iureconſultorum apud nos celebratorum, cum doctoris inſignia ſuo merito reportaret, applauſus; &, quantum in perilluſtrium diſciplinae huius antiſtitum, Lynckeri ac Struuii ſcholis, antehac profeciſſet, teſtimonium, ante aliquot annos, Mullerum ornabat. Sed & in matrimonio; quod cum ſacrorum Cranichfeldenſium praeſulis venerandi, atque hinc VVachſenburgum & Ichtershuſam vocati, Io. Valentini Schneideri, filia praeſtantisſima, Anna Eliſabetha, anno cIↃ IↃCC XIV, die triceſima prima octobris, cum luctu eius ingenti, mortua, rite pactus eſt; boni officioſique coniugis: inque re-
li-

liqua vita, viri humani, & ſorte ſua contenti, precibusque & cultui ſacro dediti, partes impleuit. Praeterea oculorum ſuffuſionem, quam anno ſuperiori, Dei atque chirurgi beneficio, depulit; nec non arthritidis, atque ſanguinis vitioſi, ſtomachique infirmi, & ſiderationis hinc ortae incommoda; non illis tantum diebus, quibus medici ſummi, Georgii VVolffgangi VVedelii fomenta & ſucci proderant; ſed poſtremis etiam, & inde a duodecimo euntis aprilis, medicamentorum omnium ſpem fruſtrantibus; aequo animo tolerauit: nec de patientia vnquam aut pietate, ſanctis dapibus confirmata, deflexit. Hisque, vt arbitramur omnino, gradibus, die tertia atque decima labentis nunc menſis, hora poſt meridiem quarta, inter ſuorum precationes & lacrimas, in coelum adſcendit. De Vobis ſperamus, cariſſimi! in funus Mulleri meritisſimi, ad diuinam collegii aedem ſollemniter ac honeſte ducendum, vos hodie prodituros; & ſexaginta propemodum ſex annorum doctoris memoriam digne concelebraturos. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. Quaſimodogen. A. O. R. cIɔ Iɔccxvi.

Digitized by Google

XXII

PRaeter ſpem ſane & vota bonorum omnium accidit, vt poſt paucorum dierum, nec formidatam magnopere valetudinem, reſolutione neruorum ſubita & fatali, noſtris oculis nuper ſubduceretur, ac iuſta a nobis vltima nunc depoſceret, probitatis atque exiſtimationis egregiae Vir, GEORGIVS ADAMVS NOEZELIVS, in adminiſtrandis colligendisque oppidi huius tributis, haud minori ſolertia, quam fide verſatus. In quo officii genere, plus momenti ac ponderis, quam a plerisque exiſtimatur, aut forte conceditur, ſitum eſſe; a rerum ciuilium interpretibus abunde docetur: atque a Maecenate inprimis ex eo conficitur & probatur: quod, niſi redituum pars exigua, in bonum commune, a ſubiectorum ſingulis conferatur; parum, vel nihil ceterorum omnium, ſine periculo ac noxa percipiatur. Huiusmodi enim onera, ſicut bono ciuium, & vt opibus ac poſſeſſionibus ſuis tuto perfrui ipſis liceat, exiguntur: ſic diſſolui imperium ac perire oportet; ſi id fructuum genus, quo reſpublica ſuſtinetur, vel deminui, vel tolli, contingat. Qua tamen in re, boni religioſique princi-

ci-

cipes, atque ſimiles ipſis miniſtri, tale ſibi, ceu par eſt, ſeueritatis ac miſericordiae temperamentum indicunt: ne pecuniae, cum egenorum oppreſſione & lacrimis, corradantur extorqueanturque; aut ex re qualibet, cum regnantium aliquando dedecore, exigantur. Quemadmodum olim Ioannes, Michaelis caeſaris frater, tributa pro elementis & aere imperabat. Gallorumque praefectus, Licinius; quia penſio tributaria menſibus cunctis requirebatur; non duodecim amplius menſes annorum, ſed decem & quatuor ſtatuebat; crumenasque ſuorum, totidem, imo pluribus adhuc vicibus, emulgebat. Noſtrarum idcirco prouinciarum felicitati ac flori haud immerito adſcribendum hoc venit, quod auaritiae & crudelitatis haec genera hic nondum exaudiantur. A quibus vt Pater patriae clementisſimus, Deum nempe propitium imitatus, procul abhorret: ſic Noezelius in ſinu gaudebat, ſibique & Ienae gratulabatur; cum nouisſime tributorum apud nos auctionem molliri, tranquillitate & pace Germaniae reddita, comperiret; atque hoc beneficium nobis proprium ac perpetuum eſſe, optaret. Ita Principis honori ac bono velificatus; vt ciuitatis non minus commoda

moda & ſalutem proueheret: atque ita, dum viueret, reipublicae amicus & carus; ut rarum ac incredibile ſui deſiderium iam poſt mortem relinqueret. Idemq; a nobis Noezelio, probitatis ac fidei monumentum debetur; quod ſua aetate Lipſius demortuo Douzae ponebat: vna cum defuncti exuuiis, ipſum quaſi candorem, ex aedibus eius efferri, & in tumulo ipſius recondi. Haec igitur ſumma teſtimonii ac elogii erit: quo & vitam Noezelii, multis hucusque virtutibus laudibusque inſignem; & obitum, qui optatus non minus ac felix, quam inexpectatus eidem ac praeproperus contigit; proſequemur. Dei is beneficio, anno CIↃ IↃC LX, die XIII labentis tunc iulii, in Arternae oppido, lucis huius uſuram auſpicatus eſt: decusque haud paruum, tam a parentibus nobilisſimis, Georgio nempe Noezelio, VVeiſenfelſenſium olim quaeſtore, praediorumque, a comitibus illuſtrisſimis posſeſſorum, mancipe, honorifice adhuc commemorando; atque Anna Sophia, in Principis viduae, quae Altemburgi antehac inclaruerat, aula, antiſtitis, ſacrorumque Doremburgenſium adminiſtratoris & inſpectoris, maximopere venerandi, M. Petri Pauli VVolfii orna-

ornatisſima prole; quam a proauis & maioribns, dignitate patricia olim ſpectatis, obtinuit. Chriſtianorum tum ciuitati, in ſanctisſimo fonte, adſcriptus; vt praeſtantisſimorum parentum, generisque materni auiae, Catharinae Hauenſteiniae, a Salburgi praefecto ſpectatisſimo, Ioſepho VVolfio, procreatae; ſic praeceptorum fidelium & doctorum auſpicio, adoleuit: animumque, virtutis ac ſcientiae cuiusuis capacem, ad academiarum ſtudia, haud ſecus ac agrum fertilem ad ſegetem ſecuturam, parauit. Neque ſpes eum fefellit; poſtquam in Erfordienſis lycei tabulas, non ſine ominibus fauſtis, relatus, a profesſorum celebrium, Ioannis Hermanni a Soden, nec non Gudenii & Matthiae, ac potisſimum Ioannis Henrici Meyeri; cuius domicilio quoque ac menſa hic vſus eſt; ore, per annorum quatuor interualla, pependit. Peſtilentia inde in vrbis iſtius aedibus ac vicis graſſante, ad penates patrios reuocatus; iuſti ac aequi ſapientiam marte proprio auxit, & ad vſum etiam fori traduxit. Cuius rei occaſiones luculentisſimas Sachſenburgi, velut in publico atque celebratisſimo iurisprudentiae campo, ſortiebatur. Quandoquidem vero parens optimus, vil-

villam inxta, & loci iſtius vectigalia, nec non praedium Shonſtetenſe conduxerat; propterea rei ſimul familiaris peritiam hauſit; quin memorati iam praedii, cui a patre praefectus eſt, rationes praeclare adminiſtrauit. His permoti, Saxoniae duces ſereniſſimi, in domo Vinarienſi atque Iſennacenſi florentes, anno CIↃ IↃC XC, ſummorum, in vrbe Erfordienſi, vectigalium ſcribam ante ceteros Noezelium noſtrum creabant. Ita aditus ipſi ad prouinciam, patris patriae glorioſiſſimi iuſſu, hic Ienae ſuſceptam, vt a ciuitatis iſtius re tributaria eſſet, non ſine diuini Numinis prouiſione ac ope, muniebatur. Ex quo tempore nullum ſui officii decus ſibi reliquum fecit: & ab hominibus lucri cupidis, longo ſe adeo interuallo diſiunxit; vt egentibus quoque ac miſeris ſubueniret Erga omnes profecto officioſum & ſuauem, neminique moleſtum aut grauem ſe praebuit: pietatemque ac fidem, in Dei aeterni domicilio; quod & altero ante obitum die, cum iam biduo aegrotare coepiſſet, ſancte obiit; ſatis luculenter probauit. Die demum viceſima ſexta ſeptembris; poſtquam ſtomachi malis medicamenta domeſtica in caſſum iam oppoſuerat; artis medicae doctorem peritum

ritum, ſibique amicum, cui Andreae eſt nomen, arcesſebat defunctus: qui vultum in eo Hippocraticum, pulſum paruum ac debilem, fauces aridas, aluumque obſtructam, atque cetera febris malignae, ac proſtratarum virium ſigna; confeſtim deprehendebat. Ac licet remedia eas ad res idonea adhiberet; prohibere tamen haud poterat, quo minus Noezelius; dum octaua cum dimidia noctis hora iam effluxiſſet; derepente ſanguine ictus, concideret; &, priusquam accurrere poſſet medicus, ab ancilla vocatus, animam piam, & Chriſti ſanguine perpurgatam, efflaret. Veſtrum eſt, ciues carisſimi! pompam funebrem, quae, ab hora ſecunda hodie, ex aedibus beati ducetur, comitatu frequenti; qualem & ſua cuiusque humanitas, & propinquorum dignitas ac luctus requirunt; nobiscum cohoneſtare. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. XXI poſt Trinit. A. O. R. CIↃ IↃCC XVI.

XXIII

VT conſolationi, ſic voluptati maximae nobis erat, ſuauisſimi ſeruatoris ſententia; qua aedes nuper ſanctisſimae,

ſimae, die illo, qui a iubilis nomen ſortitus eſt, perſonabant: fata ſcilicet chriſtianorum aduerſa cum proſperis, doloresque ipſorum & curas cum gaudiis ac deliciis, interiecto aliquo tempore, commutanda venire. Laetamque & exoptatam adeo rerum conuerſionem, in aerumnoſa hac vita, piis haud infrequenter obtingere; multis iam retro ſeculis, cum Ioſephi ac Iobi, tum Danielis ac Ionae, ſanctorumque tot hominum; modo calamitoſorum ac triſtium; modo liberatorum a Deo, & magis, quam ante, felicium; documentis conſtabat. Longe tamen id luculentius, tam Chriſti ipſius, mortis ac inferorum faucibus deinceps erepti; quam diſcipulorum illius fidelium, poſt magiſtri ſui iacturam, & obitum acerbiſſimum, eius mox reditu adſpectuque iucundo recreatorum, exemplis teſtatum eſt. Omnium vero maximae ac ſummae felicitatis faſtigium, non viuentes, ſed mortui demum conſequimur. Vbi nullis nos malis ac doloribus in poſterum cruciari; ſed ab his omnibus liberos immunesque praeſtari; Admetus etiam, homo profanus, myſteriorumque coeleſtium imperitus, apud Euripidem profitetur. Memorque iſtorum, Aeſchylus, a Stobaeo laudatus,
mira

mira obitus ſui cupiditate flagrabat, atque: o mors! inquiebat, ne patiar, quaeſo, repulſam! aut prohibear, quo minus ad te veniam, atque paſſibus citatis contendam! Malis enim ac morbis inſanabilibus tu ſola mederis; nec dolore deinceps, nec luctu, affligimur. Neque eſt, quare ab exteris, aut paganis, rei iſtius exempla ac monita repetamus; cum ex diuino codice, Dauidem iuxta & Paulum; mortalitatis vinculis ſolui, & cum Deo ac Chriſto in coelo ouare, etiam atque etiam cupientes: nemo ignoret. Hodie autem nobilisſimi, & nunc vltimis proſequendi honoribus, rerum medicarum doctoris, IOANNIS MARTINI HOFMANNI exemplum nos vocat: qui licet fortunis, ac rebus ex voto fluentibus, aliquando floruerit; annis tamen poſtremis, incommoda valetudine, neruorumque praeterea reſolutione, tentatus & fractus; dictum illud Platonis, quo voluptates mortalium ac dolores, vinculo quodam indiſſolubili iuncta & colligata inter ſe eſſe, pronunciauit, verum quodammodo effeciſſe videtur. Tanto igitur magis obitum, ceu tranquillitatis & gaudii portum, morborumque & cruciatuum finem, in votis habebat; atque animo nu-

Digitized by Google

per hilari, tanquam promiſſas a redemtore optimo, ac initio huius ſcripti commemoratas, moeroris & laetitiae vices mox allaturum, excipiebat. Bene igitur ac beate poſuit vitam Vir nobiliſſimus; cuius felicia & honeſta auſpicia, anno cIↄIↄcLVIII, die ſeptembris ſeptimo ac viceſimo, in vicina & culta Numburgenſium vrbe, a parentibus, probitate & prudentia, quoad in orbe hoc verſabantur, ſpectatis, Ioanne Hofmanno, pharmacopola, ciuitatisque Ienenſis conſule meritiſſimo, ac Eliſabetha Dorothea Luthera, habuerat. Et pater quidem beati eximius a viro honeſto ac pio, Ioanne Hofmanno, Friburgenſis tunc oppidi ſenatore, vendendisque mercibus dedito, ortum ducebat. Mater autem probiſſima, patrem Ioannem Erneſtum Lutherum, in Cizenſi capitulo, ſenioris titulo clarum; auum vero, in vrbe quondam Vinarienſi, electoris Saxonis medicum inprimis peritum ac celebrem, Paulum nempe Lutherum; maioremque his omnibus proauum, Martinum Lutherum, theologorum noſtratium ducem, laudabat. Horum noſter virtutes ac decora vt imitaretur; & in lauacro diuino, quo Numburgi initiabatur, Deo propitio commendatus; & cum parentes optimi Ienam,
poſt

poſt emtum hic myropolium, anno cIↃIↃc LIX migraſſent; in hac pariter vrbe, & elapſo biennio, in Rudolſtadienſi lyceo: cui clariſſimi viri, Ioannes Schvvimmerus, & Io. Chriſtophorus Treunerus, ille rectoris, hic conrectoris munere laudabiliter fungens, praeerant; ad praeclara omnia excitatus eſt. Inde in academiae noſtrae tabulas, de conſuetudine priſca, relatus; logicorum non minus, quam metaphyſicorum ſancita, ab interprete eorum perdocto & publico, Valentino Velthemio; phyſicorumque placita, a celebrato tunc phyſico, Caſpare Poſnero; totius inſuper medicinae arcana, ab eorum antiſtitibus ſummis, VVedelio, Crauſio atque Faſchio, hauriebat. Quin imo, annis hic circumactis duobus, Belgium peragranti; ad medicorum tunc principes, Drelincurtium, Craenium, Carolum de Maets, & Schachtium, aditus ei haud difficulter patebat; diſputandique ac opponendi occaſio ſubinde offerebatur. Breuique poſt, Angliam, inque ea Londinum & Oxoniam cum voluptate luſtrandi, animumque & oculos in his terris paſcendi, cupiditatem expleuit. Iſtis igitur [illegible]is ornatus, Ienam repetiit: cumque non ſui tantum, ſed totius Germaniae praeceptoris, VVe-

delii ope, anno CIↃ IↃ CLXXXV, die XXXI euntis tunc maii, de icteri, qui dicitur, morbo, ſollemniter diſceptaſſet; ad ſummum doctoris medici gradum peruenit. Vt autem rei ſimul familiari conſuleret; primum matrimonii foedus, anno CIↃ IↃCLXXXIX, die XXIV nouembris, cum virgine praeſtantisſima, Maria Chriſtina, ſenatoris, dum viueret, bene de Erfordienſibus meriti, Balthaſaris VVeſtermanni filia; alterum vero cum nobilisſima foemina, Anna Catharina Goezia, deſideratisſimi apud nos rei medicae profeſſoris ac phyſici, Erneſti Friderici VVedelii vidua, die II iunii, anno CIↃIↃCCX, qui tertius a prioris obitu erat, non ſine cerimoniis ſplendidis, ſanciendum curabat. Ex VVeſtermannia, ſicut foeminas ornatisſimas, Ioannam Chriſtianam, & Mariam Chriſtinam; illam ſacrorum Friesnizenſium adminiſtratori clarisſimo, M. Matthiae Hoefero; hanc legitimae diſciplinae doctori, inque prouinciali curia, cauſſarum patrono ordinario ac perquam ſolerti, Ephraimo Gerhardo, in matrimonium collocatam: ita virginem florentisſimam, Margaretham Sophiam; atque artium humaniorum cultorem adſiduum, Ioannem Zachariam ſuſcepit, ac feliciter educauit. Vt extinctos iam an-

antea, parem ad modum iucundisſimos liberos, Annam Eliſabetham, Ioannemque Erneſtum, ac Ioannem Martinum, latere iam patiamur. VVedelia porro, vna cum ſocero ſuo magnifico, caeſariſque ac ducum conſiliario valde inclito, Georgio VVolfgango VVedelio, ad fouendum reficiendumque maritum, duobus his annis debilem, mortique vicinum, nihil reliquum ſibi feciſſe, ab omnibus perhibetur. Iam enim ſeptingenteſimo, quintoque ac decimo ſupra milleſimum anno, ſtupor aliquis pedum; annique ſecuti februario, non memoriae tantum infirmitas, ſed nerui etiam fracti, ac externarum partium frigus, caloris pariter, humoriſque inſiti decrementa, imminentemque morboſi corporis ſiderationem, haud obſcure amplius minabantur. Qua de re, praeter fomenta reliqua, a VVedelio ante laudato ſubminiſtrata, thermarum etiam Teplicenſium vſus placebat. Hunc autem, & virium in itinere diminutio, & apoplexiae diſcrimen, prohibuerunt; reditumque ad ſuos ſuaſerunt. Ex quo tempore, aegra, & inclinata ſubinde in deterius, valetudine fuit; donec nocte ſaturni proxima, inter adſtantium preces ac gemitus, Vir ante complures

alios probus & candidus; poſtquam annos aetatis quinquaginta & octo, ac hebdomadas viginti & nouem confecerat; mortalitatem expleuit. Veſtrum eſt, ciues! in hodierni funeris pompa, officii vltimi ac frequentis ſignificatione, humanitatem pariter veſtram, & ampliſſimae in hac vrbe familiae honorem teſtari. P. P. ſub Acad. ſig. die XXI Aprilis, A. O. R. cIↃ IↃCCXVII.

XXIV

DE nobilisſimi Viri, ac inter legitimae diſciplinae doctores, decus haud vltimum conſecuti; proxime autem, cum dolore ſuorum ac deſiderio incredibili, rebus humanis exemti, VLRICI MARBACHII cognomento, quod a familia ſua clariſſima traxit, cogitantibus, imago quaedam riuorum, ante oculos nobis atque animos obuerſatur. Quos cum ex terra ſcaturientes, deorſumque fluentes, & a tellure haud infrequenter abſorptos, homines pii adſpiciunt; ſe ſimiliter ex gleba olim terreſtri originem habuiſſe; & ad hoc ſuum principium redituros: annosque interea ſuos ita decurrere, vt magis magisq; ad finem ferantur; ſa-

Digitized by Google

ſalutariter & mature expendunt. Sicut vero his meditamentis & curis, virtus beati ac religio ſatis ſuperque eluxit: ſic iſtius inſtinctu ac ope, animus eius ad coelum ſe magis, quam terram, conuertit; quandoquidem aquae riuorum, ad aetheris inſtar, coeruleae, ipſum huc inuitarent atque impellerent. De fluentis eiusmodi, quae, quod ex fontibus medicatis proſiliant, plurimorum vſui & ſaluti inſeruiunt, non ſermones duntaxat varii, verum etiam libri circumferuntur. Quibus opera & doctrina Marbachii; qua tot aliis profuit, & voce non minus, quam ſcriptis, ſe paratum & promtum exhibuit; comparari, quin & praeponi meretur. Quemadmodum porro augentur riuuli, ac ſe adeo magis expandunt, quando alias aquas inter fluendum recipiunt, ſibique adſciſcunt: ſic defuncti virtutes ac decora, per duarum coniugum, factis cum eo praeclaris certantium, laudes, amplificari, & quodammodo creſcere videbantur. Quarum altera, ad triſtiſſimam viduitatis nunc ſortem redacta, dum amorem mariti & curam, inter fletus ac gemitus infinitos, deſiderat; nos candorem beati ac fidem poſcimus: qua ab indole atque vitio illorum riuorum, qui

vt exterius clari ac limpidi, ita in fundo turbidi coenoſique apparent, ſe perpetuo ac longisſime ſeparabat. Glorientur Sinenſes, in riui ſe alicuius figura, eam literam admirari ac cernere, quae omnium rerum abundantiam, ſtatumque hominis laetum ac proſperum, lingua ſua deſignet. Maius vero atque auguſtius aliquid in praeſenti Marbachius; dum aeterno ac beatisſimo aeuo fruitur, nec rebus poſthac terrenis indiget, nec recreari iisdem, deſiderat; ex animi ſui ſententia experitur. Hac enim ſpe genitus noſter & educatus; inque vita & obitu, de quibus verborum aliquid, more veteri, faciemus, erectus eſt. Ortus ipſius, quem in munita & ampla admodum Argentoratenſium vrbe habuit, parentibus nobilisſimis, & virtute pariter ac exiſtimatione praeſtantibus, Vlrico Marbachio, iurisconſulto grauisſimo, bonorumque beneficiariorum & codicis iura, auctoritate hic publica, explananti, atque ceteros, huius non minus ordinis, quam capituli, quod Thomae ſanctisſimo dedicatum eſt, adſeſſores, aetate antecedenti; praeclarique exempli foeminae, Mariae Salomae Obrechtiae, diem tertium atque decimum martii, anno CIↃ IↃCLXXXVII, memorabilem, conſolationis-

niſque & gaudii plenum reddebat. Vtrorumque familiae, annis plusquam ducentis cognitae; tamque theologis, in religione purganda, & ad poſteros transferenda, enixe elaborantibus; quam iuſtitiae ſacerdotibus, remque ciuilem ac literariam illuſtrantibus viris, in prouinciis his inſignes fuerunt. Harum igitur cultus & fama vt ad beatum propagarentur; poſt coeleſtis auxilii ac beneficentiae teſſeram, in lauacro mox ſacro acceptam, domi pariter, ac in vrbis tam celebris athenaeo, ad egregia omnia excitatus; annoque aetatis decimo tertio, Magetrobiam miſſus; Gallorumque hic literis, ac philoſophorum praeceptis, probe excultus eſt. Primo deinde huius ſeculi anno, ſuis redditus; dieque aprilis tunc ſexto, in academiae album relatus; morum ac rerumpublicarum ſcientiam ab eloquentiſſimo Khunio; logicorumque ac metaphyſicorum ſancita ab accuratiſſimis eorundem interpretibus, Hartſchmidio atque Bartenſteinio; & graeci ſermonis artificia, a profeſſore ſimiliter ſolertiſſimo, Lederlino, clariſſimoque Hempelio; rerum denique naturalium & mathematicarum ſecreta, a nobiliſſimis viris, Hennigero atque Reicheltio, promte ac ſedulo imbibebat. Quanta e-

nim felicitate ac laude res eas geſſiſſet; diſſertatio eius pererudita & publica, collaudati antea Lederlini auſpicio, de Achillis clypeo inſtituta, ſatis ſuperque oſtendit. Inde ad iuſti ac aequi ſtudia ſe conuertit; ab antiſtitibus horum egregiis, Boeclero Felzioque adiutus; quin a parente etiam celeberrimo, tum in aliis, tum in certaminibus doctis, de teſtamento, quod a iuſtitiae ſacerdotibus feudale vocatur, diſputans, inter plurium acclamationes & vota, exercitatus. Quibus noſter theologorum inſignium, Zentgrauii atque Pfeffingeri, de hiſtoria, morumque ſapientia ſacra, praeceptiones; & excellentiſſimi Artopoei operas, ad geographorum hiſtoricorumque ſcientiam attinentes, bene admodum ac prudenter coniunxit. Sic rerum ſuarum rationibus in patria conſtitutis; anno cIɔ Iɔ cclx, menſe martio, Ienam migrauit: & iureconſultis hic ſolertiſſimis, VVilduogelio ac Schroetero, quorum ipſe ad pedes ſedebat; inque primis excellentiſſimo Struuio: qui conſiliarii aulici dignitatem a marchione Baruthinorum ſereniſſimo nuper obtinuit; inque clientelarum ac imperii iure, & pleriſque hiſtoriae partibus, ipſum inſtituit; quin imo de ſic dictis allodiis, ad Germa-

maniam noſtram ſpectantibus, deque aliis quatuor iuris publici, ab ſe editi, argumentis, ſtrenue diſputantem, ſuo clypeo texit; nihil vulgare aut exiguum de ingenio ſuo pollicebatur. Pii inſuper, Deoque deuoti animi documentum hoc fuit: quod percelebri, academiae huius theologo, Ioanni Franciſco Buddeo, vitae, ex Dei ſapientisſimi praeſcripto agendae, prudentiam, vatumque ſanctorum oracula accurate tradenti, adſidue, & familiariter perquam adfuerit. Cuius virtutis ac induſtriae laudem ſicut diu antea ſibi pepererat: ſic anno cIↄ Iↄ ccxii, a iureconſultis hic ſummis probatus; atque ob diſſertationem poſtea auſpicalem, die ſexto ac decimo iulii, de iis, quae Dei numini committuntur, illuſtris VVilduogelii ope, habitam, magis adhuc ab omnibus celebratus; digna ſe praemia, doctorisque inſignia conſecutus eſt. Ex quo tempore, tum doctrinis, conſulenti ſe iuuentuti traditis; tum exercitationibus publicis, vt decipientium iura, ſic veritatem, iudiciorum regulam, illuſtrantibus; tum libro in lucem emiſſo, quem introitum ad prudentiam iuris apertum inſcripſit, famam nomini ſuo haud paruam conciliauit. Quin & laudato ſuperius Struuio, in hiſtoriae

ſuae,

ſuae, quod vocat, ſyntagmate, Freherique opere adornando, operam diligentem ac dextram nauauit. Quibus ipſe conatibus, ſicut non male de athenaeo hoc merebatur: ita viciſſim loci iſtius amoenitas, perque omnem Europam celebritas, vsque eo alliciebant beatum; vt ſuarum hic rerum ſedem figere; nuptiarumque duarum ſollemnia: & prima quidem, die aprilis XXIII, anni CIↃ IↃCCXIII, cum oratoris ac theologi magni, & inter coelites nunc ouantis, Georgii Goezii, praeſtantiſſima filia; ſed vno poſt anno, die decima & quinta auguſti, haud longe a puerperio, intercepta, Regina Goezia; ſecunda vero cum virgine ornatiſſima, & a communis iudicii, quod ſcabinatus nomen accepit, & Halae Saxonum floret, adſeſſore, dum viueret, nobiliſſimo, publicorumque loci iſtius monumentorum cuſtode eximio, Auguſto Friderico VVernickio procreata, Suſanna Magdalena VVernickia, anno CIↃ IↃCCXIV, die XV auguſti, obire, minime dubitaret. Prioris matrimonii pignus, breui poſt matrem ereptus filiolus, Ioannes Vlricus; alterius autem, liberi duo ſuperſtites, Andreas Gotthelfus, & Sophia Maria, familiarum ſuarum decora, prout ſperamus, imitaturi

de

de poſtero, extiterunt. Porro vt cum laudatis coniugibus vixerit; vt parentes atque propinquos coluerit; vt doctoris periti ac ſeduli partes egerit; vt candoris & ſanctimoniae laudem ſeruauerit; haec atque ſimilia, ore apud nos omnium celebrantur. Et quo vita defuncti carior ac optatior; eo mors grauior & acerbior nobis habetur: qua Marbachium, inter medicamentorum ſalutarium vſum, meo iam prorectoris conſilio ac ope ſuſceptum, aeternitatis memorem; eiusque ſupremo viatico, ex maxime reuerendi VVeiſſenbornii manu refectum; & meditamentis ſanctisſimis, contra quascunque inferorum machinas confirmatum; quin & a ſumme venerando Zulichio, votis vltimis conſecratum; die viceſimo labentis auguſti, purpura rubra: quam inde a ſeptimo huius menſis, dolor capitis, pectorisque anguſtia, horrorque ac aeſtus, atque ciborum nauſea, praecedebant; affecit. Vos, carisſimi! Doctori tam pio, quam induſtrio ac ſolerti, officium vltimum, in hodierno funeris apparatu, propter virtutes mortui, ac necesſitudines, in hoc pariter atque Argentinenſium athenaeo, amplisſimas, ſponte etiam veſtra exhibebitis.

P. P.

Digitized by Google

P. P. ſub Acad. ſig. d. II Septembr. A. O. R. cIↄ Iↄccxvii.

XXV

VNo nuperius funere, Fratres duos extulimus: quorum perpetuam in hac vita copulam, neque morbus, nec fata ipſorum vltima diremerunt. Paucae iam abierunt hebdomades, quod vtrosque eorum, Ioannis Huſſi, teſtis diuini, hiſtoriam e ſuggeſto philoſophorum tuentes, audiuimus. Vbi dubium erat, vter alterum, ſicut alacritate & facundia, ita fortuna ac ſpe meliorum, praeſtaret. Flores quaſi hae erant deliciae: quas fructus mox iucundiſſimi ac vberrimi ſequerentur: qui in patriam, inque ſocietatem diuinam, ac rempublicam, cum ſingulari bonorum gaudio ac ſolatio, redundarent. Sed vt ſubitae ſunt ac inſperatae mortalium vices; optima iſta academiae pignora, & familiae ſuae praeſidia, triſte ac illaetabile triduum intercepit. Male ſit febri iſti malignae! quae, nullis adhuc remediis, ceu armis, vincenda, mortem inexpectatam ac moeſtam accelerauit Fratribus ornatisſimis: quos Farenbachium, in ditione Norimbergenſium ſitum,

ſitum, viuentes vidit primum atque excepit. Maior natu, VVILHELMVS SEYFRIEDIVS, philoſophiae magiſter clarisſimus, & poetarum apud nos lauru ornatus, anno CIↃ IↃCLXXIIX, die februarii quinto, in lucem prodierat; quum inſequenti poſt anno CIↃ IↃCLXXIX, die aprilis tertio, GABRIELIS SEYFRIEDII ortus exſpectationem parentum & gaudium duplicaret. Sed hi gemino nunc oppresſi moerore, cum deſperatione aliqua, extinctorum natales contemplarentur ac recolerent; niſi Dei filios, coelique heredes ſe genuiſſe, ſolatii inſtar haberent. Pater, plurimum reuerendus, M. Henricus Seyfriedius, in libera ac illuſtri Noribergenſium vrbe, tam in diui Aegidii templo, diaconi, quam in gymnaſio, profeſſoris munia ſuſtinens; materque eximia & piiſſima, Maria Martha Strauchia, educationi amborum & cultui enixe adeo ſtuduerunt; vt curae ipſorum ac ſolicitudini vix addi aliquid poſſe, videretur. Iſtorum igitur prouidentia, campus vtrisque amplisſimus, in Petrino, quod vocant, lyceo, aperiebatur: in quo praeclara eorum indoles, & inſatiabilis diſcendi cupido, decurrerent. Magna hic fuit opera viri egregii & amplisſimi, Andreae Vngelenckii, ad ſanctam Laurentii

aedem

aedem antiſtitis, & in gymnaſio profeſſoris pereruditi: qui ad ardua natum, VVilhelmi inprimis ingenium, omnibus modis fouendum excolendumque putauit: quemadmodum Gabrielem, praeter athenaeum laudatum, illa etiam ſchola, quae Deo ſpiritui dedicata eſt, alumnum excipiebat. Ceterum inter ambos Seyfriedios, per eadem tunc virtutum & artium ſtadia, ad altiora pergentes, iſtud intererat: quod prior diuino coetui ingenium capax, Deique colendi cupidum, deuoueret; alter igneo mentis impetu, ac inuſitato aetatis vigore, ornare aliquando rempublicam, niteretur. Anno cIↄ Iↄcxcvi, ſcripta recitataque, de nummo aliquo ebraeorum, oratione, VVilhelmus, cum bonorum omnium plauſu, ad ſalanam hanc noſtram, religionis & ſapientiae ſedem, dimittebatur. Vbi doctores pariter, & induſtriae ſuae praecones nactus eſt, virum inſignem, Georgium noſtrum Schubartum, iurisconſultum, hiſtoriarumq; & eloquentiae in hoc athenaeo ſtatorem, & rectorem nunc academiae deſignatum: per quem librorum, qui ſacrae potisſimum diſciplinae conducunt, notitiam acquirebat. Neque minus Io. Paulum Hebenſtreitium, theologiae doctorem, & concilii

cilii ſancti conſiliarium, rerumque moralium profeſſorem, bene de academica pube merentem, Baierique compendium, priuata & vtili opera, illuſtrantem; Ioannemque Andream Danzium, literarum graecarum & orientalium, clari iam pridem nominis amplificatorem, omnes fere linguarum ſuarum theſauros liberaliter exponentem, ſectatus eſt. Praeter iſtos, Ioannem Iacobum Mullerum, logicae profeſſorem excellentiſſimum, & tam morum ſcientiae, quam diſputatoriae artis ſecreta auditoribus ſuis pandentem; & Io Philippum Treunerum, doctoris theologi partes, & explanandae metaphyſicae munia, dextre admodum obeuntem, logicorumque ac phyſicorum tunc inſtituta tradentem, ſedulo auſcultauit. Quae praeterea ſumme reuerendus theologus, ac primarius in hoc prytaneo profeſſor, Fridemannus Bechmannus, quem & hoſpitem ipſe venerabatur, ad Auguſtanam religionis formulam, perſpicuitate & acumine ſibi proprio, commentatus eſt; ea ſimili modo in vſum ſuum conuertit. Eo autem feliciori rectiorique ſucceſſu, in his ſacris verſatus eſt; quod praemia ipſi ſubinde ac decora, calcar quaſi addiderint. Anno CIↃ IↃC XCVII, die XXIII februarii, ſub magnifico

viro, Georgio VVolfgango VVedelio, Schvvarzae praedii clientela conſpicuo, ac medicinae doctore, nec non comitis palatini, conſiliariique & archiatri, ac in ſalana hac profeſſoris officium adhuc ornante, poetarum lauream merebatur: quam paulo poſt, philoſophica, anno cIↄ Iↄcιιc die XXIIX aprilis, pulchriorem illuſtrioremque reddebat. Ad Gabrielem Seyfriedium, natu minorem, vt, tanquam ex diuerticulo, redeamus; is anno cIↄ Iↄcιιc, die VII februarii, in ciuium cooptatus eſt ordinem: quo deinceps, virtute ac diligentia, ſe dignum praeſtabat. Enimuero laudati iam profeſſores, Schubartus ac Hebenſtreitius, hiſtoriarum pariter & philoſophiae; quod ſummo noſter amore ac ſtudio perſequeretur has diuas; rudem ipſum haud patiebantur. Eiusdem poſtea anni die ſeptembris XVII, prout omnibus conſtat, de Ioanne is Huſſo diſſeruit; cum officio praeſidis frater VVilhelmus, prima tunc vice, perfungeretur: qui iam de ethica quoque pontificia, eruditorum examen poſcere, animum ſuum induxerat. Quae cum agerent; ſuperiore decembri, in fratris vtriusque exitium, febres malignae, tanto impetu conſpirarunt; & adhibitis licet a ſummo VVedelio noſtro medicamen-

mentis; natu maiori, die decembris xxvii; itemque minori, die XXX, inter ardentiſſimas circumſtantium preces, ſpiritum eliſerunt; vtrisque a venerabili & clariſſimo viro, M. Georgio Titio, diaconi apud nos partes ſedulo ac ſolerter implente, poſt expiata peccata, vltimo ac coeleſti epulo recreatis. Reſtant iuſta exequiarum; ſecunda hodie poſt mediem hora, receptis chriſtianorum ritibus, ad templum oppidi ducendarum. Quae vt beneuola ac frequenti praeſentia cohoneſtetis, o noſtri! commune humanitatis pietatisque officium a Vobis requirit. P. P. Domin. III poſt Epiph. A. cIɔ Iɔcic.

XXVI

BRuxillum philoſophum ferunt, cauſas potisſimum quatuor, cur ad obitum tam excitatus & promtus exiſteret? allegaſſe: quod nemo a ſe, in vitae totius curriculo, laeſus fuiſſet; quod triſtitiae & curae ingenti, Romanorum familias, ſuam ob mortem ſe trādituras, proſpiceret; quod omnem dediſſet operam, vt ſingularem & varium reipublicae vſum praeſtaret; & quod

cultum ſincerum & aſſiduum ſummo Numini tribuiſſet. Quae nos omnia, ſi in Virum clariſſimum, M. GEORGIVM LVDOVICVM RVCKERVM, cui praematurum ac inopinum hodie funus parandum eſt, conuenire dixerimus; nihil a vero aut recto nos alienum dicturos, confidimus. Tantum vtique abeſt, vt querelae de illo aliquae, in academia noſtra, aut patria, olim auditae ſint; vt potius ipſi; quoniam nullis, dum vixerit, male aut aegre fecerit; poſt mortem perpetuo bene eſſe, nunc omnes precentur. Eam inſuper ſtudiorum ſuorum is iniit rationem; vt magna deinceps commoda & ſolatia, ſi ſuperfuiſſet diutius, afferri ab ipſo reipublicae, orbique literario potuiſſent. Certe animum ille & philoſophorum ſcientiis, & orientis totius literis, ita excultum pariter & ſubactum habebat; vt pauciſſimi, qui in comparationem cum eo venirent, non dicemus, ex ſtudioſorum iuuenum, ſed magiſtrorum ex coetu, inuenirentur. Quod vero praecipuum erat; ſingulari admodum veneratione & cultu conditorem is ſuum proſequebatur. Cumque alii inutilibus, neque vllius pretii rebus, vigentem adhuc annorum partem impendant; ex parte contraria noſter, illo ſe tantum

fuiſſe

fuiſſe tempore, ac vixiſſe, cum citato antea Bruxillo exiſtimabat; quod Dei honori atque obſequio tribuiſſet. Vnde & id conſequitur, vt praematuro ac triſti ipſius obitu, boni omnes, & amplisſimi inprimis parentes, mirifice affligantur. Sed niſi nos fallunt omnia; inter beatos ac coelites ouantem Ruckerum, interpolatis nonnihil Bruxilli doctiſſimi verbis, ſic alloquentem ſuperſtites, ac ſolantem, audimus. Indignum eſt vobis, me iudice, chriſtiani! mea nunc morte, quam animo laeto & alacri ego oppetii, contriſtari; quia non mors, quam obii, optata & fauſta; ſed genus potius vitae, quod vos agitis, aerumnoſum ac miſerum, deplorari meretur. Ceterum quae exponi de noſtro atque laudari fuſius poſſent; ea breuibus, pro chartae, & temporis, nobis conceſſi, anguſtia, complectemur. Anno cIↃ IↃ CLXXXIII, die auguſti XIII, VVernizium Rotenburgicum, in Franconia, naſcentem ſuſcepit. Patre, plurimum reuerendo, Ioanne Michaele Ruckero, in vrbe imperii libera, cui VVindsheimio nomen eſt, ſacerdote primario, & per ſua hic merita commendato; matre Maria Sibylla Hambergeria, nulli mulierum, cultu ſexus, ſecunda. Auum paternum ſortitus eſt virum maxime venerabilem,

 Danie-

Danielem Ruckerum, magno illi Bernhardo, duci Saxoniae, a concionibus quondam aulicis, nec non ſacrorum, atque concilii, quod Briſaci de huiusmodi tunc negotiis habebatur, praeſidem ſpectatiſſimum; poſtea vero in Rotenburgenſium ciuitate, rerum ſanctarum praeſulem, ſua aetate haud vulgariter aeſtimatum. Eiusdem familiae auia Anna eſt Polypena, a Mulleris progenita, atque vidua in praeſenti Stellvvagia, dotium exquiſitarum matrona. Auus noſtro maternus obtigit, vir quondam egregius, Georgius Ludouicus Hambergerus, coetus Steyerbergenſis antiſtes, & VVaſſertrudingenſis capituli, in terris Onolsbacenſibus, ſenior: cuius poſt mortem relicta, pientiſſima coniux, ſicut Barbarae Coleriae nomen, ſic in patria famam haud paruam obtinuit. Ad noſtrum vt redeamus; poſtquam genitum eum parentes, chriſtianorum lauacro, pie atque ſollemniter inferendum curauerant; in educando deinceps eodem, atque optimis artibus inſtruendo, nec ſumtui vlli, nec operae pepercerunt. Atque in VVindesheimenſi inprimis gymnaſio, opportunam admodum noſtro occaſionem dederunt: qua ingenii ſui alacritatem, ſtudiique ardorem, tum praeceptoribus aliis, tum

tum praecellentiſſimo eius rectori, M. Ioanni Georgio Otthoni, ita probaret; vt condiſcipulis ſuis, & admirationi haud leui, & incitamento egregio eſſe ſoleret? Anno cIↃ IↃ CCI, laudatorum a nobis parentum auſpicio, ad noſtrum hoc diſciplinarum domicilium ſeſe contulit; in matheſeos apud nos profeſſoris celeberrimi, Georgii Alberti Hambergeri, ſui quippe auunculi, domum receptus. Huius igitur nutu atque conſilio, ſolertiſſimis vndiquaque ducibus vſus; maiori, quam dici vt poſſit, induſtria ſtudioque, in omne ſcientiarum & artium genus incubuit. Sicut igitur ſacras & Rabbinicas literas, a felici ac docto earum interprete, Ioanne Andrea Danzio; mathematicorumque ac phyſicorum inuenta, a laudato nunc Hambergero, praeclare & aſſidue docebatur: ſic ab ethicis atque metaphyſicis cultas ſcientias, vna cum theologorum ſancitis, a maxime reuerendo Ioanno Philippo Treunero; ampliorem que naturae notitiam, ab ordinario diſciplinae iſtius doctore, Ioanne Caſpare Poſnero; totius denique orbis hiſtorias a conſultiſſimo viro, D. Burcardo Gotthelfo Struuio, bibliothecae noſtrae praefecto dexterrimo, haud minori ſucceſſu, quam incitatione ani-

 mi,

mi, imbibebat. His propterea aliiſque conatibus, anno ſuperiori, ſummos ipſe in philoſophia honores promeruit: deditque hoc eius profectibus ſtudiiſque, ampliſſimus ſapientum ſenatus; vt primum beatus ac praecipuum inter magiſtros, qui tunc aderant, locum conſequeretur. Certare autem in noſtro, cum eruditione ac ſtudio, pietas ac modeſtia videbantur. Quibus ipſe tum Deum ſibi reddebat propitium; tum amorem in ſe bonorum omnium deriuabat. Nec ſine doloris acerbiſſimi ſenſu, vltima ac praepropera Ruckeri nunc fata attingimus. Inde a tenera ſtatim aetate, infirmioris pariter, & frigidioris paulo naturae indicia noſter prodebat; quamuis facies eius & color externus paulo aliud prae ſe ferrent; neque domi aliquis ipſum morbus afflixerit. In noſtra autem hac vrbe, plane alia rerum Ruckerianarum facies eſſe coepit; vt, qui ſemel ac iterum in ſubſidium vocabatur, academiae noſtrae Hippocrates, Georgius VVolffgangus VVedelius, iam ante biennium iſtud, corruptionem humorum aliquam, cum arthritide vaga, haud obſcuris in eius corpore ſignis, deprehenderet: quibus aliquid eryſipelati, vel herpeti potius ſimile, ſtatim acceſſit. Licet autem tot generoſis

re-

remediis, non leuatus tantum, ſed liberatus, initio] videretur; tamen tum ſtomachi valetudine, tum fluente propterea aluo, tuſſique moleſta, tum vomitu etiam, ac membrorum tumore, multis poſtea vicibus laborauit. Quae ſymptomata ipſe, perpetuis lucubrationibus atque laboribus, haud parum augebat. Licet vero haud vllum incommodi aut periculi genus, cui ſalutaris medici manus non obuiam iret, extiterit; manifeſta tamen atque inſignis viſcerum corruptela, aeſtusque occultus, ita tandem inualuerunt; vt omnes corpuſculi vires, cum ſpiritibus ipſis, exhaurirentur. Inde igitur a xxvito nuperioris ianuarii die, conclamatum penitus, de vita Ruckeri optimi, nobisque deſideratisſimi, videbatur. Ipſe interim tot morborum moleſtias, aequo pariter, ac in Dei miſericordisſimi voluntate vnice ac ſemper acquieſcente animo, ferre ſolebat: elapſoque nuperius iouis die, maxime reuerendum D. Michaelem Zulichium, conſiliarium atque praeſulem, qui ſibi a confeſſionibus erat, inuitari ad ſe curabat. Cuius ipſe ex manu, poſt exoratam errorum veniam, vltimum ac coeleſte viaticum ſumſit: moriendique alacritatem & conſtantiam, non philoſopho tantum, ſed chriſtiano

etiam dignam, probauit; donec ſeptima diei illius ac veſperae hora, inter proprias preces, & pia adſtantium vota, placidiſſimo obitu finiretur. Sicut autem exequiarum ſollemnia, in templo Paulino, finitis hodie poſt meridiem ſacris, celebrabuntur: ita veſtrum eſt, ciues! praeclariſſimo, ac ſingularis exempli commilitoni, ſupremum humanitatis & officii genus, ſedulo ac frequenter praeſtare. P.P. ſub Acad. ſig. Domin. Eſto mihi, A. cIↃ IↃccIv.

XXVII

AMamus equidem omnes, deſideramusque & colimus terram illam, quae naſcentes primum excepit & aluit: eleganterque Sophocles, in Antigona, cum nauigio eam contendit, quo ſaluo fractoque, incolumes eſſe, periclitarique cupiant, qui in ipſo vehantur. Neque tamen audiri ideo, nedum laudari merentur, qui vnam ſolummodo regionem, vrbemque aut pagum, patriae appellatione complexi; infelices ſe nimis ac miſeros ducunt, vbi haud in ſuorum amplexibus agere, diemque obire, contingit. Namque hac hominem lege, a ſapientiſſimo Numine in mundum ac lucem

cem productum, accepimus; vt, quemadmodum corpus terrae, ita anima coeli peculium, & tanquam portio quaedam exiſteret. Tam igitur longe lateque noſtra patria, quam coeli terraeque limites patent, dubio procul extenditur. Vnde rogatus apud Tullium Socrates: cuiatem ſe eſſe diceret? mundanum ſe eſſe, inquiebat; quoniam vniuerſi ſe mundi incolam ac ciuem haberet. Locutusque, vt fertur, cum Alexandro Macedonum, Crates Thebanus: ibi habere ſe patriam, ſtatuebat, vbi neque fortunae perfidiam, neque odii ac liuoris inſidias formidaret. Quod ſapientisſimi atque optimi viri effatum ad nullas res verius, quam quae ſunt ſupra nos poſitae, & ad ipſum adeo coelum, refertur. Ecquid porro aut notius chriſtianis, aut exoptatius eſſe poteſt, quam ſe arctisſimo omnes, ac fraternae cognationis vinculo contineri? Vt proinde in orbe piorum integro, nemo noſtrum abeſſe peregre, aut inter alienigenas vnquam verſari, cenſendus ſit. Quid? quod patriae noſtrae nunquam propius atque certius imminemus; quam vbi nos, haud ex ſolo natali tantum, ſed ex ipſo hoc vniuerſo diſcedimus. Vt enim nos terrae incolas, imo aduenas eſſe; ſic coeli pariter

ter ciues, Deique domeſticos atque filios ſalutari; ex oraculis ſanctis didicimus. Etſi igitur, de quo dicendum nunc venit, M. GEORGIVS THERMOENIVS, vir ingenio, doctrinaque ac dignitate clariſſimus, in remotis a Suecia ſua regionibus, ſub ſole quaſi alio, & vixiſſe adhuc, & mortuus eſſe videtur; inter ſuos is tamen, hoc eſt, religioni eidem deditos, Chriſtoque addictos, terrae hodie matri mandabitur. Multo minus Thermoenii anima extra ſedem & patriam ſuam delata eſt; quando patriae ea diuinae redditur, coeleſtique gloria aeternum donatur. A quibus ad pauca admodum illa, quae de vita defuncti ac obitu ad noſtram nunc peruenire notitiam potuere, vt accingamur; productus eſt ille in lucem, annum circiter cIↃIↃCLXXIII, in VVeſtermannia, quae Sueuoniae, ſiue Sueciae propriae eſt prouincia, inter Vplandiam ac Nericiam ſita; Olaum Thermoenium, atque Gritam Donaniam, parentes ſortitus. Quorum ſicut praecipua inter ſuos dignitas virtusque enituit: ita id poſtea eniſus eſt noſter, vt acceptam ab ipſis & maioribus laudem factis propriis tueretur. Quamobrem libenter & cupide, a primis ſtatim annorum initiis, per pie-

pietatis atque virtutum omnium orbem, perque diſciplinarum liberalium campum, perduci ſe paſſus eſt: eaque literarum, ac doctrinae ſcholaſticae fundamenta mox iecit; quibus maiora deinceps, in academia Vpſalienſi, ſuperſtrueret. Quanta ibi alacritate animi, quantoque ſucceſsu, in humanarum ac coeleſtium rerum ſcientias, per tot annorum curricula, incubuerit; tum aliunde apparet; tum ex teſtimoniis illis haud dubiis, hoc eſt publica auctoritate munitis, perſpicitur: quae non tantum ab athenaei Vpſalienſis proceribus; verum etiam a duobus collegiis ſanctis, ceu probitatis tunc ſuae ac ſolertiae praemia, reportauit. His enim profectus exquiſitisſimos, praeclaraſque animi dotes, ſic approbauit; vt de ſacri praeconis muniis, in Gallico coetu, qui Holmiae ſolet coire, ſuo tempore ſuſtinendis, directis ob id ad potentisſimum regem Suecorum, commendatitiis literis, laudaretur: & dignus ſimul pronunciaretur, qui ipſi a concionibus aulicis eſſe poſſet. Neque ita a ſummi auunculi ſui, capitulo VVeſteroſtenſi, in VVeſtmannlandiae terris, praepoſiti, cui Niels Donane eſt nomen, indole ac virtute degenerabat. Hac autem ſpe atque promisſione ornatus,

vt

vt maiorem in Gallicis atque aliis literis, cultum capeſſeret; praecipuas Galliae ac Europae prouincias peragrauit. Anno cIↄ Iↄ CC IV, nouam ille, nec vtilem minus peregrinationem, ex ſplendidiſſima Holmiae atque regia vrbe, in amplum illud & vaſtum Poloniae regnum, ſuſcepit. Hic inter exercitus regios aliquantisper verſatus, ea candoris & praeſtantiae ſuae documenta edebat; vt ſummum imperii huius moderatorem adire, ac venerari coram, hoſpiti tam polito ac docto licuerit. Inde ad noſtram Germaniam, vetus iſtud virtutum, atque artium haud fucatarum theatrum, ſe contulit: & ad Halenſe praeſertim, in Saxonia, prytaneum diuertit: vbi haud ſecus, quam Berolini antea, afflicti & fracti huc vsque corporis curae vacabat. Quae res cum aliquantum protraheretur; nouembri nouiſſimo, in hanc bonarum mentium officinam conceſſit: quo beatum, conſummatiſſimi, & exteris quoque laudati, medicae artis conſulti, Georgii VVolfgangi VVedelii fama pertraxit. Vtque animum ſuum non minus, quam corpus reficeret; orientis praecipue literis, excellentisſimo earum ſtatori, Io.

An-

Andreae Danzio, ſe vlterius excolendum perpoliendumque tradebat. Ceterum dicti VVedelii domicilium, haud ſecus ac ſacram Aeſculapii aedem, ea ſpe atque augurio, ipſe incoluit: ſi in arte quid leuamenti atq; auxilii eſſet; futurum omnino, vt tanti medici manu ac opera, cum deprauati ſanguinis morbo, phthiſique producta, quam menſibus abhinc nouem contraxerat, in gratiam aliquando rediret. Ac ille etiam ſalutaria, hoc eſt propria ſibi remedia, eo ipſi euentu exhibuit: vt & ſpiritum noſter facilius duceret; & ciborum nauſea iuxta ac tuſſi, haud obſcure iam leuaretur; nec niſi poſtremo ante beatum exceſſum triduo, domi ipſe detineretur. Hanc tamen viuendi conualeſcendique fiduciam, tam diuturnitas morbi, quam illa nuperioris frigoris inclementia; aduerſus quam aeger, ſe ſatis munire atque tueri, intermiſerat; nimium quantum comminuebant. His itaque rebus fiebat, vt & tuſſis beati amplius ingraueſceret; & ſiniſtra praecordia ſolito magis concruciarentur. Quorſum die VIII ianuarii, deliquium animi, pectoriſque anguſtia accedebant. Neque ergo, qui praeſens aderat, medicus, quae ſingularis eſt viri pietas ac religio, gra-

graue ac inſtans adeo vitae diſcrimen, clam amplius habendum, putabat: quippe quod, die ſaturni nupera, in ſupremum mortui caſum erupit. Inter haec noſter, & altius eleuabat animum; & venerando hoſpiti ſuo ac ciuibus bona omnia precabatur. Praecipue autem maxime reuerendi doctoris & antiſtitis, Michaelis Zulichii, deprecationes & vota cupide ac religioſe excepit; donec Thermoenius, quarta poſt meridiem hora, ſanctiſſimam animam; quam ante perpaucas hebdomadas, in vicina Halenſium vrbe, viatico ipſe diuino inſtruxerat; coelo reddebat. Ita vero in ſtudiorum praeſtantium meta, ipſoque honorum aditu, interceptus eſt noſter; qui inter aeternae ſalutis & gloriae candidatos iam cooptari debebat. Vos, cariſſimi! dum praeclari adeo ciuis exequias, hora poſt meridiem altera, ad diuam Ioannis Georgii aedem, hodie nobiſcum ducetis; virtutem non minus beati, quam memoriam colere, veſtrarum omnino partium ſtatuetis. P. P. ſub Acad. ſig. d. XIV Ian. A. O. R. CIƆ IƆCCV.

XXIIX

IVſta hodie vltima viro clariſſimo, nec parentibus ſolum optimis, ſed noſtrae inprimis academiae, quam non vnis ingenii dotibus, atque moribus honeſtis ornauit, vehementer lugendo, M. IOANNI IVSTO STEPHANI, in templo oppidano ſoluemus. Quo ipſo ad animum nobis omnibus reuocatur: ſicut aliis, quae viuendo quisque attingit, temporibus, ſic ineunte potiſſimum anno, de obitu & exequiis cogitandi, rationes grauiſſimas nobis conſtare. Nemini quippe eſt certum aut cognitum, quanta vitae ſint ſpatia, quae ſibi conficienda poſtmodum reſtent; & num annorum ſuorum terminus, ipſo illo, qui incipit, anno, diuinitus ſibi non conſtitutus ſit? Nec vituperanda proinde Iudaeorum eſt conſuetudo, qua in circumagentis ſe anni auſpicio, ad mare aut flumen coire, inclinatisque capitibus, ac deiectis aliquantisper oculis, piſces, in aqua natantes, adſpicere & obſeruare dicuntur. Hos eum in finem, ceu fama eſt, contemplantur ac notant: vt horae illius, quae ſuprema hominibus accidit, inopinatoque eosdem, haud ſecus ac piſces, certis retibus falli capique ſolitos, ſaepe opprimit, tanto cer-

 tius,

tius, atque, ob viuam imaginem, efficacius recordentur. Nos, redintegrata nunc menſium ac dierum ſerie, mortis ſimiliter noſtrae memoriam, pro eo ac par eſt, renouaturi; a beſtiarum natantium quidem captura diſcedimus; quamuis & hanc attendere, & ad obitus recordationem traducere, in ſanctis oraculis iubeamur; quando noſtrorum funera, velut magis ad excitandos nos apta, inque principio anni propoſita, circumſpicimus. Beatique praeſertim Stephani caſu mouemur, atque in hanc ſententiam trahimur: vt, quemadmodum ille fati ſupremi identidem meditandi, ſtudio incredibili tenebatur, & tanquam Magiſter ſapientiae, ſapientiſſimorum virorum ea in re exempla imitabatur: ita & nos, firmi penitus paratique ex vita diſcedere ſtudeamus. Ad defunctum quod eſt; Dei is ſempiterni beneficio, anno ciɔ Iɔc lxxxvi, die XV aprilis, in Marpurgenſi Haſſorum oppido, lucem adſpexit: & a parentibus perhoneſtis ac praeſtantiſſimis, Georgio Stephani, militiae oppidanae praefecto, & Anna Catharina Selzeria, ita eſt natus; vt, eorundem mox prouidentia, in fonte diuino renaſcetur: auo eius probiſſimo, Iuſto Stephani, ſub ſignis ciuium ſubcenturione, fide-

deiuſſoris officium obeunte. Adoleſcentis deinde animus, intra penates primum domeſticos, pietate pariter ac doctrina excultus; tum a lycei patrii praeceptoribus, erudiendi peritis, nauiter, eoque ſucceſſu perpolitus eſt; vt probitatis ac induſtriae argumentis, haud vulgarem interea gratiam ab ipſis iniret. Anno clↃ IↃCCIII, academiae Marpurgenſis tabulis, a temporis illius rectore, & ſanctioris ſcientiae profeſſore magnifico, Chriſtiano Miegio, de more inſcriptus; omnibus, ad quorum tunc pedes ſedebat, tam diſcendi ardorem, quam innocentiam ac virtutem probauit. Poſtquam vero Ienenſe hoc athenaeum, anno clↃ IↃCC Ix, die XVIII aprilis, ingresſus, & a conſummatisſimo iuris antiſtite, Ioanne Philippo Sleuogtio, academiae tunc clauum tenente, literatorum apud nos ciuitate donatus eſt; alacriori adhuc propoſito ſtudioque, ad bona ſe omnia excitauit. Enimuero amplisſimo ordini philoſophorum adſcripto, bonisque artibus claro, M. Chriſtiano Stockio duce, cum in orientis literis, tum in philoſophorum praeceptis, haud parum profecit. Sed & diuiniores ſcientias, a publicis atque ſummis earum doctoribus, Foertſchio ac Buddeo; copioſe-

ſeque ac recte loquendi ſapientiam a Poſnero amplisſimo docebatur. Inde, poſt diſſertationem doctisſimam, de naturalis theologiae indole concinnatam, moderante Stockio, habitam, ad ſummorum in philoſophia honorum faſtigium, iure ſuo procesſit. Sic in patriam redux, & ex ſacro ſuggeſto, non ſine coetus piisſimi plauſu, auditus, in ſacerdotii ſpem certisſimam veniebat. A qua tamen beatus, ſanguinis aeſtuantis profluuio; nullis remediis, quae medici docti ſubminiſtrabant, ſiſtendo; mox ita deiiciebatur: vt perturbatum ſic animum, at reipublicae tamen iuuandae cupidisſimum, vrgente necesſitatis maximae telo, ad iuſti ac aequi prudentiam applicaret. Huius itaq; inſtituti auctore grauisſimo, Ioanne Bernhardo Friſio, Poeſenam hereditariam posſidente, & aulae Iſennacenſis, ſanctiorisque ſenatus conſiliario, nec non iurium apud nos profeſſore ordinario, tamque ordinis ſui, quam iudicii academici atque aulici adſeſſore egregio, ita eſt vſus; vt eius etiam domicilium, inde ab anno proximo, habitaret. Neque hanc ſtudiorum mutationem, Deo auſpice, coeptam, ſucceſſuque inſigni ſe approbantem, fortuna benignior deſtitutura vnquam fuiſſet; ni-

ſi

ſi poſt ſubitum illum membrorum horrorem: quo beatus, inter publica ſacra, quibus peccata tunc noſtra expiabamus, perfuſus eſt: febris, quam vocant, petechialis, nullisque remediis depellenda, decembri nouiſſimo, ei ſuperueniſſet. Iſtius igitur menſis die XXII, horam circiter ſeptimam tunc veſperaſcente, animam, in rebus aeternis defixam, ac ſeruatoris ſanguine perpurgatam, conditori ſuo reddebat; non minoris inter mortales religionis, quam laboris ac modeſtiae laudem adeptus. Noſtra veſtraque intereſt, ciues! vt ſacra, quae reſtant, funebria, in templo vrbis primario, honoribus eius ſupremis decreta, frequentes nobiscum, & communis mortalium ſortis, praeſenti etiam anno, memores, obeatis. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. II poſt Epiphan. A. O. R. cIϽ IϽ CCXIV.

XXIX

TAnto grauior nobis, in Viri clariſſimi ac egregii, M. CAROLI FRIDERICI BVDDEI funere, complorandi atque lugendi ratio conſtat; quanto difficilius poſtea, iactura & damnum, patriae atque reipublicae datum,

reſarcietur. Tantoque impenſius, nomen eius hodie celebrari, atque poſteris tradi meretur; quanto is laudabiliori exemplo, non philoſophiae tantum, ſed diſciplinae etiam ſanctae praeſidiis, antequam fato vltimo fungeretur, pectus ſuum aduerſus obitum praemuniuit. Equidem Stoae antiquae philoſophos: qui, vt firmi penitus paratique excederent; nec bonitatis aliquid mortem, nec prauitatis habere, arbitrati ſunt; artemque ſe ipſos necandi, vt certisſimum libertatis atque ſalutis adminiculum, ſummis laudibus extulerunt: irridere beatus, atque merito caſtigare ſolebat. Nam cum dies ſuprema hanc vitam carisſimam, quae bonorum complurium fons & cauſa exiſtit, nobis eripiat; & animaduerſionis grauisſimae loco, hominibus, legem auctoritatemque diuinam violantibus, olim decreta ſit; nullum profecto eſt dubium, inter mala & infortunia illam triſtisſima locum ſortiri. Quamuis Dei & Chriſti beneficio tribuendum hoc ſit, quod mors, calamitoſa in ſe atque acerba, felicitatis ac laetitiae quoddam principium, rectae religionis cultoribus ac piis euadat. Paulo melius quidem ac tutius ſapientiae genus, ex Stoicis ipſis, ſectati

ſunt,

ſunt: qui, communi mortalitatis vinculo omnes teneri; magnaque, nec euitanda neceſsitate, fata haec duci: atque numinis nos vocantis decreto, velut imperatoris iuſſui, parendum venire: doloremque inanem & ſuperuacaneum eſſe; cum nil dolendo proficiatur: identidem reputantes; compoſito ad migrandum animo, obierunt, ſuorumque ſimiliter funera haud moleſte tuleruut. Quem in modum Horatius ille Puluillus, apud Liuium, cum in capitolio, Ioui maximo aedem pontifex dedicaret; interque verba ſollemnia, poſtem tenens: extinctum iam eſſe filium, comperiſſet; ne manum quidem a poſte remouit; ne dedicationem delubri interrumperet: quin cadauer efferri, ſine ploratu ac gemitu, imperauit. Atque Socrates, improba & iniuſta praetoris ſententia ad mortem damnatus; dum amicos & comites ſuos muliebriter flere, videbat: quid hoc rei eſt? inquiebat; annon cognitum exploratumque eſt vobis: me, ex quo genitus eram, a natura tunc ipſa, neci ac funeri deſtinatum fuiſſe? His & aliis ſapientum praeceptis, atque aduerſus obitum conſolationibus, vt abundare Buddeum, quouis doctrinae genere ornatisſimum, oportebat: ita optimas

& grauisſimas rationes, quibus ipſe ad moriendi alacritatem ſe moueri ac trahi eſt paſſus, ex oraculis diuinis petebat. Quorum ope, cum fata chriſtianornm ſuprema, non obitum magis, quam ſomnum, viamque & aditum ad vitae aeternae delicias eſſe: imo corpora quoque mortua aliquando ab inferis excitanda, gloriaeque coeleſtis radiis perfundenda venire: parique & aequo cum animabus felicibus iure in perpetuum gauiſura, cognoſceret; nihil minus, quam mortem ac tumulum, ſibi ac piis omnibus extimeſcendum putabat. Promtumque & firmum adeo moriendi conſilium, in ferali etiam lecto prodebat; vt cum Michaele VValthero, magno ſeculi praecedentis theologo, & hac laude praecipuo, cuius noſter doctrinas & ſcripta magnopere aeſtimabat, conſpirare quodammodo videretur. Ille enim, in mortis iam limine conſtitutus, ſolum ſibi hunc hoſtem reſtare, quem adgrederetur ac vinceret, inquiebat: & quam parum ſaeuitiam eius curaret ac metueret; verbis eiusmodi: quibus ſuum hunc aduerſarium prouocabat, virtutemque diuinam eius ſe telis & armis oppoſiturum, dicebat: audientibus ac mirantibus cunctis, qui aderant, teſtabatur. Paris, in-

inquam, conſtantiae atque fortitudinis documenta edidit noſter: earumque iam fructum, victoriam, morti inferisque ereptam, poſt obitum tulit: atque hoc ſuae praeſtantiae praemium a nobis depoſcit: vt, quemadmodum aliarum, quas non ſine applauſu tradidit, doctrinarum, ita artis pariter moriendi magiſter, in exequiis praedicetur. Ortum ipſius Anclamia, citerioris Pomeraniae vrbs, non mercatu tantum, ſed ingeniorum quoque prouentu nobilitata, anno cIↃ IↃ CXCI, laetis ſibi auſpiciis vindicabat. Pater, ſingulari doctrina, ac rerum diuiniorum peritia praeditus, & poſt obitum adhuc colendus, M. Franciſcus Buddeus, praeconis diuini, aliisque praepoſiti, partes, in memorato iam loco, annos plurimos praeclare impleuit. Mater, foemina ornatisſima, atque filii tam praeſtantis obitu vehementer afflicta, Dorothea Chriſtiania, a praefecturae Stolpenſium inſpectore amplisſimo, Friderico Chriſtiani, genita, & ſecundis iam votis, aerarii Anclamenſis diſpenſatori dexterrimo, Eraſmo Behmio nupta eſt. Omnem vero hi curam, quae parentibus cordatis ac piis congruit, intenderunt; vt ad pulcherrima doctrinarum atque virtutum decora formaretur

 be-

beatus; earumque magiſtros ac duces maximopere ſolertes nanciſceretur. Vbi praeclara inprimis & aſſidua opera viri doctiſſimi, M. Iacobi Schroederi, ſcholam patriam moderantis, extitit: noſtrique ſtudiis & conatibus tam feliciter ceſſit; vt annorum ſeptendecim iuuenis, Ienam dimitti, & ad magna omnia, quibus natus vtique erat, eo ex tempore erudiri atque parari potuerit. Nihil enim tunc prius aut antiquius habuit; quam vt & mathematicorum doctrinis, ab Hambergero beato fideliter inculcatis; & philoſophiae reliquae inſtitutis, a Magiſtro clarisſimo, & profeſſoris nunc munus, apud Bregenſes in Silefia, laudabiliter obeunte, cui Muſigii nomen eſt, explicatis; & linguarum ſacrarum adminiculis, ab excellentisſimo Ruſio abunde ſuppeditatis, animum ſuum ad arduae ac diuinae ſapientiae ſtudia excitaret. Haec autem ſub nemine rectius, quam ſub Fratre conſummatisſimo, clarumque inter theologos nomen adepto, Ioanne Franciſco Buddeo: cuius vt menſa & domicilio, ſic praeceptis ac monitis, potiſſimum vtebatur: coli hic poſſe credebat; & bono pariter ſuo, experiebatur. Sic enim effectum eſt, vt doctoris philoſophi gradum cum laude adſcenderet;

ac

ac de hominis, eruditionem ſolidam ſibi acquiſituri, officio diſputans, victoriae palmam referret; & ſcholas dehinc domeſticas ſucceſſu egregio aperiret. Paris vero induſtriae ac ſolertiae famam, in Lipſienſi poſtmodum athenaeo, quod anno CIƆ IƆCCXIV adiit; & diſſertatione non minus publica, qua librorum praeſtantium notas complectebatur, quam actorum literatorum acceſſionibus, atque lectionibus doctis ornabat; merito ſuo collegit: virorumque praeſertim inſignium, Olearii ac Menckenii; quando illius habitaculo, huius autem conuictu gaudebat; beneuolentiam ſibi conciliauit. Reuerſus inde ad nos, idem virtutis ac laudis propoſitum tenuit; vt, quemadmodum agri cultu, ita defuncti animus, diſputandi atque docendi exercitationibus, vires quotidie nouas colligeret, magisque ac magis effloreſceret. Dum igitur omnes, de eius ſtudiis & conatibus, multa atque egregia, reipublicae literariae & ſacrae pollicebantur; ſpe atque opinione citius noſter, in medio ſuae alacritatis ac diligentiae curſu, metam attigit; & ſalanam hanc noſtram cum coeleſti academia commutauit. Inde enim a luce auguſti altera, febris continua, ſeu quotidiana, valetudinem eius afflixit:

cui,

cui, viceſimo die, purpura rubra acceſſit, atque languidum corpus exhauſit. Vt proinde aegrotus, ſalutari & ſanctisſimo cibo iam ante refectus, & ad aeterna paratus, praeter celebratisſimi medici, Io. Adriani Sleuogtii ſpem atque opinionem, nudius quintus, inter adſtantium preces ac gemitus, & ſacerdotis praeſertim meritisſimi, qui ipſi a confeſſionibus fuerat, vota diuina, ſancte & placide exſpiraret. Ad Vos pertinet, noſtri! vt in exequiis hodie, ex Fratris venerabilis domo ducendis, partim clariſſimo ciui honorem ſupremum exhibeatis; partim familiae nobilisſimae, & ob Buddeum noſtrum colendae, officium pietatemque teſtemini. P. P. ſub. Acad. ſig. die XXIIX Auguſti, A. O. R. cIↃ IↃCCXVI.

XXX

INter ea exercitationum & artium genera, quae ornamentum corporibus, firmitatemque ac robur conciliant, gladiatoria quoque occurrit, ac ſuo hodie pretio deputatur. Receſſit nunc ea longisſime a priſcorum temporum ſuperſtitione ac truculentia; vbi, quo defuncto-

ctorum animae viuis beneuolae ac propitiae redderentur; ſerui atque tirones congredi, & pugnare inter ſe, iubebantur; vt, quibus fortuna ac virtus dediſſet, manerent ſuperſtites; alii vero puris manibus, ſuo ſanguine ac exitio, parentarent. Guius infandae conſuetudinis, a Graecis ad Romanos traductae, veſtigia, iam in Achillis atque Aeneae fabula, vt vates antiqui memorant, deprehendimus: quorum ille videlicet ad Patrocli; hic ad Pallantis ſepulchrum, inferias cum ludo mactauit. Porro conſulum Romanorum temporibus, primum nonnulli Iunium Brutum, cum ſuum parentem conderet, gladiatorum ſpectacula & ludos exhibuiſſe, affirmant; alii vero Appium Claudium, atque Marcum Fuluium, auctores inducunt. Neque in extinctorum duntaxat memoriam ac honorem; ſed in conuiuiis quoque, & recreandi interdum animi cauſa; quod Neronis praecipue ac Domitiani, laetius ita ſe epulari credentium, aeuo, non infrequens fuit; haec certamina edebantur. Sed quae ſummorum principum priuilegiis muniuntur hodie ac fouentur, gladiatorum palaeſtrae; non ad crudelitatem aut caedem; ſed ad ornandum confirmandumque, corporis habitum, comparantur.

Nam

Nam qui vſum earum ac pretium in duellis, & publice interdictis conflictibus ſtatuunt; illi inſanos & barbaros priſci temporis mores ex orco veluti reuocare putandi ſunt. In vrbe & academia noſtra, Kreusleri hucusque, inter exercitii huius magiſtros ac duces, emicuerunt: cunctis, vel eam ob rem, iucundi & cari; quod ſine vllius offenſione ac periculo agere, curae ſibi habuerint. Atque prodiit, anno cIↃ IↃC LXVI, die VI ſeptembris, ex ampla ac celebri hac familia, Vir eximius, & artis eiusdem callentiſſimus, VVILHELMVS KREVSLERVS: cui, nouiſſime ex viuis digreſſo, ſupremum iſtud humanitatis ac officii genus debetur. Pater obtigit ipſi, & fama, & Ducum ſummorum priuilegio clarus gladiatoriae artifex, Fridericus Kreuslerus: qui moeſtus & conturbatus hodie, praematurum Filii ſunus deducet. Mater, optima & caſtisſima femina, Anna Eliſabetha Meyeria, ante annos iam aliquot, de vita deceſſit. Paternae familiae auus, VVilhelmus Kreuslerus, olim pugilum apud nos artem pari ſtudio ac dexteritate profeſſus eſt. Tali igitur ortu conſpicuus, & ſalutari mox fonte initiatus Kreuslerus; augeſcente cum annis capacitate, partim in ſenatorio apud

pud nos ludo, partim domi, ab eruditis iuuenibus doctus, prima religionis, literarumque, aetati huic congruentium, elementa accepit; donec ipſe, ad Numburgenſe dimiſſus lyceum, triennio integro, a M. Ioannis Toepferi, rectoris clariſſimi, ore penderet. Hinc in academiam patriam redux, non pugilationi tantum, ſed eruditorum etiam ſtudiis ſeſe impendit. Philoſophiam proinde a celeberrimo viro, Io. Andrea Schmidio, vt ſalanam tunc noſtram, ita nunc almam Iuliam, vita pariter ac doctrinis ornante; iurisque ſimul ſcientiam a iureconſultis ac profeſſoribus excellentibus, Petro Mullero, & Adriano Beiero, longo antehac tempore, diſcendam putauit. Nihil ſic ipſi facilius erat, quam tantorum virorum auſpicio, ea iacere fundmenta; quibus maiora poſtea, in hoc & aliis athenaeis, ſuperſtrueret. Vicit tamen tenerrimus erga parentem dilectisſimum amor, & pietas, qua ad iuuandam ſubleuandamque viri optimi ſenectutem exſtimulabatur. Cuius idcirco diſcipulis, quadriennio iſto, gladiatorum exercitia, eo praeiuit ſucceſſu; vt etiam ipſe ſereniſſimi Ducis iam priuilegio, inſtar parentis & aui, in ſalana hac ornaretur. Ex quo

adeo

adeo probum & obſequentem, non laudato parenti tantum, ſed & nouercae cariſſimae, ſe exhibuit; vt nunc ambo praeproperum eius exceſſum, triſtem ſibi & peracerbum accidere, aſſeuerent. Duae ſunt retro lapſae hebdomades, quod alui profuſio, ſingultusque ac vomitus, & cum dorſi doloribus aeſtus, & purpura, quam medici rubram appellant, graues admodum noſtro fuerunt. Vtut vero mox medicamentis adhibitis, ſpes aliqua ſanitatis, patri iuxta & nato affulſerit; at vanam tamen atque fallacem hanc extitiſſe; dies ille, qui menſi auguſto pariter, defunctoque vltimus fuit, non ſine ingenti familiae moerore & cura, oſtendit. Quam haud parum leuabitis, ciues cariſſimi! ſi ad pulſum hodie aeris campani, magno numero exequias ire Kreuslero nunc mortuo, ſtatueritis; quem, dum viueret, partim magiſtrum, partim commilitonem iucundiſſimum habuiſtis. P. P. Domin. XV poſt. Trinit. cIↃIↃCCI.

XXXI

FOras exiit de ſua palaeſtra, & rude donatus eſt, veteranus ille ac nobilis gladiatorum magiſter, FRIDERICVS KREVSLERVS, victoriſque in coelo praemia reportauit: poſtquam lento atque difficili morbo ita eſt conflictatus; vt ſe intrepidum ac inuictum oſtenderit. Longe igitur anteponendus Tritanno apud Solinum, prodigioſi roboris homini: qui eos, quibuscum committeretur, feliciter, ac bene ſecuris congresſibus, ſuperabat. Et iam antea partes ſuas ſine fabula expleuit beatus: artemque apud nos ſuam, non crudelitatis ac lerociae inſtrumentum; ſed tuendi confirmandique corporis adminiculum eſſe, ratione pariter & exemplo probauit. Vnde plurimi ex diſciplina ipſius, remedium belli ac periculi petierunt: & quomodo in arena ſit capiendum conſilium? quidue aduerſarii vultus; quid manus; quid inclinatio corporis, intuentem admoneat? praeceptore eodem ac duce, annis his didicerunt. Talem tantumque artificem in Kreuslero amiſimus: cuius familia, longo admodum interuallo, florem perpetuum, radice altius acta, apud nos aluit; & ad alia etiam loca transmiſit.

 ſit.

ſit. Ortum is habuit, in Muſarum hac vrbe, anno cIↄ Iↄ cxxxII, die xiv ſeptembris, a parentibus honeſtiſſimis, Guilielmo Kreuslero, eiusdem gladiatoriae artis doctore percelebri, ſingularemque a Principibus immunitatem adepto; & ornatiſſimi moris foemina, Catharina, ſtirpis VVeinreichiae. Auum paternum nactus eſt conſultiſſimum virum, Guilielmum Kreuslerum, qui Hademariae, finibus Haſſorum innexae, praetoris Dehnerzenttenſis munus ſuſtinuit; nec minori in prouinciis iſtis virtute, quam fama, enituit. Materni generis auum, Lucam VVeiſchnerum, bibliothecae Ienenſi praefectum aliquando dediſſe; ſuamque in hoc officio, cum induſtriam, tum fidem probaſſe, meminimus. Ad beatum vt reuertamur; genitum ipſum parentes ab ea macula, quam velut hereditatem cernimus, in fonte ſanctisſimo depurgandum liberandumque curarunt; cum Gothofredus VVeinreichius, iurium candidatus; Caroluſque Guntherus Pingizerus; & nobiliſſimi in iure doctoris, Danneri, vitae ac tori ſocia, ſponſores adeſſent. Sicut igitur noſtro, coeleſtis prouidentiae ope, parentes probi ac prouidi; ſic praeceptores haudquaquam deteriores obtigerant: quibus in diſciplinam

tra-

traditus, ingenii ac induſtriae laude quotidie creuit: quin perrecturus etiam ad maiora fuiſſet; niſi conatus beati pulcherrimos, belli illius germanici, opes paternas exhaurientis, calamitas, fato quodam impediuiſſet: quo Kreusleri animus, literarum a ſtudiis, ad gladiaturam conuertebatur. Cuius artis exquiſitiſſimas atque varias rationes, eo noſter ſucceſſu addidicit; vt mox doceret easdem, inſignemque parenti operam in palaeſtra nauaret; ac deinde & gladiatoris periti, & obſequentis filii decus, illis ſedecem annis, acquireret. Ex ea igitur tempeſtate, vt ſuam ipſe familiam adminiſtrare eſt orſus: ita virginem pudiciſſimam, Annam Eliſabetham, Ioannis Meyeri, ſenatoris & mercatoris apud nos prudentiſſimi, filiam, ſeptem liberos exhinc enixam, anno cIↃ IↃ CLXII, die XIII octobris, ſibi adiunxit. Qua, anno cIↃ IↃ CLXX, die XXXI iulii, in ipſo tunc partu erepta; alterum ipſe coniugii foedus, anno cIↃ IↃ CLXXI, die XXI aprilis, cum notae virtutis ac pudicitiae virgine, Anna Sophia, Hieronymi Linsneri, mercatoris quondam eximii, ſobole, ineundum putauit. Quod tamen & ipſum, quinto poſt anno, die V martii, vxoris ſuauiſſimae fato & obitu, rumpebatur.

batur. Tum XXIIX auguſti, anni cIↄ Iↄ CLXXVI, Reginam, ornamentis virgineis florentiſſimam, Ioannisque Rebelli, in diui Othmari delubro, quod Numburgi habetur, redituum ſacrorum diſpenſatoris, filiam natu tertiam, ſibi deſpondit. Quae praeter filiolam vnam, tres peperit filios: quorum duo ſuperſtites, Ioannes Kreuslerus, iuſti ac aequi feliciſſimus cultor, & Fridericus Kreuslerus, ſpei optimae adoleſcens, quemadmodum anno cIↄ Iↄ CXCV, die VII februarii, matris cariſſimae; ita hodie patris deſideratiſſimi funus complorant. Neque praetereundum hic venit matrimonium vltimum: quod beatus cum virgine pientiſſima, Anna Catharina, conſultiſſimi viri, Caſparis Eliae Krumbhaarii, praefecturae Ruthenicae, quae Saalburgi eſt, adminiſtratoris diu & laudabiliter meriti, nata minore, XXIIdo nouembris, anno cIↄ Iↄ CCXIV, paciſcebatur. Quae caſto dehinc amore, officiisque vxoriis, ceu valentem iuxta & aegrum proſecuta eſt: ſic in praeſenti defunctum flebiliter nomine mariti adpellat. Licet autem inſignia commoda, diuinamque ac beatiſſimam ſortem, ac velut columnas, in quibus conquieſceret, in vxoribus quatuor inueniſſet beatus; quando tamen

ea-

Digitized by Google

earum, ceu diximus, tres; & nouem praeterea liberos; inque iſtis tres iamiam adultos, extulit; documento fuit & ipſe, quam vere matrimonium, onus & ſarcina, in pontificum iure dicatur. Sed neque in his, neque in aliis caſibus, indignum is aliquid chriſtiano admiſit; ſed Deum non minus, quam homines magnos ac celebres, ſibi conciliauit. Diſcipulis eius potiſſimum, vt vita iucunda, ita mors eius haud grata futura eſt: quam beato, praeter ingraueſcentem aetatem, apoplexia, prout medici cum graecis appellant, attulit: qua, biennio abhinc, oppreſſus, ex eo vsque tempore aeger decubuit. Et cum proſtratae penitus vires, ab expertae quantumlibet artis medico, reſtaurari non poſſent; ab humano deſertus auxilio, ad Deum ſe vertit: & a ſacrorum interpretibus praeparatus, tranquille ac pie ſeſe compoſuit. Die ſaturni nouisſimo, ad coelitum tandem palaeſtram digreſſus eſt: vbi aliud nullum, quam de augendo aeterni & maximi Dei honore, certamen ſuſcipitur. Vos, carisſimi! ad honorem ſupremum, praeſtantisſimo Seni, hora poſt meridiem altera, perſoluendum, virtutes ipſius & merita, nobis etiam haud

monentibus, inuitabunt. P. P. ſub Acad. ſig. D. XIV Aprilis A. clɔ Iɔ CC VII.

XXXII

COelum nouiſſime, libertatis perpetuae ſedem, celeri curſu petiit; verumque virtutis praemium conſecutus eſt, ſenex optimus, & ad iuuandam rem librariam pronus, IOANNES MEIERVS: cuius tranquillus oppido, beatusque exceſſus, Romanorum hanc conſuetudinem in mentem nobis reducit: qua viri aetate prouecti, membrisque iam debiles, pileati conſpiciebantur. Enimuero Nicephorus Gregoras, morem iſtum, cum imperio Romanorum, Byzantium commigraſſe, demonſtrat: vt, qui in aula degerent, ſenes, pileis turbinatis atque ſerico textis exornarentur. Ac vel ea de cauſa, homines ſenectute confecti, a communi alias more, capitis aperte gerendi, excepti a veteribus fuiſſe videntur; vt, tanquam imbecilles plerumque ac aegri, caput firmarent. Procul dubio autem, praeter vulgarem hunc vſum, myſteria, ſiue ſecreta aliqua, ſub ritu hoc veterum latuerunt. Et principio quidem pileus, ſanctimoniae olim ſignifica-

ficationem habebat. Qua de re ſacerdotes priſcorum, flamines, quaſi pileamines, a pileorum geſtatione, dicti creduntur. Deinde idem hic ritus libertatis indicium habebatur. Quis enim ignorat, homines libertate donatos, pileum quondam, ceu ſeruitutis reiectae documentum ac pignus, obtinuiſſe? Vtrumque autem interpretationis hoc genus ſenibus conuenit: vt ſanctitatis cuiusdam opinione praeſtantibus: ita vacationem ab officio, communique onere ac moleſtia, merito ſuo requirentibus. Iam ad Meierum vt tranſeamus; ille, ob vitae morumque ſanctimoniam, inſtar alicuius Eliae, opinione noſtra celerius ad coelum translatus; & a quibusque malorum vinculis perpetuo liberatus eſt. Pileatum proinde, imo potius coronatum hunc ſenem, prout viuum impenſe amauimus: ſic ſupremis honoribus proſequemur beatum, inque exemplum aliis proponemus. Vitae huius is iniit limen, annum circiter cIↄ Iↄ cxxxIIx: in libera olim Magdeburgenſium vrbe, a parentibus optimis, ac virtute eximiis, Gunthero Meiero, & Catharina Ebelingia, zytho coquendo, & mercatura honeſta, rem facientibus, turbulento hoc tempore procreatus; & ſolenni

lenni mox cerimonia, chriſtianorum ſacris initiatus. Ex hoc tempore, parentum vtrique, rectam ac ſedulam filii educationem laudi merito ſibi duxerunt: & emendatis moribus, ac doctrinis liberalibus praeparatum, anno CIↃ IↃCLIIX, cum ſtudiorum moderatore ac duce, Ioanne Michaele Delpontio, in Ienenſe hoc athenaeum miſerunt; bonis literis, atque ſtudiis ſanctioribus, coetus aliquando diuini commodo, imbuendum. Verum aliter longe, arcana Numinis prouidentia, Meieri res ordinabat: quippe cui ſatius videbatur, vt candor hominis ſingularis, ac prae ceteris eius virtutibus a cunctis laudatus, in mercatura libraria, tanquam in publico quodam theatro, ſeſe oſtenderet, ac Dei datoris gloriam illuſtraret. Excitabatur primum ad hoc propoſiti genus a bibliopola eximio & perito, Andrea Hartmanno; cum anno CIↃ IↃCLX, de parentum conſilio, Vittebergam concederet. Vbi poſito annorum ſex tirocinio; & impetrata a magiſtro ſuo ac hero perhonorifica misſione; anno CIↃ IↃCLXVI, Francofurtum ad Moenum ſe contulit: inque communi hoc Germanorum emporio, Thomae Goezio, bibliopolae clarisſimo, fidam iuxta & vtilem operam aliquantisper naua-

nauauit. Poſtea Ienam ab eodem transmiſſus; & rei librariae, quam apud nos poſſidebat, adminiſtrandae praefectus; atque ciuium academicorum tunc albo inſertus eſt. Equidem conſtitutum Meierus habuerat, Batauos aeque ac Gallos adire, & exterorum adeo officinas perquirere. Poſtquam vero & fidem, & ſtudium Goezio, vsque eo probauerat; vt is filiam ſuam, emendatisſimi moris virginem, Mariam Rachelem, anno cIↃ IↃ CLXX, die XXII auguſti, ipſi in matrimonium daret; mutato Meierus animo, ſedem in academia noſtrâ figere, atque propriam ſibi hic officinam inſtruere, conſultum putauit. Sed vtrisque parentibus orbus; anno cIↃ IↃ CLXXI, Magdeburgum repetere cogebatur. Quo ſimul deducta vitae ac tori ſocia, quum anno cIↃ IↃ CLXXII, natu maioris filii, Ioannis Thomae Meieri partu laetisſimo ipſum bea, non multo poſt, anno cIↃ IↃ CLXXIII, die XIX februarii, amantisſimum ſui maritum, praematuro obitu, in moerorem & luctum coniecit. Qui tanto erat grauior & acerbior; quod peregre tunc abeſſet Meierus, & in vrbe Francofurtenſi haereret. Ex quo enim Goezius ſocer anno cIↃ IↃCLXXII ex viuis diſceſſerat; de magiſtratus ſententia,

 omnes

omnes curae in noſtrum reiiciebantur: eo ſucceſſu; vt ſeptem interuallo annorum, plurima ac egregia eius merita in heredes extarent. Interea natus quoque beati vnicus, Magdeburgi relictus, anno aetatis altero, qui praecedentis ſeculi quintus & ſeptuageſimus erat, in coelum recipiebatur; nouamque lugendi neceſſitatem patri tunc afflictisſimo afferebat. Qui octo annorum viduus adhuc extiterat; quum anno cIↃ IↃCLXXI, huic minuendo dolori, dulce exquiſitumque remedium, in praeſtantis exempli virgine, Dorothea Margaretha, eximii quondam, ac prae aliis eruditi theologi, D. Erneſti Backii, ſacerdotis in vrbe Magdeburgenſi primarii, & in ſanctiore ibidem collegio adſeſſoris, ac ſcholaſticae rei moderatoris grauisſimi, &, antequam rebus humanis valediceret, ſenioris, filia, inueniret. Hanc igitur, anno cIↃ IↃCLXXXII, conſuetis cerimoniis domum ducebat: duorum poſtea filiorum, filiarumque trium, ex ſuaui caſtoque hoc matrimonio, matrem futuram. Inter hos, filiae duae ſuperſtites, familiae ſuae decora ac laudes tuentur. Et natu quidem grandior, Iuliana Margaretha, foemina ornatisſima, anno cIↃ IↃCCV, menſe nouembri, cum conſultisſimo viro, Ioanne Adolpho

pho Furſtenauio, iuris doctore, ac ciuitatis Ienenſis conſule, ad reipublicae iam clauum ſedente, & multis laudibus digno, ſocietatis ſanctisſimae foedus pacta eſt. Altera, Ioanna Sibylla, cunctis pariter ornamentis virgineis eﬄoreſcit. Cum his iuxta & coniuge, ita apud nos vixit Meierus; vt partam vbique, tam pietatis ac innocentiae, quam modeſtiae & manſuetudinis laudem, neque fraudibus vllis ac technis, nec iniquis librorum pretiis, neque moribus diſſolutis, detereret. Propter quas aliasque virtutes, quibus is nullo tempore ſibi diſſimilis erat, ſicut vita illius omnibus cara, ita mors luctuoſa contingit. Nam die XXX ianuarii, forti apoplexia proſtratus, diebus vix tribus elapſis, Simeonis in modum, cum ſaturni diluculum fieret, ſancte & placite abdormiuit; poſtquam a verbi diuini praeconibus, & adſtantibus aliis excitatus, plena religionis ac fiduciae ſigna ediderat. Officii veſtri intereſt, ciues! vt Senis optimi funus, ſecunda a meridie efferendum, libenti hodie prolixoque animo celebretis.

P. P. ſub Acad. ſig. die VI Febr.
A. O. R. CIↃ IↃCCIX.

ELOQVENTIAE ACADEMICAE
ARGVMENTA
SEXTI ORDINIS

HOC EST

ORATIONES
ALLOCVTIONESQVE

AC EIVSDEM GENERIS

SCRIPTIONES.

[illegible]

Digitized by Google

I

INter fatalia, ac fere quotidiana, heroum ducumque funera, & totius adhuc Europae exequias; ille, poſt homines natos clementiſſimus ac religioſiſſimus Princeps, diuus BERNHARDVS, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Montium, Angariae & Gueſtphaliae Dux, nuncium modo principatui ſuo remiſit: & ad maioris atque coeleſtis Principis dignitatem euectus; arcem illam, quam plurimis ipſe, ac prope regiis ſumtibus, in vrbe Meininga exſtruxerat, cum Dei ac beatarum mentium domicilio commutauit. Quo erepto, alii ornamentum familiae & Saxoniae deflent; alii fulcrum religionis, ac innocentiae portum requirunt; alii, interire amores humani generis; alii alia, quae diuerſis diuerſa communis ſuggerit luctus, certatim & grauiter conqueruntur. Neque ciues ſolum ac exteros tangit is moeror; ſed hoc ipſum virtutis & ſapientiae templum percellit: vt iam parietes

rietes eius ac roſtra impoſitum ſibi vulnus teſtentur: eodemque nunc funere, tota ſibi haec academia, cum ſuo efferri Nutricio, videatur. In Scipionis Africani exceſſu, Metellus Macedonicus: concurrite! triſti voce aiebat, concurrite ciues! moenia vrbis veſtrae euerſa ſunt! Quanta eſt? auditores! quanta, inquam, eſt plaga, quam in Scipionis iſtius Saxonici morte ſentimus & querimur? Equidem huius ſalanae ſubruta aut euerſa moenia eſſe, tam diu vereor dicere; quoad ea VVilhelmi alicuius Erneſti, & Ioannis VVilhelmi praeſidio munietur: & quoad Erneſti inſuper Ludouici, Fridericique virtus efficiet, ne Bernhardi mortalitas aeternitatem huius lycei extinguere atque tollere cenſeatur. Solet tamen arcana Numinis prouidentia, ſicut in rebuspublicis, ita in academiis, decreſcendi non raro initia a magnorum Principum fine facere, & hoc veluti ſigno denunciare. Quod deprecari nos omen, & optimorum Principum beneficia, ſicut agnoſcere, ita magni facere & admirari debemus; ne, ſi aliter fiat, in bonitatem diuinam, ſua his terris munera per Principes diſpenſantem, parum pii gratique exiſtere iudicemur. Fruſtra quippe de magiſtratibus ſummis cogitat, qui ipſum

ipſum in magiſtratibus Deum non veneratur & laudat. Quod raro ac egregio nuper exemplo, a Bernhardo probatum eſt: quem qui adſpiciebant coram, actionesque ipſius&mores admirabantur; illi non hominem magis, quam Deum aliquem, humana inter mortales ſpecie ambulantem, intueri ſibi & colere videbantur. Iſtius enim perſonam, non maieſtate & honore tantum, in terris his ſuſtinebat; ſed diuinis praeſertim conſiliis & factis repraeſentabat: eamque viuendi inter homines rationem inibat; vt ſanctisſimo Numini, cuius ipſe officium ſuſtinebat, arctiori ſubinde religionis ac fidei vinculo iungeretur. Inde enim, haud abnuentibus vobis, exordiar, auditores! eumque, in hoc dicendi negotio, modum ſeruabo; quem ſeruaturus fuiſſem, ſi ipſe adhuc beatus, mortali indutus corpore, inter nos verſaretur: ac ea itaque ſola verbis breuibus in defuncto extollam; quibus, in rerum humanarum ordine, ſolis veram praeſtantiam atque gloriam tribuebat. Qui profanorum more vixerunt; hi profanorum etiam ritu laudentur. Ego vero non niſi coeleſtia ac diuina, in eo commemoranda Principe, duco; cuius animus, ſagittae & flammae in modum, ſubuolans, ad coe-

lum tendebat: & cuius tam ſancta, tamque laudabilis vita, ſcalam illam, Iacobo oſtenſam, imitabatur, quae ad diuinitatis ipſius, felicitatisque perpetuae arcem ducebat. Cum enim tam principatus, in prouinciis ſuis obtenti, originem, quam omnem omnino naturam, exiſtere ac pendere a Deo, intelligeret; ideo cunctas, & cogitationes, & curas, in noſcendo intimius, & colendo humilius Deo, defixas habebat. Hinc felicitatem imperii, hinc maieſtatis reuerentiam, hinc reliqua vitae emolumenta ac decora, tanquam a fonte, ſine quo cuncta exareſcerent, deriuabat. Et in his principis chriſtiani officiis, nemo principum, vel ardore animi, vel inſtituti ac vitae conſtantia, vel apparatu ſubſidiorum & copia, iure ei anteferetur. Paremque hic ipſi Dauidem, aut Salomonem fuiſſe, ſtatuerem; niſi hallucinationes illorum ac vitia, a noſtri perfectione & innocentia aliquantum recederent. Neque minus cum Conſtantino caeſare, qui magni antehac appellationem ſortitus eſt, eum conferrem; niſi ſanctiora in ipſo, principatus ac vitae initia eluxiſſent. Melius forte & aptius, ex glorioſa Saxonum gente, Ioannes aliquis Conſtans, & Ioannes Fridericus magnanimus, cum na-

nationis eiusdem Principe in comparationem venirent; niſi aequius videretur, Erneſtum re ac nomine pium, atque omnium ceterorum virtutes ac decora ſanctitate ſua complexum, huius ſimilitudinis laude, propter merita eius, ornare. Ab hoc enim parente, ſicut ſanguinem, totamque adeo indolem trahebat beatus: ſic eiusdem cum ipſo virtutis, atque ſimilis, in tuenda religione, conſtantiae principatum tenebat. Ac certaſſe in hoc pulcherrimo, & inter mortales beatiſſimo ſtadio, cum Erneſto Bernhardum, filium cum parente, quis iudicauerit; qui inſtituta amborum & facta vnum in locum contulerit, atque aequauerit. Et ſacra quidem Erneſtus, cupide, & cum voluptate obibat: ac venerabile perquam habebat ſacerdotum officium: & ne euileſcere iſtud, aut ſperni, contingeret; de doctrina illorum ac moribus, cum res poſceret, crebro ſciſcitabatur. Quae parentis veſtigia vt perſequeretur Bernhardus ac premeret; non patentes ſolum concionibus aures praebebat; ſed praeterea, ſi quae cognitu magis digna, aut ſolatii plena occurrerent; ea in pugillares & chartas coniiciebat: catenam nimirum auream atque pretioſiſſimam, ex verbi diuini oraculis, tanquam ex annulis, contexturus;

rus; qua cum illorum auctore & fonte ſuam animam copularet. His tamen & aliis, Deum haud ſatis religioſe ſe veneraturum, putabat; niſi ex animo, & quanto fieri poſſet, ſtudio, Dei in orbe legatos ac vicarios obſeruaret. An vero ſe dignos iidem hoc titulo ac honore praeberent; & num in diſciplinam eorum ac vitam, tanquam in ſpeculum, intueri coetus ſanctior poſſet; id vel ipſe inſpiciebat cordatisſimus principum; vel adhibito aliorum miniſterio & conſilio, inquirebat. Vt ad Erneſtum reuertar; hic in fundendis ad Deum Chriſtumque precibus, horas plurimas conſumebat: quin procumbentem in genua, & adorantem ſe pingi, in felicitatis praecipuae parte habebat. Excepiſſe igitur ex parentis ſanctisſimi ore Bernhardum, ipſum etiam precatoris nomine celebratum, tot ardentisſima vota atque ſuſpiria, dixeris: quibus ſuam is & ſuorum ſalutem Deo auſpici commendabat. In quibus plus opis atque praeſidii, cum domeſticis ciues, & Saxones collocarunt; quam in principum & gubernatorum ſuorum precationibus pagani ponebant: quorum ſubſidio, & aſtrorum clementiam, & prouentus agrorum, & totius felicitatem imperii tribuebant.

Nam-

Namque Principis noſtri exemplo longe certius clariusque patebat: quomodo in piorum moderatorum gratiam, magna, & rara ſaepius, Dei aeterni beneficia, in familias ac respublicas effundantur. Quemadmodum porro Erneſtus, ita poſt eum Bernhardus, in ſuo ſubinde palatio & conclaui, ſacras literas tanta religione tractabat; vt incredibilem inde myſteriorum coeleſtium ſuauitatem fructumque ſentiret. Omnem propemodum fidem excedit, noui foederis codicem, trium interuallo annorum, quater ac decies legi, & legendo abſolui ſolitum a beato fuiſſe. Magisque adhuc, viuentes ac poſteri obſtupeſcent: cum euolutos interpretes, adhibitaque Martini Lutheri & Ioannis Arndii ſcripta; & quousque in diuinorum oraculorum arcana & adyta ardor olim ſanctorum penetrauerit; ad Ebraei ac Graeci ſermonis regulam aeſtimatum, inueſtigatumque eius ſtudio eſſe, percipient. Has, inquam, ingenioſi cuiusdam, nec vulgariter docti theologi partes, a tali heroe ac principe occupatas fuiſſe; propter inuſitatum & ſalutare, tam imperantibus, quam ſubiectis, exemplum, merito vniuerſi ſuſpiciunt. De hoc nimirum theſauro, ad patris re-

ligioſisſimi inſtar, Bernhardus, omnia ea, quae profutura publice eſſent, non depromebat ſolum in praeſens; ſed in futurum etiam reponebat. Longe igitur meliori auſpicio, imperandi is ſapientiam, & ſanctioris prudentiae regulas, ope diuina, ex agitatis a Deo vatibus hauriebat; quam vel Cretenſium Minos, vel Aegyptiorum Oſiris, a Ioue aliquo, in reipublicae decus, nutriti ac inſtituti, hiſtoricorum fallacium fide feruntur. Documentoque beatus, eiusdem fortunae dignitatisque heroibus erit: quantam vim, doctrinarum coeleſtium ſtudia, quantumque momentum in eo habeant Duce: cui nec naturae felicitas, nec proauorum exempla, neque alia rerum magnarum adminicula, ſuo tempore defuerunt. Equidem ſi praecepta & artes aliquid ad regendos populos valent; nulla vel nominari doctrina, vel excogitari ſcientia poteſt; quae non apparatum inſignem, partim in patris glorioſisſimi aula, partim in ſcholis & academiis acquiſitum, circa Bernhardi ſolium, ceu donaria quaedam in templo, ſuſpenderit. Si praecipuum porro ciuilis prudentiae inſtrumentum, in peregrinationibus, exterorumque adſpectu ponitur; & Belgium noſter ſemel ac iterum adiit; & ad Heluetios ac Sabaudos

dos excurrit: totque alias regiones & vrbes luſtrauit; quas olim Saxoniae principes, virtutum ac rerum geſtarum gloria impleuiſſent. Si vſus denique rerum, ac multorum annorum peritia, in Duce perfecto requiritur; inde ab adoleſcentia ſtatim Bernhardus, virorum doctorum conciliis, ac deliberationibus publicis, a ſummo parente adhibitus; in principalis ſolertiae virtutisque theatrum, illis iam annis producebatur. Et cum ipſe deinceps patris patriae, ac moderatoris exceIſi ſolium occupaſſet; quot propemodum dies & horas regnauit; tot edendis inuſitatae cuiusdam ſapientiae ſpeciminibus, occaſiones & cauſas habebat. Quicquid tamen eſt ſalutaris conſilii; & quicquid, in toto regimine, ex reipublicae vſu ac voto procedit; illud ab omnium rerum ſciente ac prouido Numine, tanquam a fonte, emanat. Hinc magis praeclara, & vtilia ad imperium inſtituta, ab illo ſperari atque oriri principe poterant: quem gubernator principum, Deus, ſua imbuerat ſapientia; ſuisque in ſcriptura oraculis erudiuerat. Ex his itaque noſter in rebus incertis remedia, in repentinis conſilia, in aduerſis ſolatia depromebat; & quaecunque occurrerent dubia ac pericula, in promtu

 ha-

habebat. Iam auctoritatem & famam, his atque ſimilibus factis, ſine ambitu acquiſitam, admiraturos; cogitare nobiscum, ac perpendere oportebit: qualem quantumq; cenſeri oporteat principem, qui Deo praecipue vſus magiſtro, praeſtantisſimos ciuium, ad amorem pariter ſui cultumq; inuitet; peſſimos vero ab odio ſui ac metu deterreat; fallacisſimos denique, ſine fraudibus ac inſidiis, ſibi deuinciat? Talem vero tantumque, poſt pii Erneſti tempora, ſe approbauit Bernhardus: ambo Dei aeterni legibus & oraculis innutriti; ambo opificis ſummi imagine, & plusquam humanis dotibus ac virtutibus exornati. Qui reginam vrbium, Romam deſcribunt; illi in ceteris huius aedibus, monumentisque publicis, ſacram quandam palatii ſedem commemorant, raris & exquiſitis cerimonis dedicatam; vt ex ipſo hoc ritu, imperantis religio, & ſacroſancta in terris maieſtas, omnibus appareret. Iam quicunque mortalium, vel ſuperioribus annis Erneſti; vel aetate hac noſtra, Bernhardi habitaculum aulamque ingreſſi ſunt; hi ex primo intuitu, aedificium iſtud, non niſi a pio & ſancto aliquo principe, & ab ipſis, vt ita loquamur, virtutum geniis habitari, haud praeter rem collegerunt. Poſtquam enim palatio,

latio iſti beatus, in aeternam cariſſimae coniugis, Eliſabethae Eleonorae memoriam, Eliſabethani nomen indiderat; hoc intendebat vnice ac vouebat; vt ſuum in eo tentorium Deus figeret: in quo praeſentem ſe ſiſteret, ac veluti conquieſceret. Ita igitur in eodem ſe geſſit Bernhardus; vt animo ipſe, & cogitatione perenni, in quodam diuinitatis conſortio verſaretur. Quali autem ſe modo religioſiſſimus Princeps; tali Principis nati & natae ſe comparauerunt: quorum octo ſuperſtites, ſuae veluti pietatis & ſanctimoniae alis euectos, inſtar aquilae, ad ſupremum iuſtitiae ſolem ducebat. Idem domini ſui exemplum, miniſtri, ſummi iuxta & infimi, ſequebantur: cumque aulici homines, vanitate plerumque, & quiduis dicendi faciendique licentia, ab aliis diſtinguantur; ita ſuos inſtituebat, & inſtitui curabat Bernhardus; ut nulla re magis, quam moderatione inſigni, & probatiſſimis moribus, a mortalium vulgo dignoſcerentur. Quid enim non egit laudatiſſimus Principum? quo virtutum ſuarum ſplendore etiam alii, & familiares potiſſimum ſui ac ciues, illuſtrarentur. Ne igitur ſubiectorum aliqui a ſanctimoniae ſuae exemplo ac norma recederent; cultum praecipue Dei

 publi-

publicum, certis formulis, librisque in eam rem editis, ordinabat. Cumque perpetuum ipſe ſeueritatis & gratiae, aequitatisque & iuſtitiae temperamentum ſeruaret; idem a ciuibus, in pactis atque commerciis, fieri, ſanciebat. Quam continentem ſe porro Bernhardus caſtumque probabat; tam memorabilia ipſe, aduerſus ebrietatis vitium, amoresque impuros, exempla conſtituebat. Pari modo ad beneficentiae commiſerationisque officia vt homines ſibi creditos inuitaret; ipſe publicum egenorum atque orborum hoſpitium erigebat: & quo vſurae, & auaritiae mala haud inoleſcerent, omni cura aduigilabat. Ne de ceteris, veſtiariis nempe ac ſumtuariis legibus, quas vitae liberioris incommodis luxuique opponi, moderatiſſimus Ducum iubebat, iam plura commemoremus. Vocat nos enim ad ſe, praeſtantiſſimus ille, in patriam, Romanumque imperium, animus: cuius rara oppido documenta & pignora, beatiſſimus Princeps, omnibus, qui vel viuunt hoc tempore, vel victuri ſunt vnquam, exhibuit. Vt proinde Germaniam, ſuamque in ea Saxoniam, pacatam deinceps, & omni bonorum genere affluentem videret; quae ille non agitanda hucusque conſilia? quos non exhauriendos labo-

res?

res? quae non pericula & incommoda ſubeunda, putauit? Inter cetera tamen, erga commune & noſtrum imperium, beneficia, immortale inprimis, & omnium admiratione dignisſimum, inque faſtis iam celebratum, eſt illud: quod turbulento hoc ſeculo, excitatisque hinc inde bellorum incendiis; eum, quem ſemper in deliciis habuit, virtutum non minus, quam prouinciarum ſuarum heredem exoptatisſimum, libertati Germaniae & ſaluti deuouit. Illum, inquam, Erneſtum Ludouicum: cuius ſolius nos nomine & adſpectu, in Parentis deſideratisſimi morte erigimur: & in quo ſummum academiae huius praeſidium & ſolatium collocamus: tanquam ſpectatum iam antea, & fortisſimum ducem, cum exercitu miſit: nec iuuentutem ipſius, nec vitam, in periculum praeſens exponere dubitauit; ne intentatum aliquid, aut infectum relinqueret, quod ad tranquillitatem patriae, proſperitatemque ac florem imperii pertineret. Quae enim Erneſti; cuius vis atque alacritas, in antecedentis ſeculi bello, & in praelio Lipſienſi praeſertim exſplendeſcebat; laus propria ac perpetua fuit: vt incolumitati Germaniae, ſuam atque ſuorum ſalutem poſtponeret: hac vsque eo praeſtabat defunctus; vt nato-

rum

rum ex ſe, imo proprium, ſi vſus ſic ferret, ſpiritum, Deo & patria dederet ac voueret. Ex his vero & aliis patet: quanta eorum ſit magnitudo & copia, quibus Bernhardi praeſtantia exiſtimationem & famam Erneſti aequiparauerit! Quam beatus in eo etiam aſſecutus eſt: quod ſummo dicata Numini aedificia, partim a vetuſtate ac interitu vindicauit; partim ab inchoato exſtruxit, ac ſollemniter conſecrauit. In quibus egregium illud & auguſtisſimum templum eminet, prope ipſius Principis arcem, multis ſumtibus excitatum. In quo omnibus ſeculis, picturarum non magis & ornatuum pulchritudo, quam fundatoris Bernhardi ſanctimonia virtusque fulgebit. Recte etiam ac prudenter beatus, ad patris Erneſti exemplum, verbi cultusque diuini domiciliis, reipublicae illa coetusque ſanctisſimi ſeminaria, quae ſcholas & academias dicimus, aequare ſolebat: qui religionis ac felicitatis perpetuae theſauros & neruos in his etiam ipſis reponi, ſibi & aliis perſuadebat. Neque igitur ſatis putabat: conſtituta, vel aucta a prioribus, lycea tueri, ſancitisque ac legibus emendare; quin praepoſitos illis magiſtros beneficiis atque praemiis excitare. Sed nouum nuperius athenaeum, dignis religi-

Digitized by

ligione & prudentia ſua conſiliis, intra oppidum Meiningenſe inſtituit: tropaeumque hoc nouum contra barbariem impietatemque erexit: cuius vel ſolo adſpectu, ad ſimilia iſtis ſtudia, ſuos ipſe heredes ac poſteros excitaret. Iam erga Ienenſem academiam: quam ſanctisſimi conditoris virtute & ſanguine dedicatam; quam inter difficultates innumeras, ac extrema pericula, a maioribus conſeruatam; quam a piisſimo quoque Erneſto, vt inſtrumentum & cauſam proſperitatis publicae aeſtimatam fuiſſe, meminerat: qualem, quaeſo, Bernhardus, tam moderatorem, quam patrem, ſeſe exhibuit? Nutritor idem academiae, & dignitatis academicae auctor; emendator idem diſciplinarum, & conſeruator. Quicquid enim, annorum aliquot interuallis, athenaeo huic noſtro decoris ac praeſidii obtigit; id omne defuncti beneficiis atque meritis continetur. Ipſe, vt dignitati academicae ſuus vigor conſtaret; vt cathedrae profeſſoribus, auditoria ſtudiis, leges publicae diſciplina florerent; hoc eſt, vt eſſet academia; benignitate prolixa, & prudentia ac ſolicitudine ſumma aduigilauit. Non refricabo nunc vulnera: quae, neſcio, quod iratius & acerbius fatum, annis proximis,

pry-

prytaneo Ienenſi inflixerat. Iam enim is admoueri atque inſtare terminus videbatur; qui ſalanam hanc noſtram, ad ſummum felicitatis ac gloriae culmen prouectam, infauſta & ſubita rerum conuerſione, adfligeret. Ad quas tollendas difficultates, multis quaſi Atlantibus ac Herculibus opus erat: in quorum vt primis, ſic praecipuis, Bernhardum fuiſſe, nemo ciuium aut peregrinorum ignorat. Animaduertitis, auditores! pauca admodum mihi ex plurimis ſeligengenda fuiſſe: quibus conſummatiſſimum Nutritoris academici, ac Principis pii exemplum, non tam oratione hac mea delineatum, quam diui Erneſti atque Bernhardi meritis declaratum, ipſi concipere, ac perpendere intra animos veſtros, queatis. Namque omnia, tum ob infirmitatem virium, tum ob temporis, ad praeparandum me dati, anguſtiam, a me celebrari non poſſe; hoc minus mirandum eſt; quod exprimendis exaggerandisque vnius Bernhardi laudibus, nulla in oratoribus vniuerſis dicendi copia, nulla temporis aut induſtriae longitudo, ſufficere videantur. Fallentur autem magnopere, qui pro vltimo pietatis academicae, erga ſummum ac perfectiſſimum Principem, monumento, hunc

actum

actum habebunt. Namq; primum hoc ſaltem initium illius honoris & officii fuit: quod olim a ſucceſſoribus noſtris ac poſteris, omni tempore, & ad omnem aetatem, praeſtabitur. Nulla redibit huic athenaeo ſollemnitas; nulla oratio atque concio, in collegio iſthoc ac templo habebitur; quam pii iſtius Bernhardi nemoria non ſanctiorem deinceps venerabilioremque efficiet. Quoad ſua inuſitatis virtutibus admiratio; quoad religionis literarumque ſtatoribus ſuus inter nos honor conſtabit; tam diu aeterna felicitate apud coelites florens Bernhardus, in orbe quoque terrarum, ſempiternae ac ſummae inter mortales gloriae ſplendorem ſeruabit.

DIXI.

II

EO igitur, Dei irati conſilio, noſtraque adeo culpa & malitia, res noſtrae prolapſae ſunt! vt exulcerata haec tempora, & contagiis, bellis, rapinis, incendiis, ſceleribusque infamia, ſummorum etiam regum ac principum fatis triſtibus & exequiis, velut cumulo quodam, exaſperarentur! vtque inter ceteros duces

ces ac reges, ſereniſſima Princeps, atque principum velut regina, diua Dorothea Maria, iuſta iſthaec ſuprema, ah ſuprema! a nobis depoſceret! Omnium enim moerore ac luctu proſequenda eſt heroina: quae, dum inter mortales ageret, amor omnium ac deliciae habebatur. Et cuius plures virtutes, plura in genus humanum beneficia extiterunt; illa, merito ſuo, plures requirit exequias, & plus ſimplici vice doletur. Sicut igitur in republica Meiningenſi, cum ſeculi noſtri Achille fortiſſimo, Domino Erneſto Ludouico, ſummae ac laudatiſſimae coniugis iactura afflicto, omnis hodie ordo, ſexusque omnis ac aetas, ſignificationem luctus publici edit; cumque hac Dorothea Maria, ipſa velut Meininga effertur: ita ex veſtris pariter vultibus atque oculis, auditores! pullatisque ac lugubribus veſtibus, aegrimoniae haud disſimilis ſenſum perſpicio: illiusque imaginem temporis intueri videor mihi: quo, ante ſeptennium iſtud, diui illius Bernhardi; quem religioſum quam maxime, ſibiq; ſimillimum ſocerum, beata colebat; ex mortalium tunc coetu digreſſi, obitum & exequias, veſtra non minus auctoritate, Patres conſcripti! verbis funebribus proſequebar. De Romanorum veterum

con-

conſuetudine, ſicut cognatis & parentibus, ſic hominibus bene meritis, ac inter ceteros eminentibus, honor hic vltimus habebatur; iſtorumque religio ac praeſtantia in exemplum aliis laudabatur. Nemini ergo melioribus atque iuſtioribus titulis, quam diuae Dorotheae Mariae, iuſta funebria perſoluentur. Quae cum tot praeſtantisſimos principes, patres patriae olim futuros, in lucem ediderit; nec non ciuium ac bonorum omnium matrem ſe geſſerit; poſt mortem etiam, matris atque parentis nomine, coli meretur. Neque aliquid aut diuina ipſius familia, a magno Vittekindo deducta, illuſtrius; aut virtutibus atque meritis, in ſublimius adhuc faſtigium eam euehentibus, & pasſim terrarum ac gentium celebratis, memorabilius, & omnium admiratione dignius, dici poteſt. Sapienter etiam hoc virtutis & optimarum artium domicilium, heroinae huius virtutibus, tantaque origine dignis artibus memorandis, ac in funere praedicandis, electum eſt. Et cuius ſanctisſimum atque innocentisſimum pectus, ſempiterni Numinis habitaculum atque delubrum extitit; vbi potius, quam in hac religioſisſima Dei aede, & ab ipſis beatae maioribus huius

cultui conſecrata, honoribus nunc ſupremis ornabitur? Quando igitur omnes, tantae Principi, quam coluerunt viuentem, hoc pietatis & luctus officium exhibent; agite, patres academiae! agite, ciues & hoſpites! & nos eamus exequias, quibus nullas antehac iuſtiores iuimus, aut in poſterum ſumus ituri! Cumque corpus Principis, mauſoleo iam ſuo illatum, oculis noſtris amplius vſurpare non liceat; virtutes ipſius ac dotes rarisſimas, quae in corpore iſto ſedem fixerunt, noſtris mentibus admiremur! Quamuis nec formae omnino externae, inter praecipua pulchritudinis in hoc ſexu exempla, ſeros ad poſteros memorandae, imago, animis adhuc noſtris effluxerit. Nunquam enim, aut venuſtatis illius in ore; aut ſerenitatis in fronte; aut hilaritatis in oculis; aut dignitatis, in tota ſtatura & corpore elucentis, obliuiſci poterimus; niſi omnis nos maieſtatis ac elegantiae obliuiſci velimus. Credoque, Germanos veteres, ſuorum principum magnitudinem ex forma & habitu corporum aeſtimantes; ſi vel maxime ignorasſent, ſereniſſimi eam Friderici, ac ſerenisſimae Magdalenae Sibyllae progeniem eſſe; inque arcis Gothanae palatio, tot heroum ac

ac principum maximorum theatro, ſuperioris ſeculi quarto ac ſeptuageſimo anno, calendis februarii, ſpiritum vitalem hauſiſſe; & ex ſummorum principum, electorumque ac regum, & imperatorum familia, rebus domi ac militiae geſtis, tropaeisque ac imaginibus, nulli familiarum cedente, originem ſuam duxiſſe; at ſolo tamen adſpectu, maximam atque eminentisſimam Principem agnituros, & admiraturos fuiſſe. Eum vero in finem, illuſtre ac pulchrum adeo diuerſorium, pulchrioribus longe atque illuſtrioribus Dorotheae Mariae virtutibus, metata erat natura; vt illa animi ſummi atque diuini exaggeratio tanto clarius lumen diffunderet; ac totius Europae principibus, frequenter admodum eam conuenientibus, tanto maioris affectus ac beneuolentiae cauſam praeberet. Tam enim formoſa erat & grata; vt pro Dea aliqua, coelo demiſſa, ab omnibus haberetur. Tantaque erat virtute, & amabilioris adhuc animi excellentia; vt veram iſtius Principis dignitatem, in his potius, quam in ornamentis externis, aut inſignibus verti, peregrini non minus, quam ciues, agnoſcerent. Omnes quippe in vniuerſum virtutes in hac heroina ineſſe oportuit;

quae radicem virtutum omnium, pietatem, tum a Ioanne conſtante, & Ioanne Friderico magnanimo, electoribus; tum ab auo inprimis Erneſto, pii cognomen in annalibus cunctis promerito, ad ſe demiſſam, atque animo ſuo inſitam, posſidebat; & raro admodum inter foeminas illuſtres exemplo, in aetate iam ineunte ac tenerrima, oſtendebat. Vix annum ea octauum attigerat; cum ſeruatoris iam ſui amorem, poſitamque in ipſo fiduciam, illuſtri adeo argumento proderet haec puella; quod ipſi etiam ſenes admirarentur: idemque hoc dictum, quod pro concione iam funebri explicatum eſt, ad idem penitus inſtitutum eligeret, atque lineis rubris ſignaret: quo omnes de poſtero caſus calamitatesque, Dei filii, qui omni ſe aeuo amaſſet, beneficio, certo ſe ſuperaturam; & nec vitae mortisque periculis, nec angelorum, ſuperiorumque conatibus; nec vllis aliis rebus; nec temporibus vllis aut locis; a miſericordisſimi Numinis, ac redemtoris amore, auocari ſe poſſe atque auelli; magno non minus animo, quam pio, profitebatur. O religioſam & ſanctam te principem! neque Pauli ſolum piisſimi; ſed ipſius Mariae, matris diuinae, aemulam! imo iſta feliciorem!

Illa

Illa vtero ſeruatorem geſtabat; tu animo & amore conſtanti, Deum iuxta & Chriſtum complectebaris! Tu ad mortem beatam, antequam morereris, te praeparans; beata ante obitum eſſe, contra laudatam vulgo Solonis Athenienſis ſententiam, in ipſa iam pueritia didiciſti! Ex eo autem tempore, conditori haec ſuo plane dedita Princeps, religionis ſtudio, atque Dei colendi ardore, magis magisque inflammata eſt. Vt diſcere ab hac Dorothea Maria, errorumque ſuorum conuinci potuerint: qui cum Machiauelli principe, pietatem, Deique iuſtisſimi metum, vana nomina eſſe, pronunciant; ad fallendum duntaxat populum comparata; ſed a principum aulis ac mentibus longisſime aliena. Ex aduerſo beata, nullam non veritatis ac ſalutis doctrinam, tum ſuo ipſius impetu, tum theologorum, atque ſcriptorum inſignium hortatu ac ope, ita imbibit, ita perueſtigauit; vt errores etiam, veritati oppoſitos, ſtatim detegeret: & quantopere iſtos refugeret; ſicut vultu ac geſtibus, ita verbis aliquando apertis profiteretur. Cuius rei inſigne ac luculentisſimum ſpecimen, quarto euntis ſeculi anno, in Bildhuſae coenobio dabat; vbi auditis ac viſis Romanienſium ſuper-

 ſtitioni-

ſtitionibus ac ineptiis; mirari ſe ſatis non poſſe, inquiebat: Lutheranorum aliquos, in clara adeo doctrinarum ſalutarium luce verſatos, ad caecorum eiusmodi atque inſulſorum hominum caſtra tranſire. Neque minus in ſua ipſius religione, omne vitium ſedulo & prudenter cauebat: duosque inprimis ſcopulos, tam frequentes, quam noxios, euitabat: quorum alterum ſuperſtitionem; alterum ſimulationem ac fraudem vocamus. Ad primum quod attinet; dantur quoque in aulis homines nimis creduli, rerumque vanarum ac imbecillium metu affecti: quaſi illae aliquid mali ac monſtri portenderent. Quemadmodum Romanorum aliqui, illis, qui aut felem aliquam transcurrentem, aut occurrentem araneam, aut graculos, ſedem ſuam ac domicilium deſerentes, vidiſſent; fata illico infelicia & acerba denunciabant. Huiusmodi fere omina & prodigia capiebant: qui annis abhinc quatuor, noſtrae Principi; fauſtum atque foecundum vterum tunc gerenti; & illuſtrem hanc ſarcinam, in Coburgico caſtro, quod praecipue in deliciis ſuis habebat, deponere cupienti; etiam atque etiam diſſuadere id conabantur; hac videlicet ratione allata: quia haec ducum & principum ſedes, ducentis

tis his annis, & amplius, nullius principis partu ſe commendaſſet. Verum foemina iſta, viris iuxta & foeminis, tam certo ac temere ſibi id perſuadentibus, longe rectius atque religioſius iudicabat: locorum iſthaec diſcrimina, nullam in puerperiis, a coeleſtis prouidentiae nutu pendentibus, vtilitatem aut noxam afferre. Ac ne dubii quicquam relinqueretur; primum in arce hac principem, Dominum Erneſtum Ludouicum, ex ſuo, & vniuerſae Saxoniae voto, auguſto menſe enixa; hoc, quicquid erat commenti, ipſo opere, euentuque proſperrimo confutabat. Ita enim Dei ter optimi atque ſapientiſſimi numen ordinauerat: vt eiusdem Principis ope, quae tanta religione Deum coleret, hae ac ſimiles ſuperſtitionis aulicae ſtirpes eiicerentur. Praecipuum vero Principis noſtrae in vita negotium, & in morte ſolatium erat: quod nullum, vel Deo, vel hominibus, in religione fucum faceret; neque eam, Phariſaeorum veterum ac recentium more, externis ſolum actibus; neque rebus inanibus aut ſuperuacaneis; neq; hominum ſaltem opinione aut gloria metiretur. Atq; haud vna eam in rem, ex Henrici Mulleri & Ioannis Arndii ſcriptis, Deique ipſius oraculis,

 di-

dicta notauerat; inque vſum poſtea ſuum, ac leuamentum doloris atque ſolicitudinis, conuertebat. Merito autem beatisſima Princeps, tum coeleſtis gratiae, tum adoptionis diuinae, tum ſalutis ſuae ac ſpei certisſimae argumenta ex eo ducebat: quod fictam & falſam ſanctimoniae ſpeciem nullo tempore praebuiſſet; neq; aut iniquitatis occultae, aut ſimulationis apertae ſupplicia meruiſſet. Meminerunt adhuc, qui propius eam nouerunt, ciuibusque ac exteris narrant: quoties ſereniſſima Dorothea Maria in genua procubuerit? quoties ipſa in voces diuinas & claras eruperit? quibus & gratias Deo immortali ageret: quod nauem is ſuam, a ſuperſtitioſorum ac fucatorum naufragio liberaſſet; & Ieſu diuinisſimi nomen, non doloſis aut fictis, ſed veris atque coeleſtibus literis, ſuo animo, ſicut olim Ignatii cordi, inſcriptum, ſignificaſſet. Adeo omnes beata numeros ſanctae fidei ac vitae impleuit! adeo nulla in eius actionibus labes; nulla in religione deceptio; nullum in pietate vitium notabatur! Quoad igitur immortalis haec Princeps in coetu mortalium commorata eſt; gynaeceum ipſius, religionis ſincerae, ſanctitatisque domicilium erat: vbi ad principum principem,

cipem ardentisſimae preces, cantusque dulcisſimi, ſummo mane, ac ſera pariter nocte, quemadmodum in Miriamae cuiusdam, aut Mariae ſacrario, fundebatur. Quoties autem ſuauiſſimus atq; glorioſisſimus coniux, ſummi imperatoris literis, diuinoq; impetu excitatus, ad ducendos exercitus, auertendasque Germaniae clades, peregre aberat: toties non horae duntaxat aliquae; ſed dies iuxta & noctes, in celebratione ſacrorum, & obſecrationibus neceſſariis, pro marito & patria inſtitutis, conſumebantur. Vt, quemadmodum ille armis fortisſimis; ſic beata precationibus ſeriis, pro Germaniae ſalute pugnaret. Si quid vacaret temporis; id non Mileſiiis nugis, aut Feſcenninis fabulis & carminibus; ſed ſalutarium & ſacrorum librorum; ac diuini praeſertim codicis: quem illa, vt imperator Theodoſius, vbique ſecum circumferebat, ac perpetuo conſulebat: lectioni attentae ac piae impendebatur; quandoquidem periiſſe penitus dies illas ac horas, arbitraretur beata; quas Deo, & cultui eius diuino haud conſecraſſet. Nullae hic, vt in aliis aulis, ac priuatarum etiam aedibus, luſiones; nullae hic voluptatum atq; iocorum deliciae; ac ne innocentisſimae quidem ſaltationes: quas

ipſa, ex peritorum artificum legibus, olim tractatas atque excultas, voto ſe aliquo eiuraſſe, fingebat. Eſtne aliqua, in toto mulierum, tam plebeiarum, quam illuſtrium, coetu, quae in cogitationibus curisque diuinis, tanto ſtudio, tantaque conſtantia occupetur? Eſtne inter Veſtales & ſacras pontificis virgines, quae a vanis & ludicris actionibus, tota adeo mente, totaque vita abhorreat? Chriſti equidem mater, Maria, a naeuis ac vitiis prorſus libera, & ex mulieribus omnibus ſancta fuiſſe, a ſuperſtitioſis Franciſci fratribus affirmatur; quod tamen ipſum a contraria ſecta Dominicanorum refellitur. De ſereniſſima autem Dorothea Maria illud forte quis praedicauerit; quod de coniuge ſua, Maria, Britannorum regina, Guilielmus rex praedicaſſe commemoratur: ſi ſtatuere vnquam, aut credere potuiſſet, naſci hominem poſſe ſine labe peccati; ſe de iſta Maria id crediturum atque dicturum fuiſſe. Neque eſt, auditores honoratiſſimi! cur, celebrata atque euicta Principis noſtrae ſanctimonia; virtutes ipſius reliquas, aeque longis ambagibus celebrari atque euinci, iam poſtuletis; cum, quemadmodum ſol omnes lucis diurnae radios; ita pietas omnes virtu-

tes

tes doteſque egregias gignat, ſuoque complexu ac ſinu contineat. Quis enim felicius turbulentos atque rebelles animi motus comprimat, vitiorumque impetus frangat; quam qui fidei ſanctae beneficio, Deique, haec omnia operantis, gratia & auxilio adiuuatur? Aut quid aliud eſſe chriſtianorum virtutes, dicemus, quam obſequium, Deo atque oraculis Dei praeſtandum? in quo ipſius ratio pietatis conſiſtit. Neque igitur admiramur amplius altum adeo atque excelſum huius Principis animum: quo res aduerſas pariter & ſecundas, diuino nixa praeſidio, moderate ferebat. Neque ſummam in ciues atque egenos beneficentiam: qua Dorotheam, ſeu diuinorum munerum adminiſtram, ſe exhibebat; & pauperibus, vitae hic tolerandae praeſidia, ac veſtimenta praebebat. Neque incredibilem in tanta fortuna, modeſtiam: qua non minus, quam dignitate, ducibus propria, multos, inferioris etiam loci homines, honoribus ſaepe elatos, longiſſimo poſt ſe interuallo reliquit. Neque incomparabilem illam, tam in maritum egregium, quam in liberos ſereniſſimos, fidem: qua ſe propemodum ipſam vincebat; modiſque haud vnis implebat, quod in Leopoldi imperatoris, ac Eleonorae The-

Thereſiae nuptiis, Ieſuitae Colonienſes ominaturi; vitis, ficum amplexae, imaginem, cum his verbis pingebant: nil niſi dulcia illas ſpondere. Tanta enim animi pii exaggeratio atque efficacitas ſe in Principe noſtra exeruit; vt tot & tantae ab illa virtutes, tanquam a fonte, profluxerint; quot quantasque, in nulla temere praeſtantisſimarum, quae ſunt atque fuerunt, mulierum; ſi Mariam fortaſſe ac Dorotheam excipias; vllae vnquam hiſtoriae, aut ſecula vlla praedicauerunt. Vt ferme iniuria videatur, religionem defunctae cum quibuscunque aliis foeminarum ac principum exemplis conferre. Quoniam porro mortalium virtus ac pietas, ornamentis quibusdam ac praemiis, a Deo penſatur; nimis certe humiliter de beatae ſanctimonia ſenſerit; qui minora eidem, quam religioſarum mulierum vlli, religionis ac fidei decora, poſt mortem beatam, tribuerit. Inter Mariae ſanctisſimae praemia, a pontificiorum aliquibus, eius immortalitas; ab aliis vero, Mariae ſemper viuentis fabulam explodentibus, alia dignitatum atque honorum genera, a Iuuenale quodam efficta & prodita, numerantur. Velut, quod morituae eidem, integra legatorum Chriſti corona

rona apparuerit: qui exanimatae reliquias, praecinentibus diuinarum mentium choris, in Gethſemani vallem delatas, terrae mandauerint: vnde tertia die, virgo haec feliciſſima, vitae reddita, in coeli beatiſſimi ſedem adſcenderit. Tuum autem, ſereniſſima Dorothea Maria! lectum feralem, non viri quidem diuini; ſed horum tamen imitatores piiſſimi, & antiſtites ſacri cingebant: mortis tuae pulcherrimae, & ad omnem aetatem memorabilis, admiratores pariter ac teſtes futuri. Et optandum equidem foret: vt ex coetu viuentium; cuius tu ornamentum atque exemplum egregium eras; nullo tempore disceſſiſſes! Quemadmodum tamen anima tua ſanctiſſima, inter geniorum coeleſtium gratulationes, & cantus ſuauiſſimos, in coeleſtis gaudii ſedem euecta; omnium beatiſſimam vitam, ac perpetuam agit: ſic memoria mortuae, in viuorum animis; Dorotheam quippe Mariam, non tam foeminae, quam pietatis maximae nomen habentibus; nunquam intermorietur.

DIXI.

III

DEceſſit nuperiore iulio Samuel Strykius, in illuſtri Halenſium academia, illuſtris perquam iureconſultus. Si vllo vnquam tempore, cunctos Germanos vnius viri obitum gemere & complorare fas fuit; in praeſenti vtique, omnem eorum aetatem ac ordinem, grauisſimi doloris acerbitatem, querelis, planctibus & ſuſpiriis prae ſe ferre decebit: quando aulae & academiae decus ſuum atque praeſidium; iurisprudentia & iuſtitia magiſtrum ac vindicem; omnesque eruditi ac boni, ſuum delicium & auxilium, diuelli a ſe & abripi, profitentur. Cum Turenius, ducum Gallicanorum praecipuus, cecidiſſet; regem Galliae, ferunt, voce lugubri ac flebili exclamaſſe: hoc heroe occiſo ac perdito, dextram meam amiſi! Similiter profeſſorum ſocietates, in Strykio, velut heroe quodam togato, partem ſui potisſimam, ac veluti dextram, caſu inauſpicato ac triſtiſſimo, ſibi ablatam, vno ore queruntur. Neque ſolum Germania; ſed tota literatorum respublica, obitus huius rumore confunditur, atque penitus conſternatur; ſiquidem totam eam beatus, ſuis meritis ac virtutibus, in ſui

iam

iam olim amorem admirationemque pertraxit. Praecipue tamen terris proximis, extincto hoc iuris peritorum lumine, triſtes tenebras, ac infelicisſimam noctem incumbere, vaſtitatisque aliquid minari oportet. Cuius ſenſu calamitatis, ſicut hoc noſtrum etiam athenaeum, tanquam Fridericiano vicinum, vehementer afficitur: ſic nos pariter medicinam huic vulneri circumſpicere; cumque alia conſolandi nunc ratio non occurrat; iureconſulti huius exemplo ac memoria frui; monumentumque aliquod eius morti opponere, conſultum ac aequum videtur. Quod proinde Aegyptii veteres obeliſcis ac pyramidibus; quod Romani ac Graeci columnis & ludis olympicis effecturi fuiſſent; id nos vltimo viri elogio, & victuro, quantum in nobis poſitum erit, honore, praeſtabimus. Huius vero in Strykium ſtudii ac officii me interpretem eſſe; non aliam forte ob cauſam, viri ſapientisſimi voluerunt; quam quod in eius virtutibus, per ſe maximis, non magna dicendi copia opus eſſet: & quoniam inter laudes beati, haec omnium praeſtantisſima eſt habenda: quod a nullo mortalium, nedum a me, pro merito poſſit laudari. Quare de veſtra humanitate & gratia, au-

auditores! in qua omne iam mihi perfugium ſitum eſt; eo ſpem certiorem firmioremque concipio; quo luculentiora & plura rei iſtius indicia ex ore cuiusque ac vultu perſpicio. Quoties nempe vobiscum recogitatis atque expenditis: qualis quantusque is debeat eſſe, cui nihil eorum non ſuppetat, quae in maximo atque conſummatisſimo iuris antiſtite requiruntur? toties, credo, defuncti Strykii ſpecies, & tanquam effigies, veſtris animis obuerſatur. In quo ſumma atque egregia omnia ita conſpirauerunt; vt nihil, aut eius natura felicius; aut ſolertia ac virtute praeſtantius; aut prudentia & auctoritate illuſtrius dici poſſit. Quibus dotibus, ſicut iureconſulti maximi ornamenta & laudes abſolui, exiſtimo: ita coeleſtis fauoris ac prouidentiae ope effectum eſt: vt nulla earum in Strykio, quam diu is vixit & valuit, ad miraculum vsque non eluceret. Fruſtra quippe iurisconſultum perfectum, ceterisque praeſtantem, cogitat; qui Dei in ipſo auſpicia & conſilia non agnoſcit. Atque procul faceſſere a nobis iubemus, Epicuraeorum tam veterum, quam recentium turbas: qui totum videlicet illud, quod leges legumque prudentiam dicimus, ipſamque iuris

tis peritorum ſocietatem, inane aliquod nomen, ac ſine peculiari Numinis cura repertum, exiſtimant. Imo nullum nos verius aut praeclarius, de rerum humanarum arbitro, Deo, teſtimonium, quam honeſti iuſtique ſcientiam, extare putamus: cuius vinculo omnes homines, ad aſſignatum cuique a Deo ordinem, obligantur; & intra virtutis ac innocentiae metas, a ratione praeſcriptas, perpetuo coercentur. Idem igitur Numen, quod data mortalibus lege, ſapientiae ſuae ac iuſtitiae radios ad ipſos transfudit; non Moſen ſolum apud Ebraeos; ſed & Solonem atque Lycurgum apud Achiuos; & Scaeuolas ac Sulpitios apud Romanos; & iurisprudentes reliquos apud reliquas gentes, ſuo tempore excitauit: qui iura naturae, deductaque ex iſtis iura alia interpretarentur; ac Dei legislatoris gloriam, & humani generis bona amplificarent. Vnde Numinis ſummi decretum atque conſilium circa ipſos illorum natales, tanto magis ac ſolicitius in animis noſtris reponendum eſt; quanto vberiores in rempublicam fructus, ex vita cuiusque ac meritis redundarunt. Ingens propterea, ſummisque laudibus dignum eſt ſapientisſimi Dei beneficium:

quo is Strykium noſtrum, in eximiae & caſtisſimae matris, Euae Calouiae vtero, tuendae poſthac virtuti ac iuſtitiae conſecrauit: iisque tunc dotibus & luminibus, eius animum illuſtrauit; vt amplificandae deinceps iurisprudentiae, felicitatique academicae natus, omnium is iudicio cenſeretur. Multa equidem in iurisconſulto ineſſe ac enitere oportet: quae non arte parantur; ſed naturae, ſeu Dei munere conceduntur: ſine quibus iurisprudentiae ſtudium infeliciter, & inuita, quod aiunt, Minerua, tractandum perficiendumque ſuſcipitur. Primum quippe memoria capax & firma requiritur: quae magiſtratuum conſtitutiones ac leges, ſapientumque reſponſa atque interpretationes, e quibus iura antiqua ac recentia proceſſerunt, iſtorumque omnium adminicula, & promte arripiat, & conſtanter retineat. Tum iudicii quodam acumine ac ſubtilitate eſt opus; vt tam legum actionumque momenta & principia ſolerter inueſtigentur; quam ſingula illa, quae ad rem praeſentem faciunt, ſuo tempore ac loco adhibeantur. Praeter haec, animi motus celeres, ingeniique vbertas ac foecunditas exiguntur; quo & inueniantur feliciter, quae a nemine adhuc ex-

excogitata atque deciſa fuerunt; & idoneis ac ſponte fluentibus verbis reddantur. Hiſce omnibus, niſi innatus religionis ac iuſtitiae amor, & pudor quidam honeſtus accedat; in eiusmodi quidem iuris cultore, abuſus potius legum, quam vſus, & tale quid metuendum eſt; ac ſi telum vel gladius, furioſo aut hoſti ſuppeditetur. Sicut vero benignum ac prouidum Numen, eo vnice inſtituto, noſtrum Strykium in hoc mundi theatrum produxerat; vt ſummi ac praeſtantiſſimi viri perſonam, tempore interiecto, repraeſentaret: ſic exquiſitas adeo ac egregias dotes in ipſum contulerat; vt vel ipſe, ſi floruiſſet adhuc, Pythagoras, qui in noſcendis diiudicandisque mentibus, mirus artifex fuit, nihil in eo deſideraturus fuiſſet, quod ad iureconſulti abſolutiſſimi, vel memoriam, vel iudicium ac ingenium, vel cupiditatem virtutis ac gloriae, vlla ratione ſpectaret. Qui olim in cunis Strykium, adhuc infantem, contemplabantur; illi ex ipſa pueri forma, & externo corporis habitu, futuram ipſius magnitudinem augurari, ſibique & aliis polliceri audebant. In hoc numero erant parentes, genere & exiſtimatione eximii, Elias nimirum Strykius, magni illius Friderici Guilielmi aetate,

praefecturae primum Lencenſi, mox vectigalium rationibus, ab heroe hoc ſummo praepoſitus; poſt quaeſtoris titulo, in Marchia Pregnicenſi ornatus; & quam ſupra commemorauimus, Eua Calouia, pecuniarum publicarum diſpenſatoris ampliſſimi filia, in ſexus tunc ſui decoribus numerata: a quibus beatus, quadrageſimo praecedentis ſeculi anno, calendarum decembrium nona, in illuſtri Lencenſium arce, virtutem cum ſanguine hauriebat. Hos, inquam, praeſtantis adeo, & ſupra fortunam mediocrem erecti ingenii argumenta, ad ſpem curamque maiorem identidem excitabant. Ex quibus conſecuturam poſtea noſtri perfectionem; tanto clarius certiusque interpretari licebat; quanto magis, natiuus memoriae vigor in fronte; iudicii & ingenii vis in oculis; honeſtatis ac iuſtitiae amor in vultu ac geſtu ſe proferebat. Haec parentum, atque bonorum omnium expectatio, cum annis deinceps ac menſibus augebatur: vbi illis Strykius adhibebatur doctrinis; quibus probari, ex ſapientum veterum inſtituto, nobiliora ingenia, & ad venturos ſeculi vſus inſtrui conſueuerunt. Vt enim cum ſua ipſius aetate beatus; ita cum praeceptorum induſtria & opi-

opinione certabat; voluptatem aliis, ſibi laudem afferre conatus. Quae ſi fingi, aut oſtentari a nobis, quis crederet; illum ad ſcholae Sehuſianae primum; tum Colonienſis gymnaſii, quod ad Spream habetur, ſubſellia ego & claſſes deducerem; atque noſtrum, tunc adoleſcentulum, mirari iuberem: cuius honeſtas ac virtus ex moribus; cuius vigor ac indoles ex profectibus; cuius futura praeſtantia atque gloria ex docentium & diſcentium laude pateret. Praecipue vero in Vittebergenſium atque Francofurtenſium athenaeis: quorum prius, ſuperioris ſeculi anno octauo & quinquageſimo; alterum autem, poſt circumactum triennium, ſuis ſtudiis ornare incepit; tanquam in amplioribus ingeniorum theatris, ſuo Strykius exemplo probauit: quantum natura diuinior, cum induſtria ac virtute inuſitata valeret. Cumque in Britannorum poſtea, & Batauorum lycea, haud ſecus ac equus generoſior in campos remotiores, excurreret; illi etiam ipſi, ex indolis Strykianae indiciis ac ſucceſſibus, ornamentum patriae, talemque futurum, denunciabant; qualem in ſcholis deinde ac tribunalibus, ſermonibusque & ſcriptis, agnouimus. Nam quemadmodum nemo ingenioſior Strykio:

kio: ita & nemo eruditior, aut ad communem ſalutem inſtructior, eſſe debebat; quando aeterni Numinis prouidentia, conſummatum aliquod iurisconſulti exemplar in ipſo extare, & a poſteris celebrari volebat. Praemonebat itaque noſtrum, de fatis ipſius ſolicita ſapientiſſimi Dei voluntas; eius indoli, ad res maximas deſtinatae, maiorem virtutis ac induſtriae campum congruere; quam qui tenuibus ac plebeiis legitimae diſciplinae alumnis ſufficere, vulgo putatur: quorum humilis, & ad calliditatem ac lucrum directa intentio, formularum quarundam ac vocum tendiculas non transgreditur. In id igitur Deus, non tam de eius, quam reipublicae bono ſolicitus, impellebat beatum: ne ſublimem adeo ac diffuſam, quam pro ſcopo haberet, ſcientiam, ſine artium reliquarum ſubſidiis; quibus detractis, inane aliquod ſimulacrum eſt iurisprudentia; affectare aut colere ſuſtineret. Quare primam in ſcholis & academiis operam, latini & graeci, aliorumque ſermonum, quibus legum interpretumque ſententia apud nationes varias innoteſcit, peritiae impendendam putauit; vt nihil ex aliorum lacunis aut riuis traheret; ſed ipſos iurisprudentiae fontes adiret ac imbiberet.

ret. Pari modo philoſophorum atque oratorum praecepta, rerumque per orbem geſtarum notitiam, cum iuſtitiae inſtitutis coniunxit. Etenim fundamenta iurium ex iure naturae, ſalutisque publicae rationem, ex rerum publicarum ac morum ſcientia peti, ſciebat. Neque ſenſum accommodationemque legum, ſine logicorum ſancitis, metaphyſicorumque, regulis, inueniri; neque partuum & abortuum, ac infinitorum facinorum cauſas, ſine corpotum naturalium doctrina patere, arbitrabatur. Ad haec, plurimas ac diſcordes doctorum ſententias, in legem & morem ſaepius abeuntes, ex philoſophorum placitis profluxiſſe, videbat; quando aliter iudicarent, qui ab Ariſtotelicis ſtarent; aliter, qui a Stoicis aut Epicuraeis; & quod ſinguli ſua ex ſecta acceperant, ad iuſti ac aequi diſciplinam transferrent. Similiter priſca illa vocabula; abrogatosque iam olim veterum mores, qui legum ſaepius lucem obſcurant; ac totius iurisprudentiae fata & incunabula, ex antiquitatis ac hiſtoriae monumentis eruere, & ex his ipſis interpretari, ſuarum omnino partium iudicabat. Neque minus illuſtrem eloquentiae vſum, in iuſtitiae & veritatis defenſione, ac negotiis

ſeriis, agnoſcebat: idemque orationem diſertam, iuris ſapientiae iunctam; quod exercitibus bonum imperatorem ac ducem, praeſtare, cum Peripateticis ſtatuebat. Nempe alia via Strykius, ad artis ac ſcientiae ſuae metam tendebat; quam qui nullo in academiis ordine, eo procedunt; illotisque manibus, ſacra ipſius polluunt ac profanant. Quorum errores ac vitia vt euitaret beatus; neque perperam in virili aetate ageret, quae perperam didiciſſet; certos aliquos ſtudiorum atque laborum gradus facere, & a fundamentis iurisprudentiae ad faſtigium eius eniti, e re ſua putauit. Iſtud vero mirari quis poſſit: quod iuſtitiae artes, non ſine ſcriptorum coeleſtium, & ſanctisſimae diſciplinae inſtructu, aggredi & tractare voluerit. In quod ſcientiae genus, tanto primum ardore ac ſtudio ipſe incubuit; vt aegre propemodum, flagitantibus licet amicis, auocari ab eo atque auelli ſe pateretur. Quae res denuo multum coeleſtis prouidentiae & curae demonſtrat: qua, vt olim Zieglerus; ita poſtmodum auditor Ziegleri, Strykius, ad ſanctiores iuris prudentiae fontes deductus, mature admonebatur: hoc praecipue pio iurisconſulto congruere
ac

ac incumbere: vt ex Dei ſapientisſimi inſtrumento, ſaluberrima quaeque conſilia, ac certisſimas boni & iuſti regulas, tam in praeſens repetat, quam in futurum diſponat. Sollemne eſt paganorum ſcriptoribus, conſiliarios ſuos, legumque interpretes, cum Diis loquentes, & familiariter cum ipſis agentes, introducere; quo ſententias ſuas a ſolis numinibus accepiſſe, easque de coelo in terram veluti detulisſe, exiſtimarentur. Sic Minoem, in Iouis contubernio eruditum; ſic Oſiridem, in Deorum conuictu, ſaluberrimis rebus inſtructum, inter legislatores ſuos extollunt. Nobis Strykius noſter, iureconſulti religioſi ac docti exemplum ſuppeditat: quem non Deorum falſorum aliquis; ſed verum, ac rei nullius inſcium Numen, ſua muniuit ſapientia, ſuisque oraculis ac praeceptis in iuuentute formauit; quae ipſe pro honeſtatis poſtmodum ac iuſtitiae norma haberet. His inſtructum praeſidiis animum, ad ſalutarem iurisprudentiae diſciplinam, eo auſpicio ac ſucceſſu applicuit; vt in omnibus eius partibus, ſummam artis ſuae perfectionem, ſub conſummatisſimis legum magiſtris, conſequeretur. Qua in re, ab eorum ſe imprudentia, an ſuper-

bia? ſeparauit: qui ſibimetipſis, & praeceptores, & diſcipuli eſſe volunt. Siue pueris, ſiue aegrotis ſimiles: qui, antequam ſatis roboris habent, ſuo ſe Marte mouere, ac incedere geſtiunt; mox lapſuri turpiter, & inconſideratae audaciae poenas daturi. Noſter vero, & diſcere in iurisprudentiae officinis; & prudenter diſcere cupiebat: cordatiorumque vocibus ac praeceptis obſequebatur. Poſtquam igitur in philoſophiae humanitatisque artibus, tam Sperlingio, quam Kirchmaiero auctore, omnia iam ex voto confecerat; mox in legum ſcientia, Vittebergenſes primum earum interpretes, Zieglerum, Lyſerum, Nergerum, clara inter iureconſultos nomina, affectatus eſt. Tum Francofurtenſe illud, iuris ciuilis & ſacri oraculum, Ioannem videlicet Brunnemannum; cuius potiſſimum fama & gloria huc ipſum allexerat; ſibi in oculis ferendum putauit. Horum, inquam, aliorumque doctrinas, & auſcultabat cum cura, & aſſidue repetebat; magiſtroſque optimos, in rebus ſimiliter optimis imitari ſtudebat. Fabulae quidem, quam philoſophiae ſimilius eſſe videtur, quod a Pythagoraeis eſt traditum: mentes hominum, omneſque ipſarum virtutes, de corpore in corpus mi-

migrare. Minime vero inter commenta & fabulas eſt habendum; quod iuuentutis academicae annis, ſuo Strykius documento probauit: praeceptorum ſuorum praeſtantiam, omnemque ſolertiam, eius ad animum propagatam fuiſſe. Vsque eo & Ziegleri acumen, & Brunnemanni ſapientia, & reliquorum omnium dotes reliquae, renaſci in eo ac reuiuiſcere videbantur. Neque contentus Strykius Germanorum inuentis & placitis fuit; ſed, quae proficiendi in eo cupiditas erat, a peregrinis etiam iuris luminibus, dignitatis atque ſplendoris aliquid mutuandum putauit. In quo veterum iuris cultorum, ad regiones exteras excurrentium, & alienas ſapientiae opes colligentium, vias ſecutus eſt. Prae ceteris vero, Anglorum ac Batauorum academiae, ceu cultioris orbis Athenae, noſtri animum, omnis gloriae perfectionisque auidum, aduerterterunt. Capiebatque hic ipſum, multorum oppido iuriſconſultorum doctrina & praeſtantia: qui Oxoniae, qui Lugduni & Vltraiecti, qui Groeningae & alibi, in ore tunc omnium verſabantur. Praecipue tamen Strykium, adhuc iuuenem, commouebat Antonii illius Perezii, & Ioannis Iacobi

bi VVissenbachii virtus ac eruditio: quorum ille Louanii; hic Franekerae, inter aetatis illius decora eminebat. Sicut igitur magiſtrorum iſtorum recitationibus & colloquiis; ita Angliae & Batauiae bibliothecis praeclaris monumentisque illuſtribus, ſuam collocupletauit doctrinam; viciſſimque has terras, ſuae induſtriae ac ſolertiae fama impleuit. Neque tamen vel oſtentationi inutili, vel vanitati ineptae, hic aut alibi, dare aliquid videbatur; qui collectos vndique eruditionis theſauros, in ſuum ac reipublicae vſum ſeruare, ſatius iudicabat. Diuerſus omnino a delicatis quibusdam & mollibus iuris alumnis: qui, quae in academiis ac peregrinationibus didicerunt, poſt paulo dediſcere; & quae ad panem vel quaeſtum non aeq; expediunt, ſtudia, mox abrogare ac intermittere conſueuerunt. Contra Strykius, bonum publicum eſſe, exiſtimans, cui induſtriam ſuam ac tempus deberet; quae obſeruaſſet iuuenis, aut tractaſſet; haec nullo deinceps tempore, nullo loco, ex manibus dimittebat. Qua ratione fiebat, vt, ſiue docendo poſtea, ſiue ſcribendo, aliorum commodis inſeruiret beatus; e ſcientiarum omnium hortis flores ac fructus decerperet: vtque in iureconſulto theologus;

&

& in vtroque philoſophus atque orator agnoſcerentur. In quo bonarum artium apparatu, ne ad vitae morumque perfectionem deſiderari in ſe aliquid, pateretur; idem ſibi in iuris ſtudio faciendum, cenſebat, quod pingendi artifices ſolent: qui ſordes & maculas ante omnia pannis detergunt; ac tum pigmenta iisdem & ſuccos inducunt. Pari modo defunctus, purgandum a malis ac vitiis animum, arbitratus eſt; qui verae iurisprudentiae diſciplina, tanquam colore & ſucco aliquo, imbuendus veniret. Neque enim auctoritatem habere iuſti atque honeſti doctrinam, quae non iuuaretur exemplo; neque aliquid dici turpius poſſe, quam ſi quis aliter viueret, quam viuendum hominibus eſſe, praeciperet; omnemque adeo ſuae, vt inſtitutioni, ſic ſcientiae, fidem detraheret. Prout ordinem ſuum, Albericus quondam Bononienſis proſtituit: eruditione, quam moribus, Bulgaro praeceptori ſimilior; neque magis inter iuris peritos, quam inter ſophiſtas ſordidos, ac gulones deterrimos, aeuo ſuo notatus. Verum Strykius eum ad modum iureconſultus exiſtere ac dici volebat: ſicuti ſtatuam olim Phidiacam ea de cauſa ſic appellarunt; quia Phidiae non modo inuentum, ſed

&

& imago ac effigies habebatur. Ita beatus, iuris & aequitatis regulas, quas tradebat, honeſtisſimae vitae exemplo, veluti ſimulacro aliquo, exprimebat; & maiori, quam Phidias, arte, reddebat. Quia igitur ſine iuſtitia, ceu fundamento ac ſcopo iurisprudentiae, nihil in iuris perito laudabile inuenitur; tanta noſter contentione animi & conſtantia hanc virtutem colebat: vt, ſi Strykius Ariſtidis Athenienſis ſeculo in viuis fuiſſet; iuſti cognomen & gloriam, haud ſecus ac ille in Graecia, procul dubio ipſe in ſua Germania, meruiſſet. Quod aequitatis ſanctitatisque ſtudium, vt nullo vnquam tempore ipſum deſeruit: ita appropinquante vitae exitu, cum Ebraeorum iuſtiſſimo, Samuele, cuius & nomen gerebat, conſolari ſe ac defendere poterat: ſi vel omnia, actionum ſuarum ſententiarumque momenta excuteret; nullius ſe vel praeuaricationis, vel iniuſtitiae, ſibi conſcium eſſe; neque aliquid inuenire, de quo dolendum, ſatisfaciendumque putaret. Quae vero beati pietas erat; hanc non minus, quam reliquas dotes, non ſuae ipſius naturae; ſed Dei aeterni beneficio, acceptam ferebat. Quem proinde, ad ſanctioris iurisprudentiae ductum, & noſſe, & colere, & metue-

re ſatagebat. Neque ſatis habuit, more ſolito, templa & conciones obire; ſed fundendis ad Deum precibus, meditandisque virorum ſacrorum hortationibus & oraculis, iureconſulti, Deo & Chriſto dediti, partes impleuit. Facto inſuper magis, quam ſpecie; atque ſerio potius, quam ad pompam & gloriam, pius Strykius eſſe volebat. Qui enim religionem aut fidem ſine operibus colerent; eos cum pomis inanibus, in Iudaea naſcentibus, & vbi contacta fuerint, in vaporem ac fumum abeuntibus, comparabat. Alienus omnino ab impiis & inſanis Machiauelli ſomniis: fictam ſimulatamque ſanctimoniam, & quae ſcenae potius ſeruiat, quam immortali Deo probetur, homini ſuo politico induentis. Nec minus in illos cum Catone inuehebatur: qui ſacrae cuidam ambitioni ac ſuperbiae dediti, recte ac pie facerent; vt feciſſe aliis viderentur. Suam ipſius conſcientiam, ſatis illuſtre & amplum innocentiae ſuae theatrum conſtituens: atque ſatius putans, inter ſinceros, quam inter publice cognitos pietatis cultores, in terris his numerari. Ceterum laudem hanc mortui, dotes reliquae, velut reginam miniſtrae, comitabantur. Prae omnibus tamen, inimitabilis illa in Strykio, morum

ſua-

ſuauitas, atque rara adeo apud magnates modeſtia, admirationem omnium commouebat. Nolebat beatus; cum inter iureconſultos Germaniae, locum praecipuum, & tantum non principatum teneret; magnopere ſibi aſſurgi; verum aliis ſaepius, ſe longe inferioribus, aſſurrexit. Namque animus, ac tota natura Strykii, a vanitate ac faſtu penitus abhorrebat. Nullum in fronte ſupercilium; nulla in verbis ac geſtibus eius moroſitas notabatur. Summos, medios, imos, promiſcue admittebat; omnes comiter appellabat; omnium ſtatui ac ſermonibus ſe accommodabat; omnibus ipſe conſilia ac reſponſa impertiebatur; nemini patrocinium aut opem negabat. Porro hoc maior & illuſtrior Strykius inter iureconſultos eſt habitus; quod virtute non minus domeſtica, quam ciuili praeſtaret; quia in viris alias maximis, artem illam, qua ſuas familias, quam qua alios regant, plus & crebrius fere deſideramus. Contra Strykius, cum matronis memoriae noſtrae praeſtantisſimis, Eua Sabina, & Catharina; illa laudati ſuperius Brunnemanni; hac iureconſulti florentisſimi, nec male de Hamburgenſibus meriti, Erici VVordenhofii filia; nullam ipſi, querelae aut curae mate-

te-

teriam, niſi per obitum ſuum, praebentibus, amore ac fide certauit. Iam mirifica illa, & ad omnem aetatem memorabilis educandi ratio; qua is aemulum ſibi filium, Ioannem Samuelem Strykium: qui haud vulgarem hodie iuris antiſtitem, & aulae Iſennacenſis conſiliarium, nec non iurium profeſſorem in prytaneo Halenſi ordinarium agit: ad faſtigium iſtud prouexit; ecquid aliud, niſi aliqua honeſtatis ac laudis magiſtra, cenſebitur? Vix autem conſecuturus fuiſſet defunctus, vt iureconſulti tam magni atque perfecti numeros ipſe impleret; niſi cum ſapientia ac virtute ſolertiam, raro iterum inter eruditos exemplo, in conſiliis ſuis & actibus, copulaſſet. Nam quod medica diſciplina in valetudine; quod in nauigiis atque exercitibus gubernatio; id in vitae humanae actionibus, illa omnium moderatrix, prudentia eſſe ſolet. Huius nos adminiculo, & honeſta a turpibus, & vtilia a damnoſis ſecernimus. Haec eſt oculus ille, quo vtendum eſt iuriſconſulto; cum iuſta ac aequa interpretari; & cum perſpicere, aut colligere debet: quae actionum pondera ac momenta exiſtant; & quo vsque mens legiſlatorum ac legum procurrat; & quando extendi eadem atque retrahi, reipu-

blicae & regnantis interſit? Qua conſulendi atque agendi ſolertia, vt animum ſuum mature acueret; in iuuentute illico noſter, ad cordatorum ſe hominum inſtituta atque exempla compoſuit: &, quomodo illi accommodare nunc ſingula; modo adſtricta remittere; mox neceſſaria quaedam admittere? quomodo item iam ordinare praeſentia; nunc prouidere futura; mox praeterita ad vſum communem referre conſueuerint? in academiis, in iudiciis, in peregrinationibus, cum cura attendit. Potiſſimum vero, laudati a nobis antea Brunnemanni conſiliis, via ipſi, ad res prudenter & recte gerendas, muniebatur; vt nemo deinceps, vel in excogitando ſolertior, vel ad exequendum paratior, vel in enunciando cautior haberetur. Si per tot iureconſultorum praeſtantium magnam ſeriem nos ire vellemus; haud difficulter oſtendere ac probare poſſemus: aliquos horum, non niſi academicis actibus; quosdam aulae vel curiae occupationibus; multos aliis ſtatibus; paucos pluribus aptos fuiſſe. At Samuelem Strykium, neque aulis inutilem; & literarum delubris optabilem; & in tribunalibus celebrem; eruditorum non minus, quam principum voces ac praeconia teſtabantur. Ab

his

his vero principiis, ad ſummum auctoritatis dignitatisque faſtigium adſcendebat. Quod ipſum ad iureconſulti perfectionem & laudem plurimum poteſt; cum videamus homines, vt iuris doctorem aliquem colant, aut conſulant; exiſtimatione non minus & fama, quam rebus atque momentis aliis, commoueri. Qua in re, tanto plus valuit ac excelluit noſter; quanto maiora in ipſo & plura inerant: propter quae, Dei ipſius conſilio, ad ſumma omnia deſtinatus & factus, ſuo merito cenſebatur. Statura Strykii, vltra vulgarem corporis menſuram aſſurgens; elegantia ac dignitas vultas admirabilis; pronunciationis actionisque ſuauitas ſingularis; haud parum honoris & gratiae iam ipſi conciliabant. Omnes in eo, florem aliquem animae ac virtutis, pulchro innatum corpori; qui in forma externa ſe proderet, fulgoremque hinc ſuum diffunderet; cum Platone quaerebant. Quam beatus opinionem ac ſpem, inde a primis adoleſcentiae annis, implere; atque propriam velut naturam, ſuis virtutibus ac profectibus, ſuperare eſt viſus; vt viri in ſcholis & academiis tunc honoratisſimi, iam ea aetate, honorifice de ipſo ſentirent. Accedebant poſtea, in clarisſimo Franco-

Francofurtenſium prytaneo, duo egregia, ac prae ceteris glorioſa ſpectacula: in quorum priori Strykius, a iurisconſulto maximo, Brunnemanno, in iurisconſultorum ſuggeſtum deducebatur; deque viris annonam flagellantibus erudite ac ſubtiliter diſputans, omnium in ſe oculos conuertebat. Alterum annus cIↃ IↃCLXV attulit: quum, diſſeminato iam apud Anglos & Batauos, populosque vicinos, nominis ſui ſplendore; in Francofordiae ſuae amplexum rediret: & vt rediret ornatior; ab eadem tum coronaretur academia, quae potisſima ipſi ſtudiorum & artium dux, ac veluti mater extiterat. Hic, inquam, doctoris inſignia, quae iam pridem meruerat, a celebrato ſaepius Brunnemanno; eruditus diſcipulus ab erudito magiſtro; gener futurus a venerabili ſocero, capiebat. Quo dignitatis lumine decoratum, omnium laus & acclamatio, ac ſtudioſorum inprimis iuuenum, audiendi ſuſpiciendique ipſius deſiderio incenſorum, applauſus comitabatur. Sic fama beati; dum diſputandi pariter ac docendi dexteritatem magno indies auditorum coetui approbaret; longe lateque diſperſa eſt. Sic doctrina ipſius ac virtus omnibus cognita; minime vero omnium electori Branden-

bur-

burgenſi ignota; anno cIↄ Iↄclxv, menſe octobri, Francofordiae vindicari atque dicari incepit: profeſſoris tunc muniis, quibus ipſe nouellas exponeret, cum ingenti gratiae & amoris ſignificatione, extra ordinem ipſi delatis; ac oratione diſerta, de emolumentis & damnis, quae in rem publicam, ex mutatione aliqua iuris redundant, ſollemniter conſecratis. Atque hic primum conſpiciendam ſe offert, ſi dicere ita licebit, ſcala pulcherrima: qua defunctus, officiorum meritorumque tot gradibus, ad honores in academiis maximos ſummosque adſcendit. Poſt trium enim annorum decurſum, inſtitutiones Strykius, a Iuſtiniano imperatore editas; atque rurſus finito quadriennii ſpatio, digeſtorum volumen, ex doctorum veterum libris collectum; ſuperiorisque ſeculi anno lxxxvi, imperatoris laudati codicem explicandi, & inter iureconſultos ſedendi prouinciam capere & ornare aggreſſus eſt. Cumque maximus iuris ſacerdos, Io. Fridericus de Rhetz, ad ſanctiorem ſenatum, electoris potentisſimi iuſſu, mox euocaretur; ſolus Strykius erat, qui in collegio ſuo praeſidis, atque conſiliarii munia ſuſtineret; inque eo iam loco ac ordine, quem illuſtris antehac ſocer tenuerat,

ſuo merito poneretur. Neque tam multis magniſque titulis decorari poterat noſter; quin maiores & plures quotidie, eius labores & officia poſtularent; dum non domi duntaxat, ſingularibus in rem publicam, multorumque priuatam, beneficiis, magis magiſque inclareſceret; ſed per totum Germaniae orbem, doctrinis ac ſcriptis nobilitaretur. Sane maximus, ac literatorum amantisſimus Imperator, anno CIↃ IↃCLXXXII, bonitatis & gloriae ſuae referre patabat: vt viri tam ſapientis ac celebris laudem amplificaret; atque comitis, in Romano palatio, iuribus ac inſignibus illuſtraret. Inter haec Francofurtenſes, quemadmodum toti in admiratione Strykii; ita in metu perpetuo erant: ne ſuum hoc decus ac delicium aliquando amitterent. Nam qui omnium Germanorum honori & commodo natus erat; eum omnes allicere, omnes colere ac posſidere volebant. Poſtquam igitur Vittebergenſi lyceo fulcrum iuxta & ornamentum praecipuum, in Caſpare ſuo Zieglero, iuris ibi interpretum ordinem & conſilia moderato, nonageſimus praecedentis ſeculi annus ſubtraxerat; ante alios omnes Strykius, electoris incliti, Ioannis Georgii III animo occurrebat; qui iureconſulti erepti deſiderium, tam

tam praeſentia ſua, quam fama, minueret. Certabantque tunc temporis, de iuris peritorum hoc ſidere, ſuis prouinciis aſſerendo, duo maximi ſuae aetatis principes: vnus Saxonum; alter gentium Brandenburgicarum elector. Ille omnibus votis optabat atque poſcebat Strykium; & propoſitis bonitatis & clementiae ſuae pignoribus, obtinebat. Hic aegerrime, nec niſi hoc interpoſito pacto, dimiſit: vt regionum ſuarum hoc decus & palladium, ſi e re ſua id eſſet, reciperet. Ille in ſummo appellatorum iudicio; hic in ſplendidisſima aula, conſiliarii nomine ipſum inſigniebat: vt vterque Strykium, nouo vinculo, ſibi obſtringeret, inque officio retineret. Quod ne mirum, in electore praeſertim Brandenburgico, videatur; ea nobis conſideranda ſunt, quae euentus poſtea ipſe probauit: hunc videlicet principem, maius atque illuſtrius aliquid, de condenda Halenſium academia, molitum fuiſſe, & iam tum apud animum deſignaſſe; vbi Srykii opera & conſilio vteretur. Neque enim hanc cogitationem & curam, ex manibus amittendam, abiiciendamque putauit; ſed in eo, prae multis aliis regibus ac principibus, ſicut conſtantem, ita felicem ſe praeſtitit: vt, quod omnibus

bus cultioris Europae populis, vitae beatae praeſidium, ac bonum pararet; id anno cIↄ Iↄcxcıv, ipſis calendis ianuariis, cum omnium admiratione ac laude, praeſtaret. Adfuit ſemper ſapientisſimo regum ac principum, Friderico, incredibilis quaedam, ac prope diuina, in imperii ſui negotiis diſpenſandis atque regendis, prudentia; ſed tunc maxime, in eligendis diſpiciendisque felicitatis academicae inſtrumentis praecipuis, illa apparuit: deſignatis ad eam rem, duobus dignisſimis viris, Seckendorfio atque Strykio: quorum ille inter Germaniae equites; hic inter iuſtitiae ac aequitatis magiſtros, ſapientia & virtute regnabat. Amborum conſiliis, ſicut euentus publice optatisſimus, ex ſpe atq; augurio omnium, reſpondebat: ſic ad amborum adminiſtrationem & curam, athenaeum hoc regium, meliorem mox faciem, quin & originem, referre debebat. Cum magno proinde Seckendorfio, magnum Strykium, regum ac electorum maximus, Fridericus, compellatione benigna & honorifica inuitabat: atque hunc ſibi, non a ſanctioribus tantum conſiliis eſſe; ſed & nouae huic academiae, nouoque ſimul iurisconſultorum ordini praeeſſe iubebat. Eodemque hoc tempore, praeter

ter ſpem ſuam beatus, ad ſimile dignitatis faſtigium, in regia Hafnienſium aula & academia occupandum, non minoris ſpe lucri ac praemii, a rege Danorum inuitatus eſt. Verum Strykius, ſicut reuerentiae in ſuum adhuc electorem ac regem, ſic amoris in patriam memor; Halae potius emolumento ac flori ſe totum deuouit. Iſtud interim tam glorioſum defuncto, quam proprium fuit: quod plures in manu habuerit dignitates, quam accipere voluit; pluresque acceperit, quam per modeſtiam ſuam optauit. Quibus omnibus plus ille ſplendoris addebat, quam ab ipſis eſt nactus: ac ſiue Francofordiae, ſiue Vittembergae & Halae ageret; vbique is iureconſultorum maximus & abſolutisſimus laudabatur: nec e vicinis duntaxat regionibus; ſed ex omni Germania, totaque Europa, infinitus fere auſcultantium numerus concurrebat. Equidem ſi errore, vel imprudentia ductus, auditorum exercitus confluat; non magis eſt, quod miremur; quam ſi ardelionum, aut agyrtarum aliquis, in confertisſima ſpectatorum corona ſe ſiſtat, ac ineptiat. Quodſi autem diſcipulorum frequentia, bonitatis atque perfectionis ſit ſignum; & quemadmodum aeuo priori, apud Theophraſtum Ereſi-

 um;

um; ſic nouiſſime apud Strykium, ab hominum cordatorum iudicio atque aſſenſu pendeat; nihil pulchrius, docentisque perſona dignius eſſe poteſt. Igitur domus beati, haud aliter, quam iurisprudentiae officina, atque huc facientium doctrinarum mercatus, frequentabatur. Ipſi baronum, comitum, principum atque regum filii, magis ad imperandum idoneos, e viri tam docti ac egregii ludo ſe prodituros, putabant. Qua ratione fiebat, vt Germani & exteri, magno ſibi honori ducerent: ſicut ab ore Strykii pependiſſe; ita laborum ſtudiorumque praemia ab eius inprimis dextera accepiſſe. Ac ne minus ſplendoris & gloriae frater & filius, quam quicunque alii, ab ipſo conſequerentur; vtrosque ad ſumma omnia, ſua veluti manu formauit; vtrosque, omnium primos, ac velut praecipuos iuris doctores; illum in Viadrino lyceo; hunc in Fridericiano; annis ſuperioribus proclamauit: ſuorumque non minus, quam aliorum ſaluti, a diuina ſe prouidentia deſtinatum; multis atque illuſtribus, dum in academiis tribus ageret, documentis probauit. Quod Dei aeterni conſilium, ſalutaribus quoque & accuratiſſimis ſcriptis: quorum plura de omnibus fere iuris partibus edidit, quam permulti legerunt: pari cum dignitate

&

& laude executus eſt. Deque his omnibus idem fere dicendum videtur; quod de Azonis, iureconſulti olim Bononienſis, epitome praedicatur: nulli aditum ad iuris periti officium patuiſſe, qui hoc auctore & libro careret. Ita perpauci, in foris & academiis hodie, inter iuris doctores cenſentur, qui a Samuelis Strykii inſtitutis & ſcriptis non doctiores receſſerint. Neque libri tantum; ſed & conſilia eius ac ſententiae, pro aequitatis & iuſtitiae norma ab omnibus habebantur. Olim Cicero, iureconſulti ſollertis & magni auctoritatem verbis breuisſimis complexurus; eius muſeum ac domicilium, totius oraculum ciuitatis vocabat. Verum Strykii domum, non vnius tantummodo vrbis aut reipublicae; ſed Germaniae vniuerſae oraculum, quod a ſummis ac imis conſuleretur, fuiſſe; & hoc nomine apud exteros ac ciues veniſſe; nemo ignorat. Nam hi iuxta & illi, glorioſum ac vtile ſibi ducebant: communem hunc Germanorum, in iuſti ac aequi ſapientia, praeceptorem, ſi non alloquio, ſaltem literis venerari; & vel inter amicos Strykii, vel clientes cenſeri. Si qui vero adire coram, & ſalutare beatum in ſuo muſeo poterant; his renatus in eo, ille Socratis genius,

vi-

videbatur: qui, vt ſapientisſimus Plato teſtatur, audientium animos, inexpugnabili ſuada, & admirandis dotibus capiebat. Adeo vnum omnes ſuſpiciebant Strykium; atque omnibus votis optabant: vt, qui in ceteris rebus, communi mortalium ſorte melior ac ſuperior eſſet; is mortalitatis etiam lege abſolui & eximi potuiſſet! Iam quis tam magni & amabilis iureconſulti iacturam non defleat? quocum virtus ac eruditio; quocum naturae ſolertia ac prudentia; quocum totius Germaniae honor & gloria, efferri videntur? Nimis adhuc maturus Strykii, ſenectute licet & corporis tumore confecti, obitus fuit: quando plura quotidie ac perfectiora ab eo expectabantur; qui plurima atque perfectisſima praeſtare ſolebat. Certe atro notanda calculo foret decima calendarum auguſti; ſi mortem ac funus potius Strykio, quam verae vitae initium, attuliſſet. Non profecto interiit, qui res interituras in vita aſpernatus eſt, inque obitu triumphauit. Non interiit, qui ſicut in coelo, ſic in animis noſtris, aeternisq; ingenii monumentis; praecipue autem in ſimillimo ſui Filio, ſuperſtes vigebit: & iureconſulti perfectiſſimi nomine, immortalis eſt creditus; antequam ipſe

ipſe ex hac mortalitate excederet.

DIXI.

IV

QVod feliciter euenire iubeat Deus! licet non feliciſſimum; multo tamen, quam olim, feliciorem academiae ſtatum, regendum cuſtodiendumque ſuſpicio. Res vtique ſingularis, & miraculo ſimilis videatur: quod in hoc orbis concuſſi, ac perturbatae Germaniae motu; & fluctuante adhuc imperii noſtri nauigio; cymba noſtra, tanquam in pacis altiſſimo ſinu, longe, quam praecedentibus annis, tutior, longeque tranquillior, nauigare inceperit. Principio enim, Dei aeterni munere, ac sereniſſimorum Principum prouidentia, factum eſt: vt nemo ciuium, ciuem offendere, aut ſaltem turbare, ſine animaduerſionis grauiſſimae metu, ſuſtineat; duellorum vero atque pugnarum, tam frequentia olim in athenaeo hoc nomina, vix vlterius audiantur. Accedit, quod rara antehac inter ipſos ſenatores concordia, non amplius rara exiſtat; dum, praeclaro ad iuuenes ſtudioſos exemplo, in egregium publicum omnes conſpirant; ſimul-

multatibus, odiis & contentionibus, aeterna, vt ſpes eſt, obliuione poſthac ſepultis. Quem proinde ad modum liberi, parentum ſuorum veſtigia ſequi, & ad morem eorum, vel amare inter ſe, vel rixari cernuntur: ita diſcipuli, ex praeceptorum beneuolentia, ciuilitatisq; & concordiae cultu, beneuolentiam, comitatem, concordiam, ita accipiunt; vt virtutum iſtarum ſemina in patriam ac rempublicam ſecum aſportent. Equidem ea eſt rerum humanarum conditio: vt in ſtatu etiam optatiſſimo, fruſtra, cum Ariſtotelis magiſtro, Platone, expectes omnia, quae exoptes. Mirum igitur non eſt, ſi in hoc pariter athenaeo, paucorum adhuc peruerſitas, iugulata etiam & proſtrata, palmam clamitet; ac praeſultante, vt ſolet, maligniſſimo genio, tranquillitati academicae, quanquam victrici, velut ex fuga, inſultet. Satis enim eſt nobis, quod plerique ciuium, duces huius tranquillitatis, ſereniſſimos Principes, magna animorum alacritate ſequuntur: & quod plerique profeſſoribus ſuis, ſicut in praeclarisſimis ſtudiis, ita in probis & compoſitis moribus, dicto audientes exiſtunt. Quod igitur bona gratia veſtra, auditores optimi! & bono omine fiat! Prorectoris ego nunc munia, de voluntate ac ſen-

ſententia veſtra, auſpicaturus; ornatiſſimis ciuibus, in humanitatis atque tranquillitatis hoc ſtadio, magnam partem, ſua iam ſponte currentibus, calcar addere; ac de eadem materia explicare ingrediar: ex qua, laudandae plerorumque virtutis, occaſionem hucusque & cauſam arripui. Dicturus nimirum de bono tranquillitatis academicae; & ita quidem dicturus ſum: vt ſcopum academiarum praecipuum, imo vnicum, ſine illius amore ac ſtudio attingi non poſſe; breui, & quantum potero, luculenta oratione demonſtrem. Cum videlicet auctor ille bonorum omnium, Deus, optimorum principum, Philippi Auguſti, & Caroli quarti animos, ad inſtituendas primum, in Gallia & Germania, reſpublicas academicas, quales hodie exſplendeſcunt, coeleſti quodam impetu concitaret; ſalutaria eorundem conſilia ad hunc vnice finem ſcopumque direxit: vt iuuentus, vberiori ſapientiae ac virtutis cultura, ad aeterni Numinis gloriam, publicamque ſalutem inſtrueretur. Quodſi igitur a me euictum fuerit: tam virtutem, quam ſapientiam, ſine tranquillitate academica, nec eſſe, nec intelligi poſſe; nullum fortaſſe dubium relinquetur: primam atque potisſimam boni academici partem, recte

a

a me quaeſitam ac poſitam in eadem fuiſſe. De virtute igitur, virtutis magiſtros varios ac praecipuos audiemus. Quorum alios, a veteri Stoa, Stoicos; alios, ab Ariſtotele ſuo, Ariſtotelicos; rurſus alios, a Chriſti, quam conſectantur, doctrina, philoſophos chiſtianos, receptis paſſim vocabulis, appellamus. Omnes iſti, licet in reliquis acerbe pugnantes; in eo tamen amice congruunt & conſentiunt: vt omnis omnino perturbatio ac tumultus, a natura ac poſſeſſione virtutis penitus excludatur. Vt enim a Stoicis ordiamur; hi, cum homines ad peruerſas & turbidas actiones, a ſuis affectibus, tanquam a Furiis quibusdam impelli, animaduertant; propterea virtutis cultori, idem fere faciendum exiſtimant ac praecipiunt; quod Lycurgum, Thraciae regem, feciſſe, accepimus. Qui, ne aliquis ex ſuis inebriaretur ac fureret; vites & vineas omnes, quae in Thracia erant, excidi ac tolli iubebat. Similiter, inquam, Stoicorum magiſtri, quascunque affectiones animi, ceu perturbationum vtplurimum cauſas, radicitus extirpandas, abolendasque demonſtrant. Quaecunque igitur de virtute afferunt atque inculcant Stoici; ea huc redeunt: vt quiete penitus, ac ſi-

ſine turbis agamus. Pulchra ſane, & ad tranquillitatis academicae bonum accommodata inprimis ſententia! niſi eadem, prout a Stoicis capitur ac defenditur, cum natura hominis ipſa pugnaret. Fieri enim vix poteſt, vt ſtirpes affectuum plane ac funditus eruantur; quas ipſe naturae conditor, Deus, ſicut primis hominibus, ita generi quoque humano inſeruit. Neque vero ſanandi artifices, vt confuſos ac turbidos motus a corpore aegro depellant; aut extinguunt penitus ſeditioſos humores; aut ſanguinem ab his concitatum exhauriunt atque exſiccant; ſed minuendis temperandisque his motionibus, valetudinem commodam, & quietem efficiunt. Talem animi ac vitae tranquillitatem requirunt Ariſtotelici: quando virtutem, motuum internorum, & quorumuis actuum mediocritatem appellant. Non enim eradicandos affectus; ſed moderandos, & a virtute regendos, pronunciant. Atq; hanc mediocritatem Peripatetici, tanquam vnicum vitae honeſtae & placidae fontem, deſcribunt ac laudant. Quemadmodum nempe Nilus fluuius, ſi certum in exundatione temperamentum ſeruauerit; rerum omnium, quibus tempore pacis opus eſt, felicem ac vberem prouentum promit-

tit. Reliquum eſt, vt illorum etiam de virtute inuentum ac ſententiam contemplemur: qui cum Chriſto, quam cum Ariſtotele aut Zenone ſapere, conſultius arbitrati; philoſophorum chriſtianorum nomine ac elogio prae ceteris gloriantur. Hi videlicet, Dei ac ſeruatoris oraculis confirmati; vt nullum Numinis cultum, ita nullam virtutem approbant; niſi ea ad legis diuinae praeſcriptum, ceu regulam, dirigatur. Qua de re honeſtatem, neq; ex Stoicorum effato, vacuitatem affectuum; neque mediocritatem eorum, cum Peripateticis; ſed eiusmodi bonorum virorum ſtudium eſſe dicunt: quo ipſi obſequium, Dei legislatoris iuſſibus & oraculis praeſtare nitantur. Ex horum vero opinione, tantum abeſt, vt turbulenti, aut minus tranquilli aliquid, in virtute feratur; vt voluntati diuinae ne ſatisfacere quidem poſſimus; niſi ſedatos animos, & bene compoſitos mores attulerimus. Cum enim ſapientiſſimum Numen hominem moliretur & conderet; ea lege, ex corpore atque animo ipſum compoſuit; vt mens atque voluntas imperii habenas teneret; cui corpus, cum ſuis affectibus, ſine ſeditione aliqua ac tumultu, pareret. Quod ipſum, cum libris diuinis hic prorſus con-

conſentiens Plato, in colloquio, cui Phaedri eſt nomen, pulchra, vt ſolet, ingenioſaq; admodum comparatione illuſtrat. Namque animum hominis cum auriga; corpus vero & perturbationes eiusdem cum equis contendit: atque Numinis conditoris praeſcripto, hoc tantum conueniens eſſe docet: vt affectus, motusque corporis, rationi obtemperent; neque eam, vel ſua ignauia deſerant; vel temeritate praecurrant; ſed tranquilli perpetuo, ac ſine turbis exiſtant. Patet ita, qua ratione etiam ex Platonis, vel potius Chriſti, atque eorum, qui cum Chriſto philoſophantur, ſententia, tranquillitati ſtudendum ſit; ſi Dei aeterni legibus obſequi, & hoc pacto virtutis, tanquam finis academiarum praecipui, in academiis ipſis capaces & participes fieri cupiamus. Eadem vero animi morumque tranquillitas, ad alteram ſcopi academici partem, quae prima cenſeri aliis poſſit, perquam vtilis, imo neceſſaria eſſe videtur: vt maius per eam eruditionis & ſapientiae lumen in diſcentium mentibus accendatur. Namque & cognita ſatis illa veterum Stoicorum doctrina; & a recentiorum compluribus approbata eſt: qua arctum firmumque adeo, huius quietis, & doctrinarum bona-

rum vinculum eſſe ſtatuitur; vt ſolus vir ſapiens, haud fallacis, ſed verae tranquillitatis particeps eſſe dicatur. Quemadmodum enim Olympi montis cacumen, ſemper quietum & placidum eſſe, commemoratur; vt nulla vis tempeſtatum aut flatuum eo perueniat: ſimiliter ſapientis animum multo eſſe nobiliorem firmioremque, pronunciant; quam vt furentium, ac digladiantium inter ſe, cupipiditatum procellas experiatur. Literarum quippe cultoribus, non ſolum otium; ſed hoc inprimis negotium eſſe debet: vt cogitent & inueniant: quae ad officium hominis, & ad ſtatum quietum, cum vniuscuiusque, tum ciuis praeſertim academici, requirantur. Nihili enim, tranquillitatis cognitio, ac ſcientia omnis habenda eſt; niſi & ſenſus huius virtutis, & continua eius exercitatio conſequatur. Imo turpior ille, maiorique ideo reprehenſione eſt dignus: qui contemplatur & nouit animi noſtri quietem, ſplendideque de ea & magnifice diſſerit; nihilominus tamen tumultuantium inter ſeſe affectuum aeſtu, in turbas ac vitia infinita abripitur. Hoc igitur ipſo, aeque vituperandum, damnandumque ſe praebet; ac imperitus muſicus ille apud poetam: qui cum fidibus canere, diu & an-

xie

xie didiciſſet; tamen, vbi ad ſpecimen artis ac peritiae ſuae edendum, inuitabatur; turpiter aberrabat: neque id, quod cum iactantia quadam profitebatur, praeſtare valebat. Vt vero haud poſſideri, ita nec obtineri ac diſci ſapientia poteſt; niſi tranquillis animis atque moribus, ad eius nos ſtudium accingamus; ſi non vmbram aliquam ſapientiae, pro ſapientia vera captare atque amplecti velimus. Talis ſcilicet intellectus humani, in intelligendo iudicandoq; eſt ratio; qualis oculi in videndo. Quae autem quis clarius ac diſtinctius intueri deſiderat; ea neutiquam in tranſcurſu tantum adſpicere; ſed conſiſtentem penitus & quietum, fixisque in illa oculis, contemplari oportet. Pari modo, collectis in ſe cogitationibus, & tranquillo admodum, conuerſoque ad rem praeſentem animo opus eſt; ſi rem melius atque accuratius ponderare; ſique id, quod verum rectumque eſt, in partibus eruditionis, perquirere, atque aſſequi ſtudeamus. Nam quemadmodum nubes ac nebulae, ſolem, in ſe ſatis ſplendentem & agilem, tamen oculis noſtris ſubducunt: ita affectus, omnesque turbidi motus, intellectui, veritatis veluti lumen eripiunt & obfuſcant. Qua de re, pri-

ma & maxima ſapientum veterum cura erat: vt animum ſuum, contemplationi intentum, a ſenſibus & affectibus, & ab omni omnino tumultu ac ſtrepitu auocatam, ad rem ſibi propoſitam, velut ad metam ac portum, dirigerent. Intueamur, ſi lubet, Chryſippum! qui deditus ſaepe ſtudiis; tanto tranquillitatis, inter philoſophandum, gaudio ac ſolatio fruebatur; vt quaſi exanimatus, & extra ſe poſitus, cerneretur. Cognitum quoque eſt omnibus, Archimedis Syracuſani, mathematici ſummi exemplum: qui non illis a rebus ſolum, quas ferret natura & produceret, ſtudiorum ſuorum quietem minui ac turbari non patiebatur; ſed in vrbis ipſius direptione, ita defixus in circulis & figuris fuiſſe, commemortatur; vt prius hoſtilem gladium corpore ſub ac tergo exciperet, quam a mentis attentae & placidae ſtatu dimoueretur. Et hac ipſa de cauſa Academici, ſapientem ſuum non ambulare, nec ſtare; ſed ſedere iubebant. Imo Pythagoraei philoloſophi, auditoribus ſuis, quinque annorum quietem ac ſilentium imperabant; ne intempeſtiuo videlicet linguae & corporis motu, a tranquillitate eiuſmodi, quae ad ſtudium contemplationemque eſt neceſſaria, abſtrahi ipſos atque auerti

ſi, contingeret. Quid ſummos hos ac egregios ſui aeui doctores; ſi miraculo ipſi aliquo, de morte in vitam redirent; de turbulentis & vagis quibusdam diſciplinarum cultoribus, iudicaturos atque dicturos, putabimus? Mirarentur omnino, dari hodie, & audiri ac cerni ſapientiae ſtudioſos: qui ſuis clamoribus ac tumultibus, rationis & ſapientiae vſu ſe ipſos defraudent. Forte ſuos etiam auditores ad ciues eiusmodi academicos ire iuberent; vt vel prauis ipſorum exemplis, a vitiis ipſi ac turbis deterrerentur. Prout Laecedaemonii, ſuos Helotas, in conuiuiis ebrios ac furentes, liberis ſuis proponere ac monſtrare ſolebant; vt his nempe ſpectaculis, ab ebrietate & luxu auerterentur; quum, quanta in iſtis vitiis turpitudo ineſſet; talem ad modum cernerent ac notarent. Ne proinde homines quoque increduli in pudorem nos dare, & confundere queant; praeſtat vtique, facta illorum & monita intueri; vel a Chriſto potius, quem agni inſontis ac placidi nomine honorare ſolemus, veram ſanctamque animi tranquillitatem haurire. Ex his nimirum principiis atque fontibus, academiae noſtrae ſtatuta ac leges fluxerunt: quarum aliae de virtutibus; aliae de doctrinis, iuuentute

academica dignis, ſalubriter ac prudenter ſancitae ſunt! Omnes vero ad commendatum a nobis, tranquillitatis & pacis academicae ſtudium, tanquam ad ſcopum ac centrum aliquod, referuntur. Eas igitur, dilectisſimi atque optimi ciues! velut Principum maximorum oracula, ex Loeffleri clarisſimi ore, vos ita excipietis; vt tantos quietis academicae auctores laudare, eorumque mandatis obſequi, glorioſum ac vtile vobis ducatis!

* * *

IAM RECITATIO LEGVM FIEBAT

* * *

REſtat, vt te, miſericordisſime Deus, Deus pacis, Deus ſapientiae, Deus virtutis, pii ac ſupplices veneremur. Nihil eſt, quod ad naturae tuae diuinae ſimilitudinem nos transferre certius posſit; quam illa, pacati animi, ac bene compoſitae vitae tranquillitas. Neque igitur prae ingenti ac ſummo hoc bono, tua vnius a bonitate ſi diſceſſerimus, bonum aliud aeſtimari & coli meretur. Tuo vnice beneficio, a duellorum, & omnis licentiae ignominia, ad concordiae ac modeſtiae decus; & a caliginoſo ac tur-

bu-

Digitized by Google

bulento viuendi genere, ad vitam ſerenam atque tranquillam adſpirauimus. Dabis ergo id votis & precibus noſtris: vt tranquillitatis hoc academicae bonum, proprium nobis ac perpetuum eſſe ſinas! vtque ſaluis Principibus ſereniſſimis, ceu pacis academicae conditoribus; ſaluis academiae Patribus, veluti pacis eiusdem cuſtodibus; ſacratiſſimum pacis publicae templum, quod Romae deſiit eſſe, Ienae noſtrae perpetuo exſplendeſcat!

DIXI.

V

QVod precatus a Vobis nouiſſime fui. Patres conſcripti! atque omnibus modis optaui: vt ad purpuratam hanc dignitatem, digniori alicui; mihi vero ad priſtinam vitae conſuetudinem, aditus quamprimum aperiretur! eius me voti, ſapientiſſimo veſtro iudicio, ac immortalis praecipue Dei beneficio, damnatum iam eſſe; vehementer gaudeo ac triumpho. Equidem nihil ſplendidius, & nihil magis hominibus optandum videtur, quam diuturnum & conſtans, perpetuumque imperium; quia

inſita eſt pleriſque mortalium, regnandi cupido: quae acris admodum apud complures; quin affectibus cunctis flagrantior eſſe ſolet. Mihi tamen, per integrum meae adhuc aetatis decurſum, parere magis, quam imperare adſueto; tot inſuper curae ac moleſtiae; totque odia & pericula, abunde his menſibus perſuaſerunt; quae ab imperatore aliquo iudicata meminimus: quod magna omnino ſeruitus, magna fortuna, ſecus, quam plurimi arbitrentur, exiſtat. Promtus igitur ego, laetusque ac volens, clauum regiminis academici; februario menſe, non tam dexteritati, quam fidei meae commiſſum, hodierno die deponam: inque amoenum & placidum ſtudiorum receſſum me recipiam; vbi ex veteris, & receptae adhuc conſuetudinis lege, Prorectoris officium, breui, ſed tamen appoſito ad hoc inſtitutum ſermone, reſignauero. Quemadmodum enim, qui complicatis iam velis, atque ceteris armamentis compoſitis, in portu quieſcunt; nauigationis mox ſuae euentus & fata, non ſine voluptatis maximae ſenſu, conſiderare ac repetere conſueuerunt: ita & mihi, adminiſtrati hucusque, & nunc finiti imperii curſum recogitare; & cuiusmodi, per ſemeſtre iſthoc aeſtiuum, ha-

habuerim regimen; quales item iſtius regiminis fructus obſeruauerim; more non aeque oratorio, quam aperto atque conciſo, tradere, & Vobiscum communicare licebit. Viſum enim eſt Deo, athenaei huius auctori, Nutritoribus noſtris ſerenisſimis eam nuperius mentem iniicere: vt in veteri ſua, & per ſecula duo cum dimidio, & vltra florente academia, nouum quendam regiminis modum, in cauſis grauiſſimis, hoc atque ſuperiori maxime anno, conſtituerent: qui & optimus omnium; & conditoris ſanctisſimi inſtituto, ad propagandam firmandamque religionem ſpectanti, conuenientisſimus videretur. Nihil igitur pietati ſincerae, ad placandum videlicet Deum directae, magis contrarium eſſe putabant; quam contentiones illas & rixas, vulneraque & homicidia: quibus & preces hominum, & omnem Numinis cultum magnopere impediri; quin diuinam Nemeſin aduerſus nos concitari; ex Dei iuſtiſſimi literis, atque omnium dierum exemplis, didicerant. Idem ergo religioſiſſimi atque optimi Principes voluerunt; quod Ioannes Fridericus elector, & prytanei huius fundator, vnice ac inprimis volebat: vt ſalana haec noſtra, religionis ſimul, tranquillitatisque & concordiae tem-

templum exiſteret: nullis poſtea caedibus; nullis iurgiis & conflictibus violandum. Hunc proinde in finem, ſemper antehac, & ab omnibus huius lycei Nutritoribus, ſed fruſtra intentum; nouas leges, edicto nouisſimo comprehenſas, tulerunt: ex quibus omnia fierent; & quae vnum in modum cum omnibus loquerentur. In quibus noſtrorum Principum ſanctionibus, omnes reperiuntur atque elucent virtutes; quae ad optimas atque perfectiſſimas leges, ab harum rerum prudentibus requiruntur. Nihil vtique illis ad honeſtatem ac iuſtitiam deeſt; cum nihil ſit rationi conuenientius, quam vt in vna degentes ſocietate, mutuis pacis atque humanitatis officiis, inter ſe coniungantur. Neque vllum eſt dubium, quin viuendo exprimi ac impleri adeo poſſint, haec magiſtratuum ſummorum mandata. Quid enim aut aequius, aut facilius eſſe, putabimus? quam ſibi ab ira & vltione priuata, in ſapientum hoc domicilio, temperare: vbi laedenti non minus, quam laeſo, praepoſitus magiſtratus, longe verius certiusque ſatisfacit vniuerſis, quam ſibi forſitan ipſi ſatisfacerent. Quod vero potiſſimum ſolet haberi in legibus; & quod primo ideo loco laudari par erat: omnia

omnia interdicti iſtius capita, inſtituto & ſcopo academiae noſtrae quam maxime ſunt accommodata; quoniam id edicunt & ſanciunt: vt humanitate pariter & concordia, omnes ac ſinguli, ad verae, & haud fucatae ſanctimoniae decus contendant. Vt autem haec noua regiminis academici forma, nouis legibus ſuperſtructa, tanto firmior atque auguſtior foret; ipſi Principes, penes ſe legum iſtarum arbitrium eſſe; ac praecipuas cauſas a ſuo vnice nutu pendere; bene & ſapienter ſubductis rationibus, voluerunt. Qua ex re, non minor profecto huic academiae ſplendor allatus eſt; quam ſocietatibus illis regiis: quarum nempe praeſidium, ipſi iam olim potentisſimi reges, in Gallia, in Britannia, inque aliis regnis: ſuſcipere & adminiſtrare dignati ſunt. Nobis praeſertim, academiae huius patribus, non honori ſolum, ſed voluptati etiam eſſe ſolet: tantos Principes, velut oracula quaedam diuina, conſulere; cumque iis frequentius agere; & ſententias, de rebus difficillimis & grauisſimis latas, ex ore ipſorum excipere. Quodſi enim Minoi atque Oſiridi, magnae a ſuis laudi ducitur; quod in Deorum ſuorum contubernio vixerint; & diuinum cum illis com-

commercium frequentauerint ; non minus certe laetandum, gratulandumque eſt nobis : glorioſisſimos Principes, ceu Deos quosdam terreſtres, ſuis nos ſatiare ſermouibus, ſuisque nos legibus ac praeceptis firmare. Neque interim aegre tulerunt clementisſimi Duces: idem aliquando nos agere, quod Deorum antehac miniſtri agebant ; & pro ciuibus noſtris humiliter deprecari ; ac, ne aliquid grauius in nonnullos ſtatueretur, noſtris literis atque rationibus impedire. Hoc enim omnibus gaudiis ac triumphis hodie antepono : nos ſemeſtri hoc ipſo, ſerenisſimorum Principum pace, aliquos ab infamia, & integrorum annorum vinculis liberasſe ; quosdam etiam ex magiſtratus ſeuerioris, & ipſius carnificis manu eripuiſſe. Qua tamen in re, ſapientisſimi Duces hoc iuſtitiae & clementiae temperamentum ſibimet ipſis indicere voluerunt: vt ſupplicationes hae noſtrae ac preces non tam pro improbis, quam pro bonis valerent. Eſt nimirum hoc magnis principibus, Deique ipſius imaginem inter mortales gerentibus, cum Deo commune : vt ſuae vi ſanctimoniae ac iuſtitiae, non posſint non deteſtari malorum pertinaciam, ac punire. Quam enim horren-

renda & grauis, hoc nouiſſimo quoque ſemeſtri, ira aliquando Deorum extiterit; illi inprimis experti, & exemplis propterea ſuis teſtati ſunt: qui exiſtimationis tunc ſuae periculum, non ipſis ſolum, ſed nobis quoque dolentibus, ſubierunt; & ſibi non minus, quam aliis, documento fuerunt: quod malitia ſibi ſaepius ipſa exitium ac poena euadat. Quantum ad nos atinet; in his atque ſimilibus animaduerſionum generibus, nihil hucusque aliud egimus; quam quod agere nos oportuit: vt publicaremus nimirum, & ad actum adeo transferremus illorum ſententias, qui nos non dominos legum; ſed miniſtros atque cuſtodes, in hac academia eſſe iuſſerunt: quibus adiicere quaedam, aut demere, neſas putauimus. Abſit enim, vt pietate & obſequio erga sereniſſimorum principum iuſſa, cedere quicquam nos debuerimus antiquis Romanis: qui negligentius agere, quod eſſet mandatum, in priuatis etiam rebus, teſte Tullio, indecorum pariter & flagitioſum putabant. Porro ex nouis his poenis, nouoque regiminis modo, minus adhuc detrimenti in malos, quam emolumenti in bonos, totamque hanc academiam, redundauit. Et principio quidem hic locus ſanctiſſimus, nullis foe-

foedatus eſt caedibus ac vulneribus: quae funeſtam hanc vrbem, & prope infamem apud exteros, praeter ſuam atque bonorum omnium culpam, annis ſuperioribus reddiderunt. Hae enim maligni genii fraudes & machinae quondam fuerunt: vt adoleſcentes ac iuuenes, vino vel cereuiſia graues, committeret; laudisque inanis perſuaſione incenderet; & ad ſuum eosdem aliorumque exitium ſtimularet Vetant igitur iſtam crudelitatem nunc leges iuſtiſſimae; rabiemque cyclopum inhibent; & ne temporum priſtinorum delicta ac ſcelera, cum horrore amplius, iratique Numinis metu, adſpiciantur, efficiunt. Quemadmodum ergo minor feritas ac ſaeuitia; ita maior ciuium ſtudioſorum probitas ac modeſtia, his temporibus celebrari, & inter mutati regiminis fructus maximos referri meretur. Pleriſque enim literatorum iuuenum, nimis inuiſa eſt hodie, illa ante actorum annorum malitia ac licentia: in eo tunc coetu exercita, quem optimum & cultisſimum eſſe, conueniebat. Quae enim, malum, opinio erat! nullo aliquem loco aut honore futurum, ſi per plateas & forum non graſſaretur; ſi tumultus ſeditionesque non concitaret; ſi non procaci ac impio ore

hone-

honeſtisſimos quosque laederet atque inſectaretur. Dantur quidem & hodie, qui probroſum hoc atque pudendum vitae academicae genus, ſi id licitum esſet, amplecterentur. Aſt plurimi tamen, haud ſecus, quam obſequentes filios decet, tranquillitatis ac modeſtiae laudem comparant; nihil per petulantiam cupiditatemque temere admittentes. Et parum vtique abeſt, quin de plerisque omnibus, qui ſtudiorum, cultusque maioris gratia, Ienae hodie commorantur, idem penitus, quod de Hippomachi quondam diſcipulis, ſtatuendum atque dicendum ſit: quod inſtituto viuendi, ac emendatisſimis moribus, ab aliis ipſi iuuenibus diſcernantur. Quem proinde ad modum principes pii, ſtatutis ac legibus; ita plerique ciuium, virtutis nunc ſuae atque humanitatis ſpeciminibus, plures longe, quam olim, ad academiam noſtram alliciunt atque inuitant. Vere enim aſſeuerare, & gloriari quodammodo poſſum: plures numero literarum cultores, vno iſthoc ſemeſtri, quam annis antehac integris, aduenisſe: nec ſolum ex Germania; ſed ex Suecia quoque ac Dania, atque ex Tranſſyluania & Hungaria, multisque ex aliis, longe disſitis regnis ac prouinciis, aduolaſſe. Pulchrum

profecto aliquid, & optabile in bonarum artium officinis; eſt iuuenum ſtudioſorum, ſicut genere ac fortunis, ſic forma & ingeniis diuerſorum, concurſus: quo nos hodie, cum Lutetiano fere & Patauino lyceo, vix incerta amplius palma, certamus. Quamuis enim in grege promiſcuo parum nos laudis ac gloriae ſtatuamus; quando tamen academiae noſtrae frequentia, bonitatis praeterea ac virtutis eſt ſignum; nemo iam nobis vitio vertet; ſi in vobis, o boni! qui copioſo ad nos exercitu confluxiſtis, & porro etiam confluetis! praecipuam ſegetem noſtri gaudii ac ſolatii deinceps ponemus. Mactos vos igitur hac virtute & gloria eſſe iubeo: qua nunc bene audimus, tam apud vicinos, quam exteros: quorum nos olim, ſiue errore, ſiue iudicio, diſſoluti penitus, ac tantum non infames eramus. Modo hanc porro operam date, ornatisſimi ciues! vt laudemini a viris laudatis; quicquid etiam petulantes & mali de vobis pronuncient. Ciceronis nimirum exemplo: qui a ſolo cum praedicaretur Catone; ſe reprehendi & carpi a ceteris, haud aegre ferebat. Sic Deo, ſic principibus, ſic prorectori futuro vos commendabitis: qua ampliorem glori-

am in aetatem & ordinem veſtrum non cadere, iudicabitis. Nam quod ex rei academicae vſu, ac feliciter cedat! ſignificandum nunc mihi, publicandumque omnibus venit: Prorectoris munere ac inſignibus, de concordi ſenatus ſententia, ornari ac noſci in praeſenti debere, ſumma reuerentia dignum, ac excellentiſſimum virum, Michaelem Foertſchium, theologum in hac ſalana primarium, ſuique collegii ſeniorem, meritis & exiſtimatione egregium. Quem vt in oculis feratis, o ciues! immortalis Dei nomine, cuius is vicibus in hoc athenaeo fungetur, omnes vos moneo atque adhortor. Tu vero, Prorector magnifice! ſplendidum ac ſublime hoc munus ex voto aggredere! eiusque te ornamentis, a ſenatoribus reliquis ſeparari, permitte! Principio ſceptra, potentiae & iuſtitiae documenta; deinde ſigillum, tanquam religionis ac prudentiae pignus, a me tibi defertur. Similiter claues iam traditas, diſciplinae & cuſtodiae inſtrumenta; librumque hunc ſtatutorum, poteſtatis academicae, ad mores ac leges adſtrictae, interpretem eſſe, putabis. Tandem pallium hoc purpureum, dignitatis, ac regii ſaepe ſplendoris inſigne, tuis humeris circumpones. Ludoui-

cum XII, regem Galliae, memorant, cum in Ticinenſium olim academia, ad collegii aedem veniſſet; Iaſonem Mainum, iureconſultum percelebrem, auditurus; Iaſoni ſiniſtrum adequitaſſe; &: tuum nunc, Iaſon, incipit regnum! voce benigna & clara pronunciaſſe. Pari Te merito ratione, formulaque eadem compello, Foertſchi magnifice! qui dextrum Tibi antehac latus clauſeram, mox adſtiturus ſiniſtro: Tuum, vir honorate & magne! nunc incipit regnum, in ſcientiarum hac ſede adminiſtrandum! Viue, Prorector academice! floreque & vale! Neque minus & Vos, generoſi ac ornatiſſimi ciues! viuite, florete, valete!

DIXI.

VI

QVod laetum auſpicatumque ſit! eius nunc inſtituti gratia, in hunc locum adſcendi: vt virtutis theatra inſtruam; vt eruditionis munera edam; vt honorum philoſophicorum inſignia, libros, annulos, pileos, viris atque iuuenibus doctis diſtribuam. De his ritibus, & vos, Patres conſcripti! & exemplo veſtro complures, decore exiſtimant:

cum

cum & auctoritate imperatoris; & academiarum conſuetudine; & ſuo quoque ſplendore, ſatis ipſi ſe tueantur. Fuiſſe tamen antehac, memini, & iam quoque futuros, coniicio: qui, vt ipſi ſunt vani; ita omnes has ceremonias in ludicris mundi ponendas; & in eruditorum comoediis, rebusque ridiculis numerandas, cenſebunt. Quamuis autem Athenienſium veterum inſtitutum, quo ridere in academia, tanquam in ſacra Muſarum ac Apollinis ſede, nefas ducebant, a me imperari non poſſit; neque tamen a die & actu hoc alienum putabitur; ſi veram & antiquisſimam, quae mihi quidem ſit nota, inſignium horum originem tradere & interpretari aggrediar. Minime quidem, vt viros peritos & graues erudiam; ſed vt eos commonefaciam, qui de ſacris ac feſtis his ritibus, neſcio, quas opiniones ridiculas imbiberunt. Iam ſi cunctorum memoriam temporum, inde a primis mundi incunabulis, repetamus; nullam fere aetatem, artium bonarum expertem, aut penitus rudem fuiſſe, deprehendimus. Quae perpetua literarum, in orbe, qui habitatus eſt, propagatio, procul dubio, ab eodem arceſſenda eſt Deo; qui Adamum, humani generis principem & pa-

 ren-

rentem, literas primus edocuit; & qui poſtmodum eas inter Adami poſteros conſeruauit. Cum his igitur, literarum quoque hoſpitia, quae ſcholas & academias appellamus, non inter Iudaeos ſolum, Romanosq; & Graecos, celebrata ſunt; ſed ipſi etiam barbari, velut praeſidium quoddam aduerſus barbariem, in ludis eiusmodi literatiis quaeſiuerunt. Quemadmodum autem ſtirpes & arbores, ab infirmis radicibus, in magnam ſaepius molem excreſcunt: ſimiliter ſcholae, ab initiis paruis, ad academicae iſtud perfectionis faſtigium, non niſi progreſſu temporis, peruenerunt. Maiori equidem apparatu, a Gaecis atque Romanis, quam antea ab Ebraeis aut barbaris, bonarum artium officinae inſtruebantur. Quin & noua ad ſcholas acceſſio, Conſtantini poſtea magni, ceterorumque caeſarum, qui ad Chriſtum adiuncti ſunt, cura fiebat. Sed nulla adhuc in orbe terrarum reperta fuerat academia; quae tali ſe ſtatu & facie, qualem hodie cernimus, cognoſcendam ſe intuendamque praeberet; donec decimum tertium, a ſeruatoris natali, ſeculum, eam felicitatem ac gloriam, academiae Pariſienſi, nono iam ſeculo inchoatae, afferret: vt tanto haec effulgeret lumine & ornatu; quan-

quantus nec ipſi, nec ſcholis Europae aliis, ante obtigerat. Ab eo enim tempore, & rectores academici, & decani, & quatuor profeſſorum ſocietates, & alia, quibus tam ciuitatis academicae forma, quam perfectio continetur, in diplomatibus, ad lyceum Pariſienſe a pontifice exaratis, nominari ac ſcribi coeperunt. Cernebaturque in his, vſitata, & nota hodie, reipublicae literatae adminiſtratio: cuius vt complementum aliquod, ita faſtigium, in praemiis & honoribus conſiſtebat; quibus doctorum ac bene merentium ſtudium affici & ornari, tam iuſtitiae, quam boni etiam publici referebat. Igitur in eadem Pariſienſium vrbe, eodemq; ſeculo, tertio nempe ac decimo, quo mater haec academiarum ad ſummum euehi coepit, gradus atque honores academici ortum etiam habuerunt. Si qui enim doctores atque magiſtri ante hoc aeuum innotuerunt; illi officii potius, quod in docendo & gubernando poſitum eſſet, quam dignitatis ac praemii nomen geſſerunt. Illa autem, qua diximus, tempeſtate, characteres iſti ſollemnes, ac tituli orti ſunt; quibus ſtrenui literarum cultores a negligentibus, a rudibus eruditi; dignique officio publico, ab indignis diſcernebantur: &

quibus etiam hodie, bona atque praeclara ingenia, ceu pabulo quodam, aluntur; & tanquam ſpiritu atque oleo inflammantur; & ad incrementa vlteriora, viresque & copias, ſubuehuntur. A quibus vero initiis academicorum honores; ab iisdem etiam honorum iſtorum cerimoniae profectae fuerunt; ne, quemadmodum aer ſine luminibus, ita gradus ſine inſignibus, obſcuri quodammodo apparerent. Haec ſolennia, qui tanquam inepta & ludicra, reprehendunt; illos omnium nationum ac gentium conſuetudinem inſectari oportet: qua reges ac principes ipſos, certis adhibitis ritibus, conſecrare ac introducere conſueuerunt. Neque facere poſſunt hi Zoili, quin ipſius aeterni & ſapientisſimi Dei laudibus detrahant: qui ſacerdotibus etiam, & hominibus ſacris, per varia indumenta ac ritus, venerationem aliquam dignitatemq; conciliandam, putauit. Magna enim his cerimoniis vis atque exiſtimatio ineſt; apud plebem praecipue: quae cum propriam internamque virtutis ſpeciem haud cognoſcat; eam ex ornamentis externis perſpicere, atque colere hac ratione docetur. Haec videlicet cauſa, non Romanis tantum & Graecis, ſed Ebraeis quoque ac barbaris conſtitit; quare ſuos

os iam olim doctores certis ſignis initiarent, ac ſui ſimul muneris admonerent. Hunc ſapientum veterum morem, ille Galliae ſuae maecenas, Peireskius, obſeruatore Gaſſendo, ex picturis & ſtatuis, monumentisque variis, demonſtrare ſolebat. Eo quippe interpretabatur vir maximus Metrodori ſtatuam, cum pileo ſuo Arcadico, atque inſulis, nec non pallio philoſophico, atque annulo in manu ſiniſtra; columnasque Hippocratis aliquas, haud diuerſo habitu pallioque ornatas. Referebat & huc inſcriptionem Peireskius Eubuli Marathonii; atque ſtatuam, vna cum inſula, non ad ceruices ipſius, ſed circum caput locata; nec non ſimiles Phauorini ac Theophraſti, atque Platonis ſtatuas; cum Gothorum metallis, in quibus ſcilicet mitrae, pileorum ſpeciem praeferentes, obſeruabantur. Oſtendebat hac ratione vir ſummus: quomodo haec inſignia, ex philoſophia & ſacerdotio veteri, in academiarum doctrinam, profesſionemque variam, velut per gradus translata ſint: citatisque id propter conciliis, ac theologis & poetis, nec non hiſtoricis ac philoſophis, atque oratoribus; plenam his ac ſimilibus fidem facere laborabat. Perſuaderem vero & mihi, primos inſignium

academicorum auctores, his, quae Peireskius preſſit, veſtigiis inſtitiſſe; ſuaque ſollemnia ab Romanis ac Graecis, forte etiam a doctoribus aliis, mutuatos fuiſſe; niſi temporum horum barbaries ac inſcitia ex aduerſo occurreret. Neutiquam enim vero eſt ſimile: antiquitates Italiae atque Graeciae, ab illis hominibus conſideratas fuiſſe: qui non illas ſolum; ſed ipſas etiam nationum iſtarum literas ignorabant. Quicunque igitur magiſtrorum atque doctorum inſignia, ſeculo tam indocto ac rudi; quale decimum atque tertium fuit, introduxerunt; illi de ſuo magis, quam alieno ſumſiſſe, credendi ſunt. Ea vero, vt reliquorum regnorum, ita Galliae fata tunc erant: vt praeſulum Romanorum ambitio atque impotentia, tam in aliis, quam ſcholaſticis rebus, dominarentur: & vt iniuria quoque pontificibus fieri crederetur; ſi quis regum aut principum de ſcholis & academiis quicquam ſtatueret. Siue igitur Nicolaus quintus, ſiue alius papa, ad Romanae reipublicae clauum tunc ſederit; illius ſane auctoritate ac iuſſu, honorum etiam academicorum inſignia, atque reliquos ritus inoleuiſſe oportet. Neque igitur mirum, ſi a ſacrificulorum hoc principe, ornamen-

menta etiam ſacrificulorum; quae prioribus ac politioribus ſeculis, a Romae ac Graeciae priſcae ritibus profluxiſſe, haud abnuo; in honoris academici vſum translata ſunt. Certe pileus, ſacerdotum eſt habitus; ipſis etiam aulae pontificiae purpuratis, ſeu cardinalibus, ab Innocentio quarto donatus. Parem ad modum cereos, atque annulum aureum, in conferendis coetus diuini dignitatibus, adhiberi, nemo ignorat. Quare pleraque magiſtrorum inſignia, Romanorum a ſacerdotio; ſolus liber & cathedra a Iudaeis fluxerunt. Ex his cathedra, ceu dignationis Rabbinicae ſignum, apud Ebraeos laudata atque recepta eſt. Per libri vero traditionem, & a Deo Adamum, & ab Adamo Enochum, & ab aliis alios, in doctorum numerum cooptatos fuiſſe; iidem Eberis poſteri arbitrantur & iactant. Cum his autem agendi, & inſtituta proinde aliqua ac ritus diſcendi, occaſio, ſicut Pariſienſibus, ita Romanis deeſſe, illa etiam tempeſtate, haud potuit. Ceterum propter virorum ſacrorum, ſiue, vt ipſi nominant, clericorum inſignia; doctores etiam & magiſtri chriſtianorum, fieri clerici; & olim ſunt crediti; & hodierno adhuc tempore a multis creduntur. Neque vero

dis-

diſſimulanda hoc loco antiſtitum Romanorum calliditas ac ſuperbia venit: qua ſub virorum religioſorum hoc habitu, renunciatos in ſcholis doctores, ſibi ſolis ſubiicere; quin imo, ad excutienda caeſarum, regum, principumque imperia, animare eosdem ſaepius voluerunt. Quae veſania ſicut a nobis longiſſime abeſt: ita vtimur his inſignibus; non, prout a pontificibus introducta; ſed prout ab imperatoribus ac principibus approbata ſunt; quibus ipſi primum pontifices paruerunt. Vtimur, inquam, his ceremoniis, cum libertate eadem; qua, cummuni cum pontificiis coelo & aere frui ſolemus. Vt vſum videlicet eorundem & ſcopum, non ad cultum pontificis; ſed ad imperatoris ac principum decus, atque ad Dei inprimis gloriam, referamus.

* * *

HIS SERMO DECANI COMMENDATITIVS SVCCEDEBAT.

* * *

HOrum proinde auſpicio, tanquam clauo aliquo, prora veluti noſtrae orationis ad renunciationis publicae portum iam conuertetur; ſi fidem antea veſtram, candidati digniſſimi, & a Decano am-

amplisſimo commendati! in ea vos adſtrinxeritis capita, quae iusiurandum praeſcribit. Recitabis idcirco, Oefflere praeſtantisſime! formam nunc obligationis: in quam vos, Iuuenes ornatisſimi! tacto digitis academiae ſceptro, fideliter ac religioſe iurabitis!

* * *

IAM IVREIVRANDO PRAESTITO, HAEC SOLLEMNIA AB AVCTORE OBSERVABANTVR.

* * *

QVod igitur academiae noſtrae honorificum, ac reipublicae ſalutare exiſtat! Ego Ioannes Caſpar Posner, artium liberalium ac philoſophiae magiſter rite creatus, eloquentiae in hoc athenaeo profeſſor, ac legitime conſtitutus procancellarius & brabeuta, ea fretus auctoritate, quae ab imperatore auguſtisſimo datur atque conceditur,

Te, Ioannem Bernardum Mullerum, in ciuitate Rhodana, diaconi dignitate conſpicuum, abſentem, tanquam praeſentem;

Te, Io. Fridericum Huſſum, ſcholae Ronneburgenſis rectorem, abſentem, tanquam praeſentem;

Te, Vitum Henricum Haſenmullerum, Vthi-

Vthinenſem, Holſatum, abſentem, tanquam praeſentem;
Te, VVilhelmum Iuchium, Erfurtenſem;
Te, Georgium VVilhelmum Hinckeldey, Nordlingae in Sueuia ortum;
Te, Io. Roesnerum, Noribergenſem;
Te, Io. Chriſtianum VVoyt, Schlaizenſem, Variſcum;
Te, Io. Henricum Bocriſium, Enerbacenſem, Francnm;
Te, Io. Georg. Fuchſelium, Burgellenſem;
Te, Michaelem Reislandum, Ingeslebienſem. Thuringum;
Te, Io. Auguſtum Siedelium, Doeblenſem, Miſnicum;
Te, Ioannem Chriſtiani, Dagebullenſem, Holſatum;
Te, Fridericum Eliam Leuckhartum, Francohuſanum, abſentem, tanquam praeſentem;
Te, Georgium Conradum Coruinum, Naſſouienſem, abſentem, tanquam praeſentem;
Te, Io. Beniaminum Huhn, VValtershuſae, in terris Gothanis, genitum;
Te, Bartholomaeum VVelckerum, Rochlizenſem, Miſnicum;
Te, Io. Caſp. Heydelmannum, Slaizae apud Variſcos procreatum;
Omnes vos, inquam, ac ſingulos, doctores

ctores, ſiue magiſtros philoſophos creo, creatos renuncio; renunciatos proclamo; & vt ab hodierno Vos die, pro philoſophiae doctoribus habeamini; Dei Patris, Dei Filii, & Dei Spiritus ſancti nomine, volo, iubeo, ac decerno. Quo ipſo, omnia Vobis nunc iura ac priuilegia tribuo; quae in aliis academiis, cum gradu ac titulo iſthoc tribui conſueuerunt!

Finire hic poteram; niſi illae reſtarent ſolennitates ac cerimoniae: quibus, renunciati iamiam magiſtri, vſitato, praedicatoque antea more, initiantur, ſuique officii admonentur.

Ac principio quidem, Magiſtri clariſſimi! in hac cathedra, loco cunctis conſpicuo, comparere vos volui; documento ac ſigno haud dubio: poteſtatem nunc vobis omnibus fieri, in cathedra poſthac ſuperiore docendi, quae in ſubſelliis modo inferioribus didiciſtis.

Quod Magiſtrorum, ſiue docentium munus vt impleatis; plurima vobis & aſſidua lectione eſt opus: qua non alatur ſolum doctrina; ſed etiam augeatur: & ne natos in cerebro forte errores, veluti prolem ſuam ſimiae, ſtatim exoſculemini. Quem ego in finem, libros vobis, eosque apertos, propono!

Ne vero per vſum librorum neceſſarium

um, ſua cuiusque meditatio, rerumque nouarum inuentio, videatur excludi; ecce comprimo libros, qui a me explicabantur.

Porro pileus, veſtris a me capitibus imponendus, quemadmodum libertatis eſt pignus: ſic illam praecipue libertatem vobis omnibus in mentem reducet: qua ab inſcitiae, prauorumque motuum ſeruitute, immunes vos eſſe, ipſo poſtmodum actu probabitis.

Praeterea annulus, quo iam digitos veſtros redimio, arrabonis ſuſtineat vicem: quo vobis virtutem & ſapientiam, quodam velut connubio iunxi, propriamque dicaui.

Quemadmodum vero ſolennitates hae conſuetudini; ita votum religioni eſt dandum: quod nos vniuerſi ad te, ſumme artium artifex, & magiſtrorum magiſter, concipimus! Te enim praeſentis diei hilaritas atque pompa loquitur! Tuam nobiscum gratiam canunt organa; oſtentant inſignia; & ipſi, qui praeferuntur, cerei, vel caecutientibus quoque illuſtrant. Reſpice, Deus optime, has Magiſtros ſeptendecim! vt, quas hauſerunt, doctrinas; quos obtinuerunt, honores; Tuae gloriae, ac reipublicae bono deuoueant! vtque his, tanquam ſtimu-

ſtimulis incitati, ad praemia aeterna adſpirent!

Dum orationem ſic meam abrumpo; nunc vobis loquendum eſt, creati a me Magiſtri clarisſimi! ne mutae aut pictae ſolum perſonae, in proſcenium a me productae, exiſtimemini.

Tu proinde, Magiſter eximie ac doctisſime, Guilielme Iuchi! allata in medium quaeſtione; & tuam ipſius eloquentiam ac doctrinam teſtaberis; & accuratius de hoc argumento dicendi occaſionem, ampliſſimo excellentisſimoque Viro, Ioanni Iacobo Syrbio, diſciplinae tam logicae, quam metaphyſicae profeſſori ordinario atq; celeberrimo, collegae meo atq; patrono plurimum honorando, praebebis.

Tuum denique erit, doctrina ſimiliter tua ſpectate, Magiſter Georgi VVilhelme Hinckeldey! manum vltimam huic ſolennitati imponere; & tam Deum aeternum, quam glorioſisſimos Principes, atque auditorium iſtud illuſtre, conditis a te verſibus, &, quas ſinguli ipſorum merentur, laudibus celebrare.

VII

Illius nunc muneris partes, ab amplisſimo ſapientum ordine mihi manda-

tas, ſuſcipere ac explere ſuſtineo: vt Viros iuxa ac Iuuenes politisſimos, qui ad intima, ſicut virtutum, ita ſcientiarum adyta penetrarunt, Magiſtrorum titulo iuribusque exornem. Nemo autem, vel honoratisſimorum procerum, vel auditorum ac hoſpitum, pari prudentia ac doctrina praeſtantium, eſt futurus; quin ſolennitatis hoc genus, receptumque in diſciplinarum ſedibus inſtitutum, ſuo calculo approbet; honorumque iſtorum inſignia, partim vt bene merentium praemia, ipſius iuſtitiae lege debita; partim vt incitamenta aliqua, quibus ſe iuxta & alios, candidati clarisſimi, ad maiora exſtimulent atque inflamment, non ſine tacito quodam fauore ac plauſu, intueatur. Sapienter enim, quemadmodum ſolebat, Lycurgus, aduerſus Leocratem verba facturus, inter praeſtantisſima, inſtruendae pariter, ac perficiendae ad commune egregium, iuuentutis ſubſidia, conatuum praeclarorum mercedem, tributaque dignioribus praemia, referebat. Ac ſi in florentiſſima quondam Athenienſium ciuitate, Themiſtocles, Miltiadis vnius tropaeo, ne ſomnum caperet aut quieſceret, ad acquirenda virtutum atque laborum ſimilium ornamenta, excitabatur; quidni in athenaeo hoc noſtro, ad

ad exterorum inuidiam celebrato, plures literatorum Themiſtocles, tanto acrius ac frequentius incendantur; vbi non modo vnius, ſed multorum Miltiadum, in hoc templo inſignia, ac tropaea admirabuntur? Eant igitur titulorum iſtorum & graduum contemtores, ſuamque, ſi aliquam habent, frontem perfricent; & Anabaptiſtarum atque fanaticorum ſociis; qui, quemadmodum ipſis academiis, ſic honoribus quoque academicis, ruinam minantur; caeco impetu ac furore applaudant! Ab anteſignanis his ſuis ac ducibus, quidam hodie dignitatis iſtius obtrectatores, in eo ſe ſeparant: quod, cum illi diuina quaedam oracula, ad mitrae philoſophicae odium & contemtum detorqueant; iſti, veluti omnis, non ſcripturae tantum, ſed etiam rationis expertes; nullam plerumque aliam, leuitatis ſuae ac inſolentiae cauſſam allegent; niſi quod ipſum non raro magiſtri vocabulum, tanquam leue aliquid & abiectum, nec praeclaris ingeniis dignum, traducant. A quorum ego opinione ac inſania, quoniam ita abhorreo; vt nihil hoc titulo honoratius, atque pulchrius aut venerabilius eſſe ducam; propterea pace nunc veſtra, auditores exoptatisſimi! eam mihi ad perorandum

materiam ſumere, ac prae ceteris, quae meditantis deliberantisque animo occurrebant, eligere, mecum conſtitui: vt ex ipſo Magiſtri nomine, ab aduerſariis atque calumniatoribus noſtris tantopere oppugnato, argumenta colligam; quibus honoris hoc academici genus ab imperitorum hominum faſtu vindicem, &, quantum in me poſitum erit, defendam. Enimuero in cunctis mortalium rebus, id venerabilius, ac honore praeſtantius eſſe creditur: quod vetuſtate, ſeu duraminis ſui longitudine, multis aliis antecellit. Prout non Plato ſolum; ſed, quorum non paulo maior eſt apud chriſtianos auctoritas, primi atque praecipui coetuum ſanctiorum doctores, vno ore pronunciarunt. Quis inficiari proinde, aut in dubium ſaltem vocare audeat? Magiſtri ſimiliter titulo, multis atque innumeris abhinc annis reperto, ab hac certiſſima eius antiquitate, multum decoris ac ſplendoris conciliari? Huius enim origo, a primis latinitatis incunabulis, atque ab illis ſeculis arceſſenda eſt: vbi Marcus Accius Plautus, ille ſermonis Romani ac elegantiarum omnium pater, caput adhuc inter latinos veteres efferebat. Cuius deinde exemplo, oratorum omnium princeps, Cicero; &
hu-

huius auctoritate, alii, magiſtrorum vocabulum, non modo de magiſtratibus ac principibus; ſed de iis praeterea vſurparunt, qui docendarum diſciplinarum & artium facultate; qualis ſcilicet magiſtris philoſophiae tribui ſolet; praecellerent, ac iuuentutis formandae partibus, a literatorum vulgo dignoſcerentur. Ingens quippe ac honorificum munus, obſeruatore Tullio, his temporibus erat, profiteri palam, ac re ipſa teſtari: eſſe aliquem, cunctis tacentibus, vnum, qui in attento atque frequenti hominum coetu, de rebus maximis atque praeſtantisſimis audiretur. Multoque tunc potius ac inſignius factum exiſtimabatur: ab inſcitia atque imprudentia animum liberare; quam immune a morbis ac periculis corpus praeſtare. Quem proinde ad modum, vocabuli huius auctores, ad egregiam oppido, atque omnium ſecultorum conſenſu, honorificam, praeceptorum prouinciam, reſpexerunt: ſic praeclaras non minus docentium dotes, virtutesque eorum praecipuas, ipſis nominis huius natalibus; ex quibus, vt hominum, ita rerum quoque nobilitas, magna ex parte arguitur; deſignarunt. Ac licet philologorum magiſtri, ab aliis atque aliis fontibus hanc vocem deri-

 uent;

uent ; in eo tamen congruunt & conſentiunt vniuerſi : vt, qui literatorum nonnullos, magiſtros primum vocauerint ; eos magnum aliquid ac eximium ſuis mentibus agitaſſe, affirment. Plerique, Paulum iureconſultum ſecuti, inde nomen obtinuiſſe magiſtros, coniiciunt ; quod magis praeſtare aliis, ſicut contentionis ac ſtudii, ita doctrinae & ſapientiae laudibus, cenſerentur. Quod non approbaturi tantum ; ſed exaggeraturi inſuper, crititicorum aliqui, eo vsque procedunt ; vt ſcientiarum artiumque magiſter is demum haberi ac dici, ante alios mereatur, qui ter aliis eruditis praeſtantior, maiorque exiſtat. Neque diuerſum aliquid, Graeculorum nonnulli, vocem iſtam ac titulum a Romanis ſortiti, in oculis habuerunt : quibus magiſter aliquis, haud ſecus ac *μέγας ἵςωρ*, hoc eſt vir magnus atque inſignis ſcientia, ſalutatur. Porro omnia iſta eo redeunt, ac ita interpretanda ſunt : vt magiſtri vocabulum, tanquam ipſius doctrinae ac ſcientiae nomen, putetur. Haec autem eiusmodi literatorum eſt virtus ac perfectio : quae & a ſapientiſſimo Deo eſt orta ; & doctorum animos ad diuinitatis priſtinae ſplendorem adducit. Ac velut in beatorum inſulis, eſſe

eſſe arbores quaedam dicuntur, quarum & flores iucundisſimi, & fructus pulcherrimi, nullo tempore exareſcant: ſic in eorum, qui ante ceteros ſapiunt, ac res praeclaras intelligunt, mentibus, cogitationes pariter, ac virtutes egregiae, vel inchoantur adhuc, vel ad maturitatis atque perfectionis faſtigium prouehuntur. Tales ſcilicet ſuos magiſtros, ſicut nomine, ſic re ipſa exiſtere, ſapientum principes voluerunt: quales a Chaldaeorum atque Perſarum gentibus magi, a quibus magiſtri titulum Chriſtianus Becmannus repetit, aeuo veteri laudabantur. Qui quemadmodum eruditione & ſapientia alios quam longisſime ſuperabant: ſic digniores ceteris habebantur, qui ad ciuilis & ſacrae reipublicae clauum ſederent. Imo Vosſius, qui recentiorum temporum Ariſtarchus eſt creditus; quando a dictione Graecorum, *μέγιϛος*, quae hominem maximum atque potentisſimum notat, tituli magiſtrorum primordia ducit; non tam doctrinae aut ſcientiae, quam poteſtatis atque imperii nomen id eſſe, contendit. Qualem nempe in modum, magiſtri ciuium ac militiae, in vrbe olim Romana, audiebant, qui apud milites atque populum, ſummam rerum admini-

ſtrabant: & magiſtri palatii, hodierna adhuc aetate, a Romanorum praeſulibus, cum cenſendorum librorum, in lucem apud Papaeos exeuntium, poteſtate, conſtituuntur. Licet me animi adhuc pendere, profitear, num nobilius vlli imperium atque regimen congruat; quam, qui ex ſapientiae, in magiſtros cadentis, legibus, ſuum animum continere, ac ſe ipſum in poteſtate habere, didicit atque adſueuit. Hoc, inquam, praeſtantius longe ac diuinius regnum, praeſtantisſimus ipſe ac prope diuinus Seneca iudicauit; quam ſi gentes quis barbaras, & arbitrii alieni impatientes, coerceat & gubernet. Quid enim aliud agunt artium praeclararum magiſtri; niſi vt iis, quorum animos formant, praeceptisque egregiis imbuunt, verae ac ſolidae ſapientiae inſtituta, & quasdam veluti leges praeſcribant? Quamobrem Diogenes Cynicus, a Xeniade olim Corinthio: quid artificii ipſe addidiciſſet, & inculcare aliis conſueuiſſet? rogatus: noui, aiebat, hominibus liberis ac ingenuis imperare. Tum Xeniades, reſponſi tam veri ac ſolidi admiratione percullus; & manumittebat Diogenem; & filios ei ſuos tradebat: accipe, inquiens, meos liberos! quibus & ipſis poſtea

im-

imperes, ac regnantium more, praecipias. Haec & ſimilia, docentium beneficia atque ornamenta, magiſtri voce expreſſa, ſuis animis reputaſſe, cenſendi ſunt; qui Magiſterii titulum vel excogitarunt primum; vel repertum ab aliis, ſibi, velut peculiarem ac proprium, vindicarunt. Poſtquam ergo Veſpaſianus, exemplo Athenienſium, Romae; atque Carolus magnus, & alii caeſarum, in ciuitatibus aliis, viros eruditos & claros, ad ſubeunda docendi officia, profeſſoribus propria, ex locis variis deuocarunt; ſtatim placuit illis, profeſſorum tunc nomen, cum magiſtrorum titulo, veluti magis inſigni ac honorifico, commutare. Qua in re omnes omnium diſciplinarum doctores mirifice conſpirarunt; atque de vſurpando pariter ac ornando magiſtri titulo, inter ſeſe certarunt; donec Lotharii imperatoris aetate, vna cum Facultatum, quas vocant, diſcrimine, magiſtrorum etiam ac doctorum diſtinctio, primum exaudiebatur. Interea tantum abfuit, vt mutationis hoc genus, magiſtrorum honori aut praeſtantiae, quicquam detraxerit; vt poſt haec potius tempora, nomen iſtud, quo functio publica, a docentibus geri ſolita, diu antehac notabatur; dignitatis praeſertim ac praerogati-

uae vocabulum crederetur. Quis enim ignorat, & Petrum antehac Comeſtorem, ſcriptis in libros diuinos commentariis clarum; & duo ſcholaſticorum oracula, Lombardum ac Thomam, magiſtrorum nominibus, ſuo aeuo ſuperbiiſſe; quin hodiernis adhuc temporibus, voce eadem, honoris videlicet cauſa, ſignari, & ab ignobilioris monetae ſcriptoribus, hac ratione diſtingui? Tandem tertio atque decimo poſt Chriſtum naſcentem ſeculo, in academia primum Parienſi; atque ſeculo poſt ſtatim ſecuto, in prytaneo Pragenſi, dignum hoc cognomentum eſt viſum; quod in gradum academicum cederet; & tanquam ſummorum pontificum, regumque ac imperatorum praepotentium munus, certis ritibus atque formulis, in luce eruditorum publica, conferretur. Iam vt aliis maximorum principum ſtatutis & factis, ſummus merito honor cultusque tribuitur; & annulorum quoque ac torquium decora, ex imperantium manu obtenta, haud vulgari accipientibus dignitati, laudique ducuntur: ita a regibus, ac caeſaribus ipſis impoſito, magiſtrorum titulo, haud minor vtique admiratio, & applauſus debetur. Multa porro expreſſa ſunt in ſuperiorum temporum monumentis ac hiſto-

ſtoriis, de quorundam heroum ac principum ſapientia; ſicut aliis praemiorum generibus, ſic magiſtrorum honoribus, in academiis variis illuſtrata. Nam & Richvvinum, Lotharingiae ducem, magiſtri philoſophi titulo atq; iuribus inſignem fuiſſe, comperimus: & Hermannum, prouinciarum Haſſiae comitem; & Nicolaum Carlovvizium, atque Ioannem Schoenbergium; illum Miſniae, hunc Numburgi ac Cizae praeſulem; compluresque alios noſtrae patriae proceres, tum ſingularis doctrinae laudibus, tum gradus etiam philoſophici ornamentis exſplenduiſſe, ſeculorum praecedentium annales loquuntur. Qui proinde haec ſapientum inſignia deprimunt, &, quantum in ſe eſt, deſpicatui ducunt; illi facere nullo modo poterunt, quin eadem ſuperbia atque inſolentia, maximorum principum ſapientiae, ac honori detrahere iudicentur; dignamque hac ſua temeritate & malitia animaduerſionem incurrant. Sed quo longius mea oratio in altum euehitur; eo amplior & patentior, celebrandi iſtius tituli, campus ſe mihi oſtenderet; niſi & temporis, & inſtituti praeſentis ratio, vt vela ſermonis contraham, ac renunciationis publicae portum tandem aliquando reſpiciam, etiam

etiam me atque etiam admoneret. Nihilque nunc amplius ſupereſt, niſi vt Vos, candidati doctisſimi! iusiurandum ſollemne, cuius capita ab Efflero praeſtantisſimo iam recitabuntur, digitis ſceptro appoſitis, Deo pariter & academiae noſtrae dicatis.

* * *

POST IVSIVRANDVM HAE CERIMONIAE HIS VERBIS SVSCIPIEBANTVR

* * *

QVod igitur in noſtratis academiae incrementum ac decus, inque publicae ac literariae rei ſalutem & gloriam vergat! Ego, Ioannes Caſpar Poſner, artium liberalium ac philoſophiae magiſter rite creatus, eloquentiae item profeſſor, ac legitime conſtitutus procancellarius & brabeuta, Imperatoris auguſtisſimi fretus auctoritate,

Te, Georgium a Rothe, diaconi antehac, & rectoris Furſtenvvaldenſis officio functum; nunc illuſtris gymnaſii, quod in vrbe Stadenſium floret, rectorem;

Te, Godofredum Henricum Golzium, Regiomonti in Boruſſia natum;

Te, Ioannem Henricum Kreuſchnerum, in vrbe eadem apud Boruſſos genitum;

Te,

Te, Ioannem Laurentium Schoepff, Baruthinum, Francum;

Te, Fridericum Gottliebium Bauerum, Syldauienſem, Saxonem;

Te, Chriſtophorum Vngevvitter, Alſtadienſem, Saxonem, Palatinum;

In conſeſſu antehac noſtro creatos, voce nunc publica, Magiſtros philoſophos celebro & proclamo.

Quemadmodum

Te, Ioannem Godofredum Titium, Ienenſem;

Te, Bonauenturam Rieſchium, Lindauienſem, Acronianum;

Te, Iuſtum Laurentium Dietzium, Vmmerſtadienſem, Francum;

Te, Chriſtianum Hoffmannum, Vratislauienſem, Sileſium;

Te, Gottliebium VVilhelmum Kellerum, eadem in vrbe apud Sileſios procreatum;

Te, Godofredum Nicolaum Frenckel, VVeslingburenſem, Dithmarſum, abſentem tanquam praeſentem;

Te, Ioannem Bernhardum Saal, Dorndorffenſem, Thuringum;

Te, Laurentium Benedictum Tribel, Gothanum, abſentem tanquam praeſentem;

Te,

Te, Bartholomaeum Salomonem Knollium, Curienſem;

Te, Albertum Fridericum Freyerum, VVeiſſenburgenſem, Francum;

Te, Georgium Ludouicum Oederum, Anſpacenſem;

Te, Ioannem Henricum Zopff, Geranum;

Omnesque adeo Vos ac ſingulos, primum nunc Magiſtrorum titulo cohoneſto; cohoneſtatos de veteri more renuncio ac proclamo! & vt philoſophiae Doctores de poſtero praedicemini; iuribusque, &, quae in gradum hunc cadunt, priuilegiis, de conſenſu omnium, polleatis, volo, iubeo, impero! hisque partibus, Numinis vnius ac trini, Dei Patris, Dei Filii, ac Dei Spiritus, nomine ac ope, defungor.

Quandoquidem vero temporis priſci ſapientibus, ipſisque Imperatoribus viſum eſt: ſolennitates nonnullas ac ritus introducere; quorum velut luminibus, actus iſti atque honores illuſtrarentur; nos etiam eos, ſicut cetera maiorum ſancita, ſtudioſe & ſancte ſeruabimus.

Primum igitur vos, Magiſtri clariſſimi! in eruditorum hanc cathedram, veluti locum, in oculos omnium incurrentem, adſcendere volui! Ne in illuſtri

ſtri hoc auditorio, quenquam lateret: facultatem Vobis iam dari atque concedi, ea aliis ex cathedra ſuperiore tradendi, quae in ſcamnis inferioribus antea, ex praeceptorum ore hauſiſtis.

Huic autem docentium, atque adeo Magiſtrorum officio, vt, pro eo, ac par eſt, reſpondeatis; lectionem librorum ſedulam atque attentam, cuius mira ad confirmandam amplificandamque ſcientiam, vis eſt, identidem Vos ad partes vocabitis. Quod vt doceam, & hoc altius in mentes Veſtras defigam; librum, eumque apertum, cuilibet veſtrum propono.

Ita vero vtendum eſt libris: vt rerum nouarum meditatio ac inuentio; cuius tot fructus egregii in hoc atque ſuperius ſeculum redundarunt; Vobis pariter commendetur. Quod vt ad animos veſtros reuocem; ecce complico libros, quos explicatos antea conſpexiſtis!

Pileo quoque, tam liberorum hominum, quam regnantium ornamento, eum in finem, veſtra capita tego; vt praeſtantisſimum libertatis atque imperii genus in eo ponatis, ſi ignorantiae prauitatisque vitia ſub iugum mittetis.

Tandem annulus, quo digitos nunc Veſtros circumdo, arrhabonis futurus eſt loco

loco: quo virtutem & ſapientiam, firmo & ſancto connubii foedere, Vobis deuincio, aeternumque coniungo.

Quantum vero in hac academia iam Tibi debemus, o immortalis ac miſericordiſſime Deus! in aliarum tot regionum ignorantia & caligine, tot praeclararum artium ac ſcientiarum luminibus circumfuſi! Iacet Graecia; decoremque iam ſuum decoxit Italia: dum in barbara olim, atq; obſcura Saxonia, tot ingeniorum praeſtantium, honoresque academicos ſibi poſcentium, meſſes exuberant. Tuere, ſeruator optime ac aeterne, qui ſapientia Patris exiſtis, haec ſapientiae ſtudia! ac, ne Germani & Saxones noſtri denuo obbruteſcant; ſuum his literis cultum, dignitatumque, ipſis peculiarium, ornamenta, contra imperitorum machinas obtrectationesque, conſerua! Eam denique his Magiſtris octodecim mentem inſere: vt per illum, quem conſecuti iam ſunt, honoris philoſophici gradum, ad temporariae ac aeternae felicitatis faſtigium enitantur!

Sic ea nunc lege, dicendi facio finem: vt creatos a me Magiſtros digniſſimos; ne vel actus iſtius ſplendori, vel rece-

ptae

ptae iam olim conſuetudini quicquam decedat; ad dicendum inuitem. Et Tu quidem, clarisſime Magiſter Ioannes Godofrede Tietzi! argumento aliquo docto ac vtili in quaeſtionem vocato, & ſcientiae tuae ac facundiae documentum relinques; & excellentisſimo conſultisſimoque viro, Burcardo Gotthelfo Struuio, philoſophiae pariter ac iuris doctori egregio, necnon ſerenisſimorum Saxoniae Ducum conſiliario & hiſtorico meritisſimo, iuris item atque hiſtoriarum apud nos profeſſori celeberrimo, collegae meo atque patrono plurimum honorando, expoſitionis curatae ac perſpicuae campum aperies. Tuarum porro partium erit, eruditiſſime Magiſter Bonauentura Rieſchi! ſolennitatem hanc ſplendidam, pulchro non minus exitu terminare; politiq; & apti carminis ope, quemadmodum ſummo ſapientiae & honorum datori; ita Nutritoribus huius ſalanae ſerenisſimis, omnisque honoris ac ordinis auditoribus, pii gratique animi monumentum ſtatuere.

VIII

SI tantus eruditorum numerus eſſet, quantus eſt medicorum; vix futurum fuisſet, vt ex ordine eorum nonnulli eam animo imbibisſent ſententiam: ac ſi genera quaedam doctrinae, quae diſtare nimium a propoſito ſuo & ſcopo, exiſtimant, onerent magis artis medicae ſectatores, quam ornent. Vtut vero philoſophiam; quae rerum omnium cauſas indagat, & cuius quamplurima, apud medicos ipſos occurrunt, reipublicae ſuae magnopere fructuoſam, imo neceſſariam eſſe, concedant; & ſe etiam ipſos, tam philoſophos, quam medicos dici, requirant; literaturam tamen ac eloquentiam, modo nugatorium aliquid in hac arte exiſtere, & in minimis ponendam, contendunt. A quibus ego quoniam ita diſſentio; vt haud vllam in cunctis ſcientiis eſſe, exiſtimem, quae aut maiores, quam haec ſtudia, in re medica fructus pariat; aut maius medendi artificibus ornamentum circumdet; conſtitui hodierno tempore, auditores! quo medicus quidam inter philoſophos cooptandus eſt; de eloquentia medici ita dicere: vt eam, quantum in me ſitum eſt, a plurimorum contemtu ac inſolentia vindicare annitar.

tar. Et vero, quid aut vulgatius, aut verius eſſe queat? quam illos duntaxat aliquo inter medentes numero & honore haberi, qui a Grecis χαρίεντες, aque latinis auctoribus gratioſi vocantur. Ab ea videlicet gratia, quam, prout ex Ariſtotele ac Hippocrate Zvvingerus demonſtrat, medicorum filii, non virtute ſolum, & artis ſuae peritia; ſed & literatura reliqua, atque ipſa adeo eloquentia, qua medicinam veluti condiunt, apud alios promerentur. Nihil eſt enim, quod bonum doctumque alias medicum, magis iacentibus, quam dicendi ſapientia, ſermoque venuſtus, commendat. Omnes quippe aegroti, & lubentius longe, & plenius, illorum praeceptis ac monitis obſequuntur: qui cum amoenitate aliqua, verborumque illecebra, ad ſe ingrediuntur. Ab eiusmodi, inquam, medicis, non mella tantum, & cannae Indicae ſuccos; ſed abſinthium quoque & aloen, & quaecunque amara ac triſtia, cupide, & cum voluptate accipiunt. Horum ita excipiunt & auſcultant ſermones; vt obliuiſcantur dolorum: cumque exanimari & mori antea viderentur; iam recreari penitus, ſpiritumque ac vitam recipere ordiuntur. Porro ſaepius accidit, vt medendi artifi-

ci, ſiue in aulis, ſiue in aliis locis, cum hominibus politis ac doctis agendum ſit; vtque illuſtrium & magnorum virorum familiaritatibus implicetur: vbi parum habebit fauoris & gratiae; niſi eam, loquendi atque ſcribendi elegantia, ſibi conciliet. Atque ipſa haec ratio, viris in hac doctrina & ſcientia ſummis, omni tempore conſtitit; vt ſe medicos eſſe, nec ipſi crederent, nec ab aliis credi, requirerent; niſi diſerti & eloquentes etiam haberentur. Sane principem illum, vel deum potius medicorum, Hippocratem, & arte, & facundia inſignem fuiſſe, Cornelius Celſus teſtatur. Claudius vero Galenus, cui ſecundus hodie ab Hippocrate locus tribuitur, facultate illa dicendi, & inexhauſto orationis flumine, ita praeſtitit; vt nimius etiam in hoc ſtudio, cumque Aſiatica gente luxuriatus haud raro fuiſſe, exiſtimetur. Quid autem de memorato antea Celſo dicamus? quem ipſum & latinorum Hippocratem, & medicorum Tullium vulgo vocari; & praeclaros de rhetorica libros ſcripſiſſe; & nitore ſermonis ac elegantia, a paucisſimis veterum ſuperari; nemo ignorat. In horum igitur monumentis infeliciter ac imperite verſabitur; qui literarum ac eloquentiae rudis exiſtet. Quemadmodum

dum enim libros theologorum, ſolus theologus; & iuriſconſultorum volumina non niſi iuriſconſultus, accurate & recte intelligit: ita in diſertorum hominum cogitationes ac ſenſus, ille demum ſe penetrare valebit, qui ipſe inſtructam excultamque eloquentia mentem attulerit. Inde effectum eſt, vt recentiores etiam medici Muſas ſuas his Gratiis diligenter coniunxerint; atque hac potisſimum via ad ſummum celebritatis & gloriae culmen peruenerint. Enimvero qui eloquentiae ſtudia aſpernantur & carpunt; illi facere nullo modo poterunt, quin de plurimorum virtute & ſapientia detrahant: qui ſicut in aliis, ita in hoc etiam athenaeo, non medendi ſolum, ſed dicendi etiam ac ſcribendi peritia, celebrati ſunt, atque hodie celebrantur. Horum ergo veſtigia, artis medicae ſtudioſis premenda; neque eorum audiendae ſunt voces: qui non verbis, ſed herbis, curari aegrotum; totamque adeo eloquentiam a doctrinae medicae inſtituto longisſime abhorrere, obiiciunt. Equidem illos medicos & ipſe vituperandos atque ridendos cenſeo: quorum facundia in garrulitatem & vaniloquentiam turpem degenerat. Contra quos illud Zenonis: τὰ ὦτά σου εἰς τὴν γλῶτταν

συνεῤῥύηκεν! aures tuae in linguam veluti confluxerunt! recte ac merito vſurpaueris. Neque vero Aſclepiam illum defendo ac laudo, qui ex rhetore derepente medicus factus, irridetur a Plinio & traducitur. Verum enimuero, abuſus eloquentiae, vſum eiusdem genuinum non tollit: & quemadmodum prior contemtum reprehenſionemque in medico; ita poſterior honorem ac laudem meretur. Erat mihi in animo, quibus in rebus conſiſtat eloquentia medici; & ex quibus ſcriptoribus peti debeat; ſub finem huius orationis monere, atque breuiter explicare. Sed veniendum eſt mihi ad nobiliſſimum atque experientiſſimum virum, Hermannum Fridericum Teichmeyerum, doctorem medicum ſolertiſſimum & philoſophiae iam candidatum digniſſimum; cuius vnice cauſa, congreſſus & actus hic inſtitutus eſt. Hunc igitur tibi, nobiliſſime ac excellentiſſime vir, Georgi Alberte Hambergere! vt mathematicarum, ſic naturalium rerum profeſſor egregie, & alumnorum principalium, in hoc athenaeo, inſpector grauiſſime; nec non Prodecane, & ad negotium iſthoc delecte Procancellarie perquam ſplendide, patrone atque collega plurimum hono-

norande! Hunc, inquam, nunc tibi, Vir celeberrime! ea, qua par eſt, ratione commendo: & vt ſolenniter eum renunciandi, ac honoribus inter philoſophos ſummis ornandi, veniam mihi & poteſtatem indulgeas; atque ingens ac ſingulare adeo beneficium nobis vtriſque exhibeas, perofficioſe contendo!

* * *

IAM PRODECANI RESPONSIO ATQVE POST EAM CEREMONIAE IN HIS ACTIBVS VSITATAE SVBSEQVEBANTVR. QVAE AVCTORIS HOC VOTO FINITAE SVNT

* * *

Nihil ſupereſt, niſi vt ſummum ſapientiae arbitrum ſupplex venerer: quo recentem hunc titulum ac honorem, academiae noſtrae, totique eruditorum reipublicae, ornamento; Tibi vero, Magiſter ac Doctor experientisſime, emolumento ac gaudio eſſe velit!

IX

REgnare adhuc eloquentia in diſciplinis ceteris viſa eſt; ſed ne eadem in diuiniore ſcientia ac ſuggeſto regnaret; ſuis partim clamoribus, partim ma-

chinis, non pagani tantum, ſed etiam christiani, efficere laborarunt. Si modo chriſtiani dicendi ſunt, qui ſeruatoris optimi beneficium, in facultate dicendi & oratione decora poſitum, criminantur. Vt autem fieri ſolet; ad ſcopum reprehenſionis eundem, aduerſarii per vias diuerſas, modo iisdem, modo diuerſis temporibus, contenderunt. Quem enim Caecilii nomine, Theophraſto ſuo ſe opponentem, alibi introducit Cauſinus; is ea de cauſa nullum facundiae, in chriſtianorum doctrinis & concionibus, locum concedit; quod argumentis iſtarum nihil abiectius, nihilq; ſterilius eſſe ſoleat; cum magnam per ſe eloquentiam, velut flammam aliquam, magna quoq; materia excitari & ali oporteat. Illi autem, in quos Gregorius Nanzianzenus, Lactantius, atq; Auguſtinus, temporibus ſuis inuecti ſunt, non ad rerum, a Deo & Chriſto patefactarum, humilitatem; quam & ipſi inficiantur; ſed ad inanitatem orationis ornatae ac pulchrae, confugiunt: fucum eſſe quamcunque eloquentiam, clamitantes, propriumque incredulis adminiculum: quam flabellum propterea vanitatis, nidum ſuperbiae, deorumque fallacium ſeruitutem appellant. Nuper admodum Chriſtianus Democritus, ſiue, vt vero nomine ſa-

ſalutatur, Dippelius; qui ex petulantiſſimo iuuene, famoſiſſimus ſcurra, in rebus ſacris euaſit; omne, non eloquendi tantum, ſed inueniendi etiam artificium, a diuinis ſermonibus, eam inprimis ob rationem exterminat & proſcribit: ne ſollemne ac tritum ſacerdotibus votum, quo Dei Spiritus gratia & auxilium implorari conſueuit, in ludibrium ac riſum vertatur. Nihil igitur aut huic tempori; quo diſertiſſimus verbi diuini, in vrbe Holmienſium, praeco, doctoris philoſophi laurea decorandus eſt; aut meo etiam muneri, me praeſtare conuenientius poſſe, arbitratus ſum; quam ſi Veſtra nunc pace ac venia, auditores! eloquentiae ſtudiis: quorum a fontibus emolumenta tam multa ac egregia, in chriſtianorum rempublicam, cunctis ſeculis redundarunt: praeſidii aliquid, contra oſores & calumniatores, afferrem! Et ille quidem, profanae ac peregrinae facundiae faſtu prae ceteris tumens, Caecilius; quod orationem ſublimem a rebus humilibus ac exiguis abhorrere, exiſtimat; id & conſentientibus omnibus dicendi magiſtris, & me etiam approbante, affirmat. Quod autem hic rhetor, chriſtianorum placitis, omnem omnino ſplendorem dignitatem-

que deeſſe, pronunciat; in hoc nimis & impudenter is facit, & imperite. An enim de Deo? an de purisſimis mentibus? an de Chriſti & chriſtianorum gloria loqui? an eiusmodi explicare myſteria, quae non in ſapientum veterum ſcholis enata; ſed aeterni parentis conſilio inſtituta ſunt; res adeo humilis, aut oratore indigna, cenſebitur? Quin ita haberi, vel credi potius debet: quod, quemadmodum olim Platonici florem quendam materiae, ſoli atque ſideribus ineſſe, docebant: ita flos rerum magnarum ac ſublimium, in chriſtianorum oraculis & ſancitis contineantur. In quibus proinde oratornm ſacrorum facundia, longe felicius atque dignius, quam in reliquis argumentis, faecem aliquam rerum comprehendentibus, omni loco ac tempore triumphauit. Qua de re a Caecilio iſto ad illos me verto, qui, quam ipſi non aſſecuti ſunt, eloquentiam, eam in aliis aſpernantur; ac velut indignum ſacerdotibus ac theologis lenocinium, pasſim traducunt.. Ab his autem ſcrutari & quaerere mihi licebit: quomodo ipſi fieri poſſe, exiſtiment, vt, quae bona in ſe, ac diuinitus nobis conceſſa eſt, eloquentia; in diuinis tantummodo argumentis, adeo mala & execranda euadat? Forte verborum inuen-

tionum-

tionumque decora, ſcenis potius ac theatris, quam templorum ſacrariis deſtinata & apta, pronunciabunt? Cuiusmodi quidem aduerſariis, omnem penitus cultum a cultu diuino remouentibus, procul dubio, ipſa etiam templa, eorumque ſtructura ac pompa ſordebunt? Et vel ſapientisſimus regum, Salomo, cum Conſtantinis & Carolis, ſtultus atque ineptus conſebitur; quoniam tot ipſe marmoribus, templique picturis ac imaginibus, tot labores ac ſumtus impenderit? Equidem illi inter haec duo, quorum a nobis ſuſcepta eſt comparatio, plurimum intereſſe, fortasſis obiicient: templa praeclara & magnifica, tanquam ſapientisſimi Dei inuenta, grata etiam Deo atq; iucunda id propter accidere; at vero dicendi praeſidia, a paganorum artibus & ingeniis orta, a ſanctisſimo Numine, inque coetu piorum, neutiquam approbari. Eſto autem, a viris profanis, numinumq; falſorum cultoribus, nacti ſimus hanc artem? Vnde vero hi ipſi, niſi a rerum bonarum datore & arbitro, Deo, ſortiti ſunt? Ac, ſi omnia, ab hominibus Chriſto haud deditis vſurpata, diris illico deuouere, & abhorrere oportet; nouis nos chriſtiani ſideribus, nouo igne & aere indigebimus; ne aliquod nobis

bis,ſiue elementorum, ſiue aſtrorum commercium, cum gentibus reliquis intercedat? Sed ne id quidem aduerſariis, tam aperte ineptientibus, largiendum eſt: ac ſi totius eloquentiae riui a paganorum ingeniis atque ſtudiis, tanquam a fonte profluxerint? Namque pluribus ante oratores Graecorum, ſeculis, Aaronis facundia; qua is admirabilia & ſapientisſima verba, haud ſecus ac imbres, fundere credebatur; Dei ipſius teſtimoniis atque laudibus celebrata eſt. Secuti ſunt Aaronem ſcriptores & vates ſanctisſimi: quorum deinde veſtigia, alii etiam myſteriorum doctores & interpretes inſtiterunt; ac diuina propemodum voce, de rebus diuinis locuti ſunt. Tempus nunc eſt, vt Chriſtiani Dippelii telum, haud minori, vt auguramur, ſucceſſu, excipiamus, & in aduerſarium ipſum retorqueamus. Qui cum in cauillandis atque ridendis chriſtianorum placitis, omnem adhuc pudorem decoxerit; mirum vtique haud eſt, ſi contra eloquentiam ſacram, non tam argumentari, quam ludere & iocari videtur. An enim ignorat Dippelius? non pro contexenda oratione, quae contexta iam eſt; ſed pro efficacitate ac vi ſacri ſermonis, quae a Deo tribuitur, pium, vſitatumque in ſuggeſtibus

ſtibus votum, a ſacris oratoribus nuncupari. De illa hic loquor virtute: qua, quemadmodum viri olim diuini; ita eorum hodie ſectatores, inauditis antehac rebus auctoritatem, obſcurioribus lucem, faſtiditis gratiam, incredibilibus fidem conciliant. Vt coetus non raro ampliſſimos in admirationem atque aſſenſum rapiant; nec tam dicere, quam fulminare credantur. Poterant iſta, auditores honoratiſſimi! multo & grauius, & copioſius dici; imo quoque debebant; niſi Vir plurimum reuerendus atque ampliſſimus, Ioannes Hedenius, in aede diuina, quae Suecorum Holmiae, a ſancta Vlrica Eleonora nomen ſortitur, myſteriorum coeleſtium diſpenſator dexterrimus, manum quaſi dicenti iniiceret, finemque ſuaderet. Hunc vt ſolenniter mihi renunciare, & ad ſummum honoris philoſophici gradum euehere liceat; quae tua eſt ſingularis humanitas, nobilisſime ac excellentisſime vir, Georgi Alberte Hambergere! mathematices ac ſcientiae naturalis profeſſor celeberrime, alumnorumque principalium, in collegii aede, inſpector, atque iam Prodecane & Procancellarie, ad hunc actum electe, ac perquam conſpicue! mihi, enixis id precibus exoranti,

ti, concedes! A nobis poſthac ambobus, nulla temere praetermittetur occaſio, qua in habenda referendaque gratia, pietatem oſtendere ac praeſtare poterimus:

* * *

HIS HAMBERGERI ORATIO AC SOLENNIA ET HOC POSTREMO SVSPIRIVM SVCCEDEBAT

* * *

NIhil denique magis in votis habeo, quam vt aeternum ac miſericordisſimum Numen, a quo omnis doctrinae & ſapientae lumen accenditur, noua iſthaec honorum inſignia, & academiae noſtrae, & Tibi quoque fortunet!

X

EVm in modum dubitatio tua & quaeſtio comparata eſt, clarisſime magiſter Mullere! nihil vt ea, vel magiſtro recenti conuenientius, vel celebritate hac dignius, aut excogitari a Te, aut afferri in medium potuiſſet. Nam quum eo potisſimum inſtituto, Tu, tuique commilitones eximii, collatam nunc Vobis philoſophiae lauream, & petitione modeſta ambieritis, & iure etiam veſtro impetraueritis; vt ab hoc tempore vſque

que, aduerſus ignorantiam & barbariem in armis ſtaretis; ea merito Vos in poſterum ſolicitudo & cura habebit: ne veſtra temere culpa aut venia, Germani amplius inter barbaros numerentur. Quamobrem in eo praecipue, ſermonis tui doctisſimi cardo vertitur: vt, quantum fieri posſit, omnem omnino foeditatem & barbariem, a Germanis, ſi non veteribus, a recentioribus tamen, quam alienisſimam eſſe velis; cum ex aduerſo reperiantur, qui id ſine diſcrimine vllo concedant, & cum dedecore noſtro ac ignominia, hodieque affirment. Quemadmodum vero & ordinis noſtri amplisſimi inſtituta, & tua, tuorumque competitorum poſtulatio, & mei quoque officii ratio, reſpondendi has partes mihi iniungunt: ita in dirimenda hac lite, optimum atque conſultisſimum eſſe puto, vim praecipue & originem vocis BARBARI intueri. Quae cum in rebus plerisque omnibus, ad penitiorem eorum notitiam nos perducat; non aliunde conſtabit rectius: vtrum antiqui hodiernique Germani in barbarorum cenſu habendi ſint? quam ſi exquiſitum conſtitutumque a nobis fuerit: quinam proprie barbarorum nomine deſignentur? & qui ab appellationis iſtius contu-

tumelia, ſuo merito liberentur? Nimis lepidos quidem & ridiculos, cum Caſſiodoro ſuo ſe gerunt: qui a BARBA & RVS, barbaros nuncupari, ea ſcilicet de cauſa affirmant: quoniam hoc mortalium genus, & alere barbam, & promittere, ruricolarum exemplo, conſueuerit. Quod ſi tamen tam ſalſa & mira deriuatio in hoc argumento aliquid poteſt; nihil ſane facilius erit, quam vt barbariei cuiuslibet notam & maculam, ſi non ab omnibus, a plerisque tamen Germaniae incolis, abſtergamus. Enimuero ſuperioribus ſeculis, Galli pariter & Germani; ſi Cattos fortaſſe & Longobardos, a longis barbis ſic dictos, excipias; vel raſas penitus barbas gerebant; vel modice eas ſolum alebant; quandoquidem, Diodoro & Tacito teſtibus, ſubmisſionem crinium & ſqualorem, ignominiae imbecillitatisque argumentum putarunt. Hodie autem non viri ſolum ac iuuenes; ſed ſenes quoque decrepiti, genas vtplurimum leuigatas, & os quaſi virgineum oſtendentes; hanc praeſertim virtutis atque candoris Germanici notam perpetuo conſeruandam, exiſtimant. Meliori igitur iure, quam philoſophi Graecorum hirſuti ac horribiles, a barbarorum, ſeu barbatorum hoc numero, gentes

gentes Teutonicas eximi atque excludi, par erit. Verum rectius alii, & ad grammaticam rationem accommodatius, ab orientis vocabulo, ברבר BARBAR, barbaros appellatos, euincunt; vt tamen & ipſi, huius vnius, ceu intuitu primo videtur, ſententiae, alias atque alias cauſſas allegent. Multi quippe, Leonem hic Africanum ſecuti, nominis iſtius natales, ab Arabum, murmur quoddam inconditum, ac beluarum vocibus ſimile; quale ab Africanis, Barbariae regionem deſertam incolentibus, edi ſoleat; ברבר BARBAR vocantium, conſuetudine ac ſermone arceſſunt. A quibus quam proxime abſunt, qui vocem hanc, בבל BABEL, ſiue confuſionem interpretantur; quia barbari, graece dicere primum conati, vel ſermone patrio cum Graecis locuti; confuſa nimium verba facere, &, quod alii addunt, in nomen hoc abſonum, *βάρβαρ*, BARBAR, more velut ſollemni, incidere videbantur. Atque ideo Cares Homero apud Strabonem, *βαρβαρόφωνοι*, hoc eſt, barbarum quid ſonantes, prae ceteris audiebant: quia & ſermo ipſorum, inconcinnus admodum & confuſus, Graecorum gentibus credebatur; & graeca iidem voca-

 bula

Digitized by Google

bula nimis aſpere ac difficulter pronunciabant. Quae ſi ad vetuſtisſimos Teutoniae ciues transferre aliquis & accommodare voluerit; illi aſſeuerandum id erit, quod a Cornelio Tacito ceterisque negatur ac deſtruitur: Germanos videlicet veteres, non commercia modo agitauiſſe cum Graecis, vel tempore aliquo ſe his populis miſcuiſſe; ſed lingua quoq; graecanica ſic vſos fuisſe; vt ſermo ipſorum, pronunciandique ratio, obſeruari a Graecis, & barbarismi adeo voce traduci potuerit. Nam qui hodie noſtros Germanos, linguae pronunciationisque graecanicae rudes proclamauerit; illi tot literaturae iſtius ſtatores egregios, Cruſios puta, VVellerosque ac Golios, nec non Schmidios, ceterosque eruditisſimos Germaniae viros, & graecae orationis peritia atque elegantia, cum Graecis ipſis certantes; facile, ſatisque ad conuincendum efficaciter, opponemus. Cum praeterea nouus ille inter Pariſienſes orator, Bernardus Lamyus, huiusque exemplo alii, barbariei hanc notam, tum maioribus noſtris, tum nobis etiam ipſis, inurere videantur; quod linguae germanicae genius, inconcinni & aſperi aliquid prae ſe ferat; quotusquisque non videt, illos, cum delicatisſimis Gallis, ma-

maieſtatem grauitatemque ſermonis Germanici ignorare: quam criticorum ingenioſisſimi, prope abeſt, quin cum linguae Ebraicae indole ac diuinitate contendant. Eo nimirum ſuperbiae, & aduerſus alias nationes, inuidiae, aliqui proceſſerunt; vt peregrinos quoscunque, & lingua exotica ac ignota vtentes, tanquam barbaros, & impolitos ac rudes, criminarentur. Atque omnium primos Aegyptios hoc in more poſitum habuiſſe, Herodotus auctor eſt: vt omnes crederent barbaros, atque ſic appellarent, qui ſermonem modumq; dicendi, ſuo disſimilem, frequentarent. Ad quorum poſtea inſtar, gentes Graecorum, cunctos homines atque populos, qui Graeci non esſent, & ipſos quoque Aegyptios, barbarorum titulo & opprobrio, ſuis a popularibus ſepararunt. Mox ad Graeciae imitationem, Romani, ipſi antea inter barbaros a Graecis relati, quicquid gentium extra imperii ſui limites habitaret; Phrygesque praeſertim ac Perſas; ceu Ammianus Marcellinus teſtatur; barbarorum nomine criminati ſunt, & infra ſe deſpexerunt. Hunc proinde ad modum, pro populis peregrinis, atque alia lingua loquentibus, ſi barbarorum vocabulum capiatur; neutiquam aegre ferent

Germani: ſe ab exteris barbaros, hoc eſt peregrinos, cenſeri; modo viciſſim exteri, ſe nobis Gnrmanis barbaros eſſe ac dici, haud indignentur. Qua ratione videlicet Anacharſis Scytha, apud Laertium, ad Athenienſium aliquem: quod ipſe barbarus eſſet, ſibi obiicientem: barbarum quidem ſe apud Atticos fore, aiebat; ſed vicisſim Athenienſes, barbaros apud Scythas vocari. Nihil proinde eſt reliquum, niſi vt barbarorum atque impolitorum hominum appellationem illi prae ceteris mereantur, qui a virtutibus atque artibus praeclaris abhorrent. Vnde in Graecia ſpeciatim Athenienſibus; atque temporis progreſſu, Romanis; quod diſciplinarum liberalium, legumque ciuilium ſtudia, apud alios minus, quam ipſos, florerent; ceu Ammonius ac Feſtus obſeruant; nationes ceteras, praeter Graecos & Italos, contumeliae cauſſa, rudes & barbaros nuncupabant. Nullum quidem eſt dubium, quin Germaniae noſtrae habitatoribus, idem, quod Romanis quoque & Graecis, vſu venerit: vt minorem, temporibus primis, quam ſubſecutis poſt ſeculis, morum ſcientiarumque cultum capeſſiuerint. Neque iſtud negamus: quod viri quondam & foeminae, obſeruatore Cornelio Tacito, litera-

rum

rum ſecreta, hoc eſt, quemadmodum inter alios Kulpiſius reddit, literas vanas & amatorias, ignorauerint. Sed cunctos promiſcue Teutonas a ſtudiis doctrinisque omnibus alienos fuiſſe; qui, ſicut Cluuerus contra Tacitum atque Caeſarem probat, ſuos omnino Druidas, vatesque & Bardos, ſapientiae magiſtros habebant; aut inhumanos ac feros penitus extitiſſe: quibus, ceu Tacitus ipſe fatetur, mores innocentisſimi, atque candidi valde, pro legibus erant; nimis abſonum, quin a veritate remotum videtur. Meliori vero nos iure ac titulo, Graecos hodie, quam ipſi aliquando Germanos, barbaros, & quibus nil magis eſt barbarum, in tanta virtutum literarumque apud nos luce, nuncupabimus. Et mirandum eſt valde, eam adhuc conuitiandi, Germanisque, ceu barbaris, inſultandi libidinem, Gallos quosdam ac Italos incesſiſſe; quandoquidem illi a Germanis deſcendunt; hi Gothorum & Vandalorum, aliorumque huiusmodi barbarorum reliquiae, ipſi exiſtunt. Vtrique autem, & ſtudiorum varietate, & academiarum atque ſcholarum numero, & docendi facilitate ac ſolertia, & virtutum morumq; elegantia, non aequiparantur tantum a noſtris Germanis; ſed

non raro etiam ſuperantur. Neque igitur aliud Nicolaus ille Machiauelius agere, iudicandus eſt; niſi vt leuitatem pariter ſuam & malitiam quam maxime prodat: cum Germanos, in principe ſuo, inter barbaros refert; qui tamen eosdem Germanos, in Liuianis commentariis, ante Italos, Hiſpanosque & Gallos, longisſime habendos, affirmat. Galli quoque, cum ſuo Bouhoursio: dum bellae quidem indolis laudem Teutonibus detrahunt; ſed bonum tamen iisdem iudicium largiuntur; rem deducunt eo: vt popularibus ſuis, in facultate quidem imaginandi; Alemannis vero in iudicii recti acumine, hoc eſt in parte ingenii praeſtantisſima, principatum concedant. Sicut igitur tam Romani olim & Graeci, quam hodierno tempore Galli ac Itali, qui barbariem in literata Germania quaerunt, ſuo ſe gladio iugulant; & prauitatis ac inſcitiae ſuae barbariem ipſi proſtituunt: ita auctorem ſapientiae, Deum, ſupplex veneror: vt communi huic Germanorum patriae, inque gremio eius, huic virtutum & optimarum artium ſeminario, dignitatem iſtam & gloriam, ad ſeros vsque nepotes, propriam ac perpetuam eſſe velit! Atque ea etiam lege, & hac addita cohortatione, Vos,

Magi-

Magiſtri clarisſimi! bonis fauſtisque ominibus proſequor: vt imminentem denuo bonis literis atque artibus, in Germania noctem, ſublatis in coelum manibus, deprecemini; humanitatisque & ſapientiae ſtudia, quantum fieri poterit, a ſqualore ac ſordibus vindicetis; inque fuganda, tam inſcitiae priſcae, quam vitiorum notiorum barbarie, feliciter ac praeclare verſemini!

DIXI

XI

QVanto melius Tibi, & familiae tuae amplisſimae cupio, Hambergere clarisſime! tanto maiori nunc gaudio ac voluptate perfundor; quod, obtentis philoſophiae honoribus, qui praecipui ac ſummi habentur; dignum te ſtatim his titulis atque ornamentis oſtendere, tui officii arbitreris. Cum enim philoſophi ſit, rerum omnium fundamenta, originesque & cauſas inquirere; propterea ſapientis perſonam exiſtimationemque tueri, iudicandus es; dum ad literarum Germanicarum, cognitioni haud vni inſeruientium, fontes & incunabula, quantum fieri poteſt, inueſtiganda,

meum veſtrumque animum excitas atque inflammas. Quo ipſo communem ſimul Germanorum ſegnitiem: qua oſcitanter ac raro nimium, in ſui ipſorum ſermonis notitia & cultura verſantur: a Te pariter, & commilitonibus tuis clarisſimis, quorum nunc nomine es locutus, pro virili auertis. Neque vero aliter euenire potuit, quam vt literarum Teutonicarum initia, alia atque alia, ab auctoribus diuerſis ſtatuerentur. Quandoquidem characteres ſcripturae varii, temporibus, puta, variis, apud Germanos frequentati ſunt: quorum non vnam adeo rationem ac originem eſſe, & a ſcriptoribus venditari, nemo forte mirabitur. Ac initio quidem Druidas, ceu Germanorum magiſtros, tam in publicis rebus, quam in priuatis rationibus, Graecas literas vſurpaſſe; ex Iulii Caeſaris monumentis, quae de bello Gallico nobis reliquit, intelligitur. Accedit Cornelii Taciti, de Germanorum antiquitatibus ſumme meriti, teſtimonium: quo monumenta ac tumulos quosdam, graecis inſcripta literis, in Germaniae Rhetiaeque confinio, ſuis adhuc temporibus extitiſſe, affirmat. Neque ideo ſecum pugnare cenſendus eſt auctor iſte grauisſimus; quod in alio loco, literarum ſe-

ſecreta, viris ac foeminis Teutonum ignota fuiſſe, perhibeat. Quippe quod vel de amatoriis literis, ceu Kulpiſius ac VVerlhoſius volunt, interpretandum; vel de hominibus tantum plebeiis, literarumque rudibus, capiendum eſt; cum ſacerdotes ac Druides Germanorum, dictas literas, non per ſe modo calluerint; ſed auditorum animis quoque inſtillauerint. Sciſcitante igitur Te, Magiſter doctiſſime! vtrum literas graecas; quarum vnice vſus primis ſeculis fuerit; Germani a graecis; an hi ab illis ſortiti ſint? perlibenter & ego, propagationis hanc laudem & gloriam in maiores noſtros transfunderem; niſi ea in re, Herodoti, aliorumque auctorum: non a Germanis, ſed Phoenicibus, literarum figuras, terris Graecanicis illatas fuiſſe, vno ore teſtantium: contradictio & auctoritas, manum veluti mihi iniiceret. Vero igitur ſimile, cum Trithemio ac Schottelio, viri clarisſimi ſtatuunt: characteres iſtos ex Graecia potius ad Germanos, quam ex Germania ad Graecos migraſſe. Quomodo autem verba graecanica, eorumque adeo elementa, ſub Tarquinio priſco, Phocenſes: qui coloniam tunc ad Gallos, priſcae Germaniae incolas, deduxiſſe, & vrbem Maſſiliam condidiſſe di-

cuntur: in Germaniam noſtram inuexerint; Galloſque in literis graecis inſtituerint; vt rerum contrahendarum etiam formulas characteribus iſtis expreſſerint; praeter ceteros, ex Strabone arguunt atque oſtendunt. Verum potior a quibusdam Cornelii Taciti: priſcos Teutonas neque rem aliquam habuiſſe cum Graecis; neque permixtos vspiam illis fuiſſe; in Germanorum hiſtoria affirmantis: auctoritas ac fides habetur. Quid? quod Druidum, ſiue Germanorum doctrinas & literas, prius, quam literaturam Graecorum, effloruiſſe; Guilielmus Poſtellus, haud ſpernendis indiciis rationibusque monſtrauit. Qua de re Hottomannus & alii, iam de auctorum, notas Teutonibus graecas tribuentium, ſcriptis interpolatis atque corruptis queruntur; mox Romanorum, ſcripturam incognitam, & apud Germanos repertam, pro literis graecis venditantium, vitium & errorem accuſant. Sicut igitur ſignorum ſcripturae, in Germania atque Graecia receptorum, tanta olim ſimilitudo & cognatio fuit; vt imponere ea Romanis, confuſioniſque occaſionem praebere potuerit: ſic neque Germanos a Graecis, nec hos ab illis, in arte tam neceſſaria, inſtitutos fuiſſe; ex antea doctis apparet.

Haec

Haec itaque duo reſtabunt: vt aut vtrisque his gentibus, ſcriptionis ſimillimae magiſtri communes, hoc eſt Phoenices: quorum colonias, atque reliqua inſtituta, totum per orbem diſſeminata fuiſſe, Petrus Daniel Huetius probat: obtigerint; aut literarum omnium matrem, nationem Ebraeam fuiſſe; & ab iſtius ideo characteribus primis, in ipſa quoq; Phoenicia vſitatis, multos alios non longe adeo abiiſſe, Hieronymi ac ſequacium inſtar, putemus. Ceterum notae literis graecis ſimiles, inter germanos, ad medium vsque ſeculi quarti propagatae fuerant; cum, ſub Valentis imperio; prout Sozomenus atque Philoſtorgius notant; Vlphilas Gothus characteres Gothicos, ſiue Runicos, ſubſtitueret, partimque augeret; imo codicem quoque diuinum in orationis hoc genus conuerteret. Atque nemini erit dubium, quin ſermonis iſtius figurae, dicto Vlphila, vt aiunt, auctore, ex antiquioribus literis, graecarum, in modum habentibus, ſed immutatis nonnihil atque corruptis, prodierint. Porro Gothica haec ſcribendi ratio, ad Carolum vsque magnum ſeruata, inque Teutonum terris exculta eſt. Ex illo enim tempore, vt Eginhardus & alii produnt, a Romanorum hoc imperatore, ſigna etiam

etiam ſcriptionis Romana, in regiones Germaniae, a ſe deuictas, inuehebantur. Quamuis etiam Graeci, ſeu Phoenicii aliqui, vel ex iſtis effícti, Celtarum veterum characteres, latinis identidem iungerentur; diſtinctionumque praeteterea notae, a VVarnefrido & Alcuino repertae, nec non literae quaedam arcanae, quibus Carolus ſe magnopere oblectabat, velut in complementum, accederent. Sed vltimum tamen perfectionis & cultus faſtigium, ſcriptioni Germanicae, a Rudolpho primo, quem Habſpurgicum dicunt, inponebatur. Cuius nimirum auctoritate ac iuſſu, acta & inſtrumenta, cum publica, tum domeſtica, Germanorum literis concinnari & ſcribi coeperunt. Tunc enim, ceu nominatus a Te Camerarius atque Hachenbergius docent, literarum illarum, quae nobis familiares ſunt hodie, ductus, atque ſcriptura elegantior, apud Teutonas inoleuit. Horum itaque characterum figurae, ſicut latinas literas, &, vt exiſtimatae ſunt, Graecas, quin & Gothicas partim ac Celticas, imitantur: ſic ad iſtarum procul dubio formam expreſſae, ac mutatione & arte haud adeo magna, effictae ſunt. Omnem porro ſcribendi peritiam, ſuamque ipſorum ſolertiam,

no-

noſtri Germani, circa medium ſeculi quinti ac decimi, feliciſſimo illo, & incomparabili typorum inuento, quod Auentinus ac VVimphelingius, Bitſchiusque & alii celebrant, quam longiſſime ſuperarunt. Mihi vero; qui non tam doctoris pro auctoritate loquentis, quam inquiſitoris modeſti, perſonam nunc ſumſi; vela orationis iam contrahenda, & gratulationis amicae munia, verbis licet breuiſſimis, obeunda ſunt. Seruet Vos literarum bonarum arbiter, Deus, Magiſtri clariſſimi! veſtrumque in literas ac virtutes animum, vtrarumque praemiis & oblectamentis, rependat! atque ſpes, literatis hominibus dignas, reipublicae, ſanctorumque coetuum bono, amplioribus poſthac honoribus augeat atque exornet!

DIXI.

XII

EA petis a me, Collega excellentiſſime! vel iure potius tuo depoſcis: quibus hoc maior honeſtas atque aequitas conſtat; quo magis reipublicae atque exempli intereſt: ſicut maleficia probris ac poenis; ita virtutes laudibus prae-

praemiisqne penſari. Poſtquam enim humanae naturae vis atque praeſtantia, primorum hominum culpa, nimium quantum debilitata eſt atque infracta; ad alias etiam actiones ac res, quae per ſe appeti & amari debebant, non niſi ſpe atque mercede aliqua ſibi propoſita, tanquam ſtimulo quodam, homines concitari atque impelli ſe patiuntur. Cum marcere ex aduerſo virtutem, ſine emolumento & gloria, ac certamen refugere; imo in ipſo cum barbarie vitiisque conflictu, ſuccumbere, nunquam non videamus. Ipſe igitur ſeruator communis, ſapientiae pariter ac religionis amorem diſcipulorum ſuorum animis iniecturus; praemiorum ſubinde, munerumque inſignium promisſiones adiecit. Quod Italorum aliquis, quadam ſimilitudine & pictura illuſtraturus; ſertum laureum, ceu victoribus debitum, coloribus amoenis repraeſentabat; vocesque has duas: ALIT ARTES: expoſitionis in modum addebat. Quemadmodum enim Ouidius, veritatis haud interpolator ſolum, ſed non raro interpres ſuauisſimus, canit: Non paruas animo dat gloria vires. Huius itaque fructus vt candidatis duobus; per eruditionis pariter ſuae, ac virtutis ſpecimina,

na, ſatis hucusque cognitis, atque a Te, Brabeuta grauisſime! etiam atque etiam commendatis, hodie conſtet; propterea illam Tibi iam poteſtatem facio: vt Magiſtrorum iisdem, ſeu philoſophae doctorum inſignia, ſapientumque palmas iam conferas. Quae vt non ipſis tantum; ſed noſtrae etiam academiae, totique literatorum reipublicae, ſempiternam laudem afferant; neque ſuos imposterum poſſeſſores deſtituant; quam enixiſſime poſſum, exopto.

XIII

DEſignato iam mihi ad gubernandam procurandamque rem academicam, plurima quidem ſe obiiciunt: quibus haud parum me commoueri, & tantum non exhorreſcere, nemo forte mirabitur. Siue enim officii grauitas, perturbationis ac metus afferre aliquid poteſt; moderanda atque tuenda reſpublica mihi committitur. Siue leuitas ac licentia ciuium; iuuentuti academicae, iſthoc ſeculo corruptisſimae, praeeſſe oportet. Siue anceps ac turbulentus reipublicae ſtatus; eo, dum ita cupitis ac iubetis, imperare debeo tempore, quod ad imperitandum, vt difficil-

ficillimum, ſic periculoſum quodammodo eſſe, apparet. Moderari rempublicam, quanti laboris ac moleſtiae res ſit; optime omnium noſtri docucuerunt maiores: quando principes ſuos futuros, proiiciendis lapidibus, portandisque molibus, exercebant; vt magiſtratus honorem, onus maximum, nec ſaxorum pondere multo leuius eſſe, intelligerent. Sed augeri omnino & creſcere huius oneris grauitatem, in academiis, neceſſe eſt; vbi non tantum bonorum, ſed & eiusmodi ciuium demereri oportet officia: quibus, haud ſecus, quam Catilinae ſectatoribus, quieta mouere, magna interdum ac egregia merces habetur: & quorum propterea ſugillationem, conuitia, odia, prorectorem academicum, ceu vmbra aliqua corpus, tantum non neceſſario comitantur. Quae me omnia, nec auctoritate, nec vſu pollentem, hac potiſſimum tempeſtate metuere fas eſt: qua iuuenilis proteruiae, ac nocturnorum tumultuum faces, vndique iam incendi videntur. Accedit & hoc, quod in primis & grauiſſimis cauſis, diuiſam nos cum potentioribus, & noſtris haud raro hoſtibus, poteſtatem habemus. Haec, inquam, & alia, ab hoc accipiendo honore ac onere, deterrere

me

me poterant; niſi & muneris mei ratio, & de veſtra, academiae proceres! beneuola & propenſa erga me voluntate, concepta opinio, meum animum a timore ad ſpem traducerent. Nam a talibus viris, quales Vos eſtis, probatum me eſſe atque electum; hoc praecipuum mihi videtur praemium eſſe, tam pietatis, quam obſeruantiae, qua Vos omnes ac ſingulos veneratus ſum ſemper, & in poſterum venerabor. Neque alium ex dignitate hac fructum ſpectare, aut percipere cupio; quam vt facultas aliqua mihi ſuppetat, gratum atque officioſum, erga Vos atque hanc academiam veſtram, animum declarandi. In quibus omnibus, poſt diuini auxilium Numinis, veſtra ego ſagacitate ac prudentia nitar: & huius vnice ductu ac auſpicio, ex difficultatum periculorumque omnium labyrintho euadam. Atque ea proinde ſententia, me ipſum ſolabor, & quodammodo gloriabor: quae Theſeo, filum Ariadneum ſecuto, tribuitur: HAC DVCE SECVRVS!

XIV

LAetus admodum ego ac lubens celebro diem iſtum, quo clauus hic rei-

publicae de manu in manum tradendus, more ad academias a Romanis & Graecis traducto, decernitur. Non, quod ſordeat mihi haec dignitas: quam adeo magnam & honorificam eſſe, agnoſco; vt pro ea, nuperius mihi delata, ac veſtris hucusque conſiliis & auxiliis conſeruata, non poſſim non Vobis, Patres conſcripti! gratias ſummas ac ſingulares debere. Sed quia illuſtrem hanc ſarcinam minus apte humeris meis ſedere, exiſtimo; per integrum quippe aetatis meae curriculum, parere magis, quam imperare, adſuetus. Licet autem in eo adhuc elaborauerim: vt, quamta maxima poſſem, alacritate ac fide, muneri meo ſatisfacerem; aſt plurima tamen, quae ad tuendos, retinendosque cum laude iſtos honores, hac potisſimum tempeſtate, ſunt necesſaria, deſiderari in me, neque pauca vituperari, oportuit. Qua in re, ſicut veniam veſtram & gratiam; ita & hoc mihi polliceor: eo Vos veſtra conſilia ac ſuffragia hodie collaturos; vt ad purpuratam hanc dignitatem, digniori cuidam; mihi vero ad priſtinam vitae conſuetudinem, ianua in praeſenti aperiatur.

XV

XV

QVod ſignificandum nunc vniuerſis, & de quo omnibus gratulandum eſt! communi & ſapientisſimo Senatorum conſilio, talis, in maxime venerando atque excellentisſimo viro, Michaele Foertſchio, theologo in hac ſalana primario, talis, inquam, in collega hoc noſtro celeberrimo, qui per calculi dolores nunc abeſt, nominatus eſt academiae huius, in ſemeſtre proximum, moderator; qualem toto pectore omnes voluimus & optauimus. Si in vllius antehac magiſtratus electione, euentu felici ac laeto comprobatum eſt; quod Alexandrum Macedonem, ſuis ducibus, de imperio ordinando ſolicitis, praeſcripſiſſe, meminimus: Detur optimo! huius vtique Viri exemplo, oſtenſum & comprobatum id eſſe; ſingulari omnes alacritate ac gaudio profitemur. Idem igitur, de ipſius ſolertia ac virtute, literatorum ſibi reſpublica pollicetur; quod a Carolo Lotharingico, in imagine quadam exprimebatur: in qua, hedera creſcens prorepèret; addita ei inſcriptione: Hac ſtante, virebo! Quemadmodum autem nulli ambigimus, fore, vt ipſe etiam velit Prorector magnificus deſignatus: quod nos ma-

xime volumus: ita miſericordisſimum Deum precamur: vt ſaluus hic ipſe propediem, ac incolumis, proximum iſtum a Prorectore academico locum occupet! occupaturus mox altiorem: eandemque prudentiam, in hoc gloriae ſuae theatro, explicaturus; cuius palmam haud dubiam, in magiſtratu nouiſſimo, reportauit.

XVI

A Xenophonte, hiſtorico illo Socratico, inter alia hoc relatum, accepimus: Cyrum nempe minorem, Perſiae regem, accedenti ad ſe Lyſandro Lacedaemonio, hortum quendam, diligentisſime ſubactum & cultum, ſuo digito commonſtraſſe: cumque hic eius concelebraret ſtudium ac ſolertiam, a quo haec omnia eſſent conſita ac deſcripta; ſubridentem mox Cyrum dixiſſe: Meus iſte eſt labor, mea deſcriptio; & pleraeque iſtarum arborum, mea manu plantatae & cultae fuerunt. Qui Senatus vos academici iuſſu, in locum praeſentem iam contuliſtis, florentisſimi Iuuenes! hortum literatorum repraeſentare quodammodo mihi atque referre videmini; quem non vnus, ſed plures nume-

mero Cyri, ſartum tectumque ſeruare, atque excolere allaborant. In his maximas ſibi ac potiſſimas partes vindicant, principes noſtri ac maecenates munificentisſimi: quorum cura & beneficio, ſicut animus veſter ſcientiis, ita & corpus dapibus, in hoc athenaeo exſaturatur. Eo vnice inſtituto: vt horti in Vobis eximii, tamque adſpectu iucundi, quam vtilitate, in ſcholas ac respublicas redundante, inſigniter fructuoſi, imago ac effigies quaedam reluceat. Quemadmodum autem ab hortulanis ſapientibus ac peritis, non telluris tantum, ſed & plantarum ac fructuum bonitas, explorari conſueuit: ſic indicenda iam Vobis, aq; omnibus ſubeunda, veſtrorum profectuum diſquiſitio, non ad alium finem ſcopumq; refertur. Veſtra idcirco intereſt, politisſimi atque optimi Ciues! vt frequentes ac promti compareatis; & voce non minus, quam ſcripto, diebus his oſtendatis: quanta Vos omnes alacritate & cura, in ſpem publicae ac priuatae ſalutis, ſuccreſcere, Ducumque ac procerum votis & ſumtibus reſpondere, conati adhuc fueritis.

DIXI.

XVII

BOnis iuxta & malis, quae praeter opinionem, nobis hominibus offeruntur, ea vis ac potentia ineſt; vt manifeſtius longe & grauius, quam quae communi accidunt ratione, noſtros animos feriant atque percellant. Siue quoniam, vt recentiorum nonnulli philoſophantur, partes cerebri, quibus rerum inopinatarum veſtigia imprimuntur, nondum ab imaginibus aliis occupatae, & magis ideo molles ac flexiles, multo facilius atque vehementius commouentur. Siue quod maxime inſperata, prout Plinius in quadam epiſtola cenſet, maxime quoque mirabilia, quin periculoſa exiſtere, a plerisque mortalium iudicentur. Quando igitur, veſtro impraeſentiarum ſuffragio ac imperio, Patres conſcripti! magiſtratus academici ſparta; quam plus oneris, quam honoris habere, iam ante perſpexi; quemadmodum praeter ordinem, ita praeter ſpem expectationemque, mihi defertur; mirum vtique non eſt, ſi tam ſubitus, ac prope inſolitus caſus, ſtuporem aliquem mihi ac ſilentium imperare videtur. Vt ad Aeſchyni inſtar, apud Terentium, neque quid ſtatuam, neque quid agam, certum mihi de-

Digitized by Google

deliberatumque nunc eſſe, profitear. Deprecaturus omnino honorem hunc inſperatum & arduum, & ad dignioris cuiusdam humeros translaturus; niſi & iurisiurandi profeſſorii formula, qua imperantis officium detrectare ac fugere prohibemur; & debita Vobis omnibus reuerentia, quam ego intemeratam & ſanctam ſeruare conſtitui; fluctuantis hunc animi aeſtum ſedaret. Agite modo, patroni honoratisſimi! & eam, quam ante octennium mihi probaſtis, beneuolentiam, alacritatemque & prudentiam, tam obtrectatorum meorum liuori ac odio, quam totius academiae hoſtium indignationi atque conatis opponite! & committendam mox mihi, ſi dederit Deus, imperii academici nauem, conſiliis & auxiliis veſtris firmate!

XVIII

DE mathematicorum doctrinis atque inuentionibus, tam praeclare ac honorifice, ſapientes iam veteres ſentiebant; vt & eruditionis cuiusuis principium, Pythagoraeorum ex more, ab his ſtudiis facerent; & coeleſte atque diuinum aliquid illis ineſſe, certatim pronunciarent.

Sane Plinius ſenior, viros ingentes, & ſupra naturam mortalium poſitos, diſciplinarum iſtarum cultores & arbitros, tanto confidentius appellauit; quanto longius iſtae a terra recedere; quantoque propius mentes noſtras regionibus ſuperis atque aſtrorum orbibus admouere videntur. Inde effectum eſt, vt Romani antiqui, Graecique & barbari, diis potiſſimum, deorumq; filiis, ſtudiorum hoc genus, tanquam peculiare ac proprium, vindicarent. Quod vel Atlantis ac Herculis exemplis apparet: quorum ille, non humeris, ſed ingenio, coelum ſuſtinuiſſe; & hic pariter, non peregrinatione vtiq; ſua; ſed notitia ac deſcriptione, orbi terrarum certos aliquos fines conſtituiſſe, credendus eſt. Haud praeter rem igitur, ſummi & ſapientisſimi huius academiae conſeruatores; cum loca & munia aliquot, in ampliſſimo philoſophorum noſtrorum ordine, adhuc vacarent; de profeſſione inprimis mathematica, velut prae ceteris nobili atque neceſſaria, curam quandam praecipuam ſuſceperunt. Ac praedicari hoc loco meretur academiae Iuliae in nos affectus ac pietas: qua, vt Schmidios ipſa & Kreſſios, ex hoc nuperius athenaeo acceperat: ita viciſſim in Te, VVideburgi amplisſime! deſideratum hucusque,

que, exoptatumque ab omnibus, profeſſorem mathematicum nobis conceſſit. Vt autem his primis officii tui auſpiciis eo maior ſolennitas atque dignitas conſtet; tam Nutritorum noſtrorum literae benigniſſimae; quam legum & iurisiurandi profeſſorii formulae, Tibi iam praelegentur. Age nunc, Vir excellentisſime! tributumque a ſummis Saxoniae Ducibus, inter profeſſores philoſophos, locum occupa! Et vt tantorum Principum ſpei atq; opinioni reſpondeas; eandem dexteritatis ac gloriae viam inſiſte: quam VVeigelii, quam Hambergeri & alii, ante Te, inſtiterunt!

XIX

EXcedis, Vir perilluſtris! ex terris Saxoniae: quibus perpulchrum a Tua praeſentia lumen accendebatur; factorumque tuorum gloria, magis diffundebatur. Harum incolae, vtut multa & magna nunquam non Tibi debuerint; tamen plura adhuc & maiora debere deſiderabant; ſi maiora & plura debendi nomina ipſis contrahere licuiſſet. Nemo certe eſt noſtrum, qui tam nominis Tui, quam meriti celebrationem, non ad ſe etiam pertinere, exiſtimet: nemoque in

his honoribus ac negotiis poſthac verſabitur, qui inuenta virtutum Lynckerianarum veſtigia non intelligere diſcet; nec aeſtimare & ſequi conabitur. Sua enim natura homines, inuſitatarum dotium admiratione afficiuntur: qua & pietas ad amorem & cultum obſtringitur; & ſuus cuiusque genius, ad actiones ingentes ac egregias, excitatur. Et videris profecto, Vir ſumme! non tantum in Haſſiae, quam Tuis olim natalibus illuſtraueras; ſed in harum praecipue regionum praeſidium, ab immortali Numine deſtinatus fuiſſe. Vt & Herculem ageres, qui negotiorum omnium molem ſuis praecipue humeris ſuſtineret; & Miltiadem quendam repraeſentares, cuius tropaea, virtutumque exempla & praemia, non vnus Themiſtocles, cum ſucceſſu fructuque haud vno, reſpiceret. Primum gloriae aditum, Achilles ille Saxoniae, Ioannes Georgius I, cuius par fortitudini pietas, iure ſuo, aeternitati temporum conſecrata eſt, haud opinanti tunc Tibi, nedum prenſanti, in aula Iſennacenſi aperiebat: gradumque parabat, quo virtus Tua ſe tolleret altius, atque ad ſummum honoris felicitatisque apicem perueniret. Vbi illud in Te confeſtim apparuit; quod magnis animis proprium

ac

ac perpetuum eſſe ſolet : vt virtutibus, rebusque egregie geſtis, a ceteris dignoſcantur; & ad ardua quaeque nitantur: flammis proinde, obiectas ſibi tenebras disſipantibus, aeremque & coelum petentibus, comparandi. Sicut autem dexteritate ſuadendi, & meritorum tunc fide ornabas clementisſimum principem : ita viciſſim ab ipſo, multis gratiae atque amoris pignoribus, ornatus fuiſti. Quo ipſo, ab aulae illuſtris Proceribus, ad Ducis ſui exemplum ſe componentibus, in honore & pretio habebaris: plerisq; capacitatem ingenii, lumenq; iudicii admirantibus; multis temperamentum iuſtitiae ac prudentiae collaudantibus; cunctis vero incomparabilem, nullisque difficultatibus fractum, corporis mentisque vigorem, inter aeui huius miracula referentibus. Raram porro multiplicemque doctrinam, nemo vocare in dubium, nemo dignis efferre laudibus ſuſtinebat; quoniam omne humanum diuinumque ius, in Gieſſenſi iam academia, quam docendo pariter ac diſcendo nobilitaſti, in numerato habueras; & cum firmis philoſophiae praeſidiis, ac totius Latii atque Graeciae ornamentis, coniunxeras. Tanto igitur, quanto pauciſſimi alii, virtutis & ſapientiae apparatu,

tu, ad academiam noſtram, imo academiae nomine, ad vniuerſam rempublicam, magnamque adeo partem Saxoniae, ornandam atque tuendam, annis abhinc viginti & quatuor, acceſſiſti. Quae, dum partae a ſuis doctoribus gloriae iſtud laudum tuarum faſtigium imponebat; nihil optare amplius poſſe iam videbatur, quo adſcenderet. Ex eo enim tempore, domus tua, commune tot rerumpublicarum oraculum extitit: quod tam principes, quam ciues conſuluerunt; & a quo exteri etiam accuratas de iuſto ac aequo ſententias certatim expetierunt. Ceterum ab his ipſis prudentiae atque doctrinae fontibus, non riuos tantum, ſed flumina, in auditorum tuorum animos deriuaſti: quae apud nonnullos, in maria integra, & nunquam non redundantia, excreuerunt. Et quos ore non licuit; illos editis plusquam ducentis, diuini ingenii monumentis: quorum in commendationem & laudem, Galli, Itali, Belgae, & qui non cultioris Europae populi? cum Germanis conſpirant: erudiendos duxiſti. Dignus proinde, qui inter Iureconſultos principes, atque ſeculi noſtri Papinianos, in annalibus temporum celebreris. Tua porro virtute, qua nihil eſt amabilius, ſicut omnium Tibi ani-

animos deuinxiſti: ita Principum de Te opinione & gratia nunquam non floruiſti. Quae & ipſa, ad promerendum religioſiſſimi atque optimi Principis, Guilielmi Erneſti fauorem, ſummopere valuit; Tibique illuſtrioris adhuc gloriae palmam reliquit: vt, poſtquam in moderandis iam dudum, aulae & academiae tribunalibus, ſpem atque opinionem omnium ſuperaueras: dignam principe ſenatore perſonam, in aula iam ſua ſuſciperes: viamque, aliis lubricam, Tibi vero conſtantem & firmam, calcares: quam, prudentia duce, ingreſſus es, felicitate comite, abſoluiſti. Quot enim in tanta fortuna administraſti negotia; quot iudiciis atque curiis praefuiſti; totidem argumenta & pignora reliquiſti: nullis gloriam tuam finibus; nullis virtutem ſpatiis circumſcribi. Quando igitur, ante annos nouendecim, ex tota purpuratorum corona, vnus aliquis deligendus a noſtris Principibus erat: qui fidem ipſorum, Imperatori auguſto, cerimonia priſca & ſancta, adſtringeret; Tuum prae ceteris nomen obuerſabatur magnatibus, quod, quantum ad eam rem ſufficeret, dignitatis atque ſplendoris, legationi adferret; inque totius veluti orbis theatro, & magni illius Leopoldi conſpectu, de-

cus

cus gentis Saxonicae exiſtimationemque ſeruaret. Atque auditus tunc es, vt Menenius quidam Agrippa, cum admiratione eloquentiae, cumque fauore, quem Deus propitius omnium animis inſerebat; quando ſuam in Te grauitatem Hiſpani, elegantiam Galli, ſapientiam Itali, integritatem Germani, atque reliqui populi dotes reliquas agnoſcebant. Tuo certe tunc apparebat exemplo: conſiliarii ac legati peritiam, non vnius, vel aulae, vel ciuitatis limitibus contineri; ſed totius cognitionem imperii poſtulare: vt quo modo ac nexu, cum vniuerſis cohaereant ſingula; & quae inprimis, ex iuribus poteſtatis, ad praeſidium cauſae faciant; accurate, ac ſine erroris periculo, indagetur. Quae Tu omnia, quam decore ac ſapienter perfeceris; ex euentu perſpectum eſt: quando Equitis ac Baronis honoribus auctus, ſummamque Imperatoris gratiam conſecutus; fauſta procerum atque ciuium acclamatione excipiebaris. Tum vero pro maieſtate imperii, proque gloria Auſtriae, nihil Tibi non faciendum putaſti: auguſtique ſanguinis reuerentiam, ſermonibus iuxta & ſcriptis, teſtatus es. Hunc nempe in finem, a rerum humanarum moderatore conditus ac ſeruatus: vt inter caeſaris

ſaris ſummi conſiliarios poſt paulo cooptareris; qui inter Saxoniae proceres, eruditione pariter ac virtute regnares. Quod ipſum nouiſſime; cum ſplendidiſſimam rurſus legati prouinciam, in luce aulae Vindobonenſis, ſuſciperes; atque omnium in Te ora conuerteres; coeleſtis prouidentiae ope effectum eſt. Iamque maturas, Vir ſumme! iter hoc arduum, quod virtutum Tuarum veſtigiis, vice plus ſimplici ſignauiſti: cuius & fauſta Tibi initia, & exitum longe fauſtiſſimum apprecamur. Adſcende ad gradum, excellentiſſime domine! quo diuina Te ſapientia ac virtus prouexit! Nitere porro pro Germaniae gloria, vnde & Tua dependet! Tuere honorem iuſtitiae, cuius ſacerdos praecipuus, in ſacroſancto imperio, euaſiſti! Sed & noſtrum hunc ordinem, perpetuo Tibi cultu addictum, ex nouo honoris faſtigio reſpice: cuius moderator non magis, quam ſtator, merito celebratis!

XX

CVpiebam antehac, & enixe optabam, cuius cupiendi atque optandi, cauſae mihi grauiſſimae erant: vt in academiae huius Tu luce; quam excitati ac docti ingenii monumentis haud parum auxiſti; perpetuo ageres: & quemadmodum Te in oculis adhuc tuliſſem; ita nunquam ab oculis meis ſeiungereris. Verum aliter Tuae fortunae, vel coeleſtis potius prouidentiae rationes ſuaſerunt: ita res Tuas nouisſime ordinantis; vt Eiſenbergae lyceum, conſuetudinis noſtrae, iucundique colloquii fructum nobis eriperet; & doctrinae ac fidei tuae cupiditate incenſum, noui muneris dignitatem offerret, aduentumque tuum vrgeret, Adfinis ſuauisſime! quem ego hinc diſcedentem, non ſine doloris ac deſiderii ſenſu, dimitto. Niſi gaudere potius mihi, & gratulari conueniat: eum me voti & praeſagii mei fructum tuliſſe: vt rei poſthac ſcholaſticae, ac elegantioris literaturae praeſidium eſſes; meritique iam pridem honoris incrementa caperes: quae, Gottere carisſime! tantum abeſt, vt Tibi inuideam; vt maiora & cumulatiora propediem euenire exoptem. Dudum eſt, quod & vſus inter nos, & necesſitudo arctis-

arctiſſima interceſſit; neque leuis interea mihi, ex ſermonibus tuis & ſcriptis, voluptas enata eſt: quibus praeſtantiorem Tu indolem, atque animum doctrinarum capaciſſimum, & eum denique cultum ingenii, teſtatum feciſti; quo rempublicam literariam aliquando proueheres, maiorumque tuorum ſic laudem amplificares. Demonſtraſti ſaepius: ea Te, res praeclaras excogitandi, ſolertia ac ſubtilitate praeditum eſſe; quae Alcibiadi a Plutarcho tribuitur: quem in inueniendo, omnium eſſe acutiſſimum, communis Graecorum opinio & fama ferebat. Cuius niſi tot alia, in prytaneo hoc cognita, documenta extarent; vel ingenioſiſſimum illud, Chriſtiani Ducis elogium comprobare id poſſet; numero atque artificio orationis ligatae compoſitum; & aliorum nomine quidem, ſed eo tamen, ni fallor, omine, in publicam a Te lucem emiſſum: illius mox athenaei habenas Te ſuſcepturum; quod ab eo erectum principe eſſet: cuius Tu immortalem memoriam ad poſteros propagare, in ſalana hac noſtra, curae cordique ſic habuiſſes. Neque vel iudicandi, vel diſponendi acumen, quale Cicero in Hortenſio oratore celebrat, Tibi deeſſe; huius rei tot arbitros, teſteſque publicos

vides; quot diſputantem Te ac docentem apud nos audiuerunt; cum nemo facile inter omnes repertus ſit, quin fauore Te ſuo atque applauſu proſequeretur. Accedit in Te, ea pronunciationis actionisque gratia atque ſuauitas, quae Publio quondam Lentulo quaſi propria cenſebatur. Qua vero & Tu, in illis praeſertim orationibus, meum aliorumque amorem Tibi conciliaſti; quas liberorum pariter ac deliciorum meorum, Ioannis videlicet Chriſtiani, nec non Suſannae Catharinae, & Ioannae Charlottae, ad ſedes diuinas tunc euocatorum, honori ſupremo, in corona procerum atque eruditisſimorum hominum, recitaſti. Quam dicendi, deque tot argumentis egregiis diſſerendi dexteritatem, ſicut naturae primum beneficio accepiſti: ita permultis ſcientiis atq; vſu augendam perficiendamq; duxiſti. Alienus omnino ab hodiernis rei academicae & ſcholaſticae corruptoribus: qui Sexto illi Empirico; ſolam cuiusque indolem, & ad loquendum propenſionem, eloquentiae magiſtram laudanti; in ſcholis & aulis aſſentiuntur. Sed Tu, veterum magis, quam nouatorum conſilio & auctoritate nitendum in his ſtudiis eſſe; ſicut a ſapientiſſimis viris edoctus es: ita tuos poſtea audi-

to-

tores docebis. Neque vanorum hominum vocibus, aut exemplis etiam, commoueri Te ſines: qui per immodicum affectatae & pictae orationis ſtudium, quam longiſſime a vera eloquentiae via recedunt: & Auancinos atq; Theſauros per florida ſua ſecuti; a Cicerone & aliis, praeſtantisſimi aeui magiſtris, deficiunt. Habeant illi congeſtam inſolentium, & plus quam muliebrium artificiorum ſupellectilem! Iactitent pueriles argutiarum & elegantiarum floſculos: magnamque vim obſcurarum atque inquinatarum locutionum, cum dedecore ſuo effundant! linguas ſcilicet eruditas, inſtar veſtium variari, & in ſingulos annos mutari, abſurde ac ſtolide arbitrati. Meliora Tu longe, ſicut a tuo olim Schurzfleiſchio, Vittebergenſis tunc academiae ornamento, hauſiſti, inque ſalanam hanc attuliſti: ita Magiſtri & Adiuncti philoſophi decus apud nos meritus, doctrinis ac literis prodidiſti. Peculiare iam olim hoc fuit nobilisſimis tuae gentis hominibus: vt rectisſimam ſtudiorum, actionumque omnium rationem inirent; & hoc vnice animo, ad ornanda, quae diuinitus obtinerent, officia, ſe conferrent; maximamque & ſempiternam hinc laudem conſequerentur. Ego vtique ad-

miratione nec leui, nec iniucunda, afficior; quoties de Gotteris & Sagittariis cogito; prout cogitare de ipſis quam saepiſſime ſoleo: quorum inuſitata, aduerſus rem publicam, ciuitatemque diuinam, merita, haud ſecus ac ſtellae, oculos meos praeſtringunt. Praeſertim in Sagittariis perſpectum hoc fuit: quomodo iſti, per literata negotia, laudabiliter in ſcholis confecta, velut per gradus, ad dignitatum ſacrarum faſtigia, vtiliter olim & glorioſe adſcenderint. Sicut itaque magnum hoc Dei immortalis eſt munus; cum maiores, dexteritate antehac ſua euecti, dignos poſt ſe nepotes relinquunt: ſic inſignis per ſe, familiae tuae felicitas, per tuam non minus virtutem, Gotterorum & Sagittariorum praeſtantiae aemulam; eademq;, vt auguror, via, ad ſublimiora tendentem; beneficio coeleſti augetur. Neque igitur, niſi Tuorum imagines, animo poſthac tuo propones: vt ſimile per Te lumen, rei primum ſcholaſticae affundatur; atque generis tui dignitas, officiorum ſacrorum acceſſione mox illuſtretur. Ad extremum, & mei, Vir praeclariſſime! retinebis amorem; & conſuetudinis noſtrae memoriam conſeruabis: quemadmodum ego Te abeuntem, animo atque co-

cogitatione proſequar, nec diligere vnquam ceſſabo. Ita vale! prouinciamque Rectoris ampliſſimam, non tuo ſolum, ſed rei inprimis literariae bono, felix atque incolumis adminiſtra!

XXI

ADſcende ad gradum, Vir praeclarisſime! inter doctores philoſophos ſummum; ſed quem virtus mox tua ſuperiorem amplioremque efficiet: ac vergente licet hoc anno, felicitatis & gloriae incrementum exſpecta! Neque enim vllius ſpatio anni circumſcribitur, ardor animi: quo tum alias diſciplinas retruſas & abditas, tum ſanctiores potisſimum literas, ad fratris eruditiſſimi, Ioannis Eliae Reichardi exemplum, ita proſequeris; vt in media degens Thuringia, orientis in terras concedere; beataeque illius prouinciae opes colligere videaris. Haec nimirum praeſidia, ſanctioris ſtudii inſtrumentis & armis iungenda ſunt: ſiue cum veritatis hoſtibus congredi; ſiue ex cathedra aut ſuggeſtu docere oporteat. Nam qui congeſtis anxie commentariis; in quorum compluribus, multa paſſim errata, multa non animaduerſa, multa minime

me exquiſita occurrunt; ſecure ac vnice innituntur: illos labi & ipſos; & in idem labendi diſcrimen alios ſimul vocare, neceſſe eſt. Quanto igitur maior ſtudiorum iſtorum neceſſitas vſusque adparet; tanto rarior noſtri aeui eſt gloria & felicitas: dum diſſipatis ſuperiorum annorum tenebris; vbi Graeca atque Ebraica noſſe, pro ſacrilegio habebatur; non modo his linguis; verum Chaldaicis etiam & Syriacis, quin Arabicis atque Aethiopicis literis, magna in ſcholis & academiis lux accenſa eſt: cuius radii, praeter theologorum doctrinas, medicinam quoque & iurisprudentiam, atque ceteras artes illuſtrant. Vidit iam olim Petrus Cunaeus, cum Ioanne Seldeno; viderunt noſtra aetate Ludolfus ac VVagenſeilius, & quem pariter honoris hic cauſa adpello, Breithauptius; vt iam ceteros taceam; iurisconſultorum etiam arua, his fontibus, non ſine ſucceſſu, & orbis totius commodo, irrigari. Medendi vero magiſtri, artis ſuae vocabula iuxta & libros, earundem ope linguarum, praeclare interpretati; non in Bartholinorum Borrichiorumque familiis, aut ſub alieno iam aethere requirendi ſunt; quando ipſi habemus Rolfincios, ac VVedelios, quos faſtoſis exteris, tanquam iſtius etiam literaturae

de-

decora ac praeſidia, oſtentemus. Ac debebat profecto ipſa pietas, quoscunque chriſtianorum, ad applicandum conſecrandumque his litteris animum, inflammare; ne a Mohammedanis & barbaris; multum operae in addiſcendas Arabicas dictiones, ad capienda Alcorani commenta, a prima vsque aetate, impendentibus; religionis amore & ſtudio vincerentur. Sed quod dolendum eſt maxime; ad magnitudinem difficultatemque huius ſtudii, ceu ad Gorgonum capita, ita trepidant & cohorreſcunt plerique: vt aut longiſſime ab eo recedant; aut ſtationem iuſto citius deſerant; animumque ignauum ac mollem teſtentur. Reperti ſunt quidem, qui, neſcio, cuius artis myſterium, clauis vniuerſalis nomine inſignitum, iactarent: cuius ope, in quarumcunque linguarum notitiam, intra paucas oppido, ac tres duasue hebdomadas, penetrare liceret. Cuiusmodi quid in Anglia, Georgio nuper Dalgarnio in mentem veniſſe: eodemque fere, in noſtra Germania, Ioannem Ioachimum Becherum, & Andream Mullerum; partim edito, partim promiſſo characterum vniuerſorum indice; reſpexiſſe, nemo ignorat. Quale quidem nos artificii genus, inter miracula lauda-

remus; ſi praeſtari ab illis id potuiſſet; aut ſi impoſterum, ex profundo Democriti puteo a quoquam extraheretur. Tuam teſtor hic fidem, Adfinis cariſſime! cuius optimi, his in rebus, conatus, in publica luce verſantur: annon linguarum inueſtigatio in illis habenda ſit ſtudiis, quae in ſublimi ſunt poſita; & quo aliquis, citra ſudorem defatigationemque, vix vnquam adſcendet? Sed haec omnia, impeditum tenere Te quidem ac premere; minime autem obruere, vel vincere potuerunt. Vt delectarer proinde tua conſtantia: quae & permagnis laboribus, & laudabili vitae diſciplina, ſe tueretur: verisque doctrinae exiſtimatoribus; imo principi quoque aetatis huius philologorum, Ioanni Andreae Danzio; nunquam non probaretur. Atque proprium ſane hoc habet tua familia: vt ad verae ac meritae laudis cupiditatem magno impetu incitetur; nullosque fugiat aut detrectet labores, qui ad decus priuatum & publicum referuntur: quorum vt fructus capit vberrimos: ita nouis propterea ornamentis atque honoribus, crebro admodum illuſtratur. Quis enim ignorat, quanto opere pro gloria Dei nitantur, nobilisſimi aulae Saxo-Gothanae proceres, Reichardus atque Gotterus? qui-

quibus ipſi conſiliis, ſui principis bono exiſtimationique reſpondeant? quantaque alacritate & cura, ſuis ciuibus prudentiae ſuae fructus impertiantur? Similiter meis ſubinde oculis obuerſatur Henrici illius Fergii, ſummi theologi, & ſanctisſimi ſacerdotis, effigies: quippe animo ſuo, innumeras, ſicut virtutes, ita ſcientias, easque omnibus abſolutas partibus, & cum omnium admiratione, complexi; nec niſi honori diuino, coetusque ſanctiſſimi incrementis, perpetua cogitatione & cura intenti. Horum, inquam, ceterorumque exempla egregia, perinde vt antiquorum tropaea, nullam animo tuo quietem tarditatemque permittent; ſed vehementer potius Te mouebunt, inque crebros virtutum & ſapientiae actus impellent. Cuius rei & incitamentum, & adminiculum, Tibi futurus eſt gradus: ad quem tua Te probitas dexteritasque prouexit. Quem vt ſimili laude, cumque ſimili poſthac emolumento & gaudio, tuearis: eo precor adfectu; quo Te tuaque vniuerſa amplector.

XXII

EAm equidem Romanorum veterum conſuetudinem, qua oblatas in ſomno ſpecies, praeconis ſtatim efferri elogio, ac diuulgari curarunt, inter ludicra huius gentis ac ridicula numerare conſueui. Ob tuam tamen, Gottere clarisſime! de vxoris Pilati ſomnio, commentationem doctisſimam, iam plauſus ciere, fauſtisque ſtrepere vocibus; aequum bonumque exiſtimo. Neque enim, vt Epicuraeorum philoſophi cuncta pormiſcue ſomnia neglexerunt, ac pro nihilo habuerunt: ſic ſcriptionem hanc Tuam omine ac augurio laeto carere, crediderim. Sed quemadmodnm antiquorum nonnulli, percepta a dormientibus ſimulacra, cum cithara aliqua; cuius fides, ceſſante etiam digitorum impulſu, adhuc tremere ac tinnire, ſentimus; belle admodum contulerunt: ita aut fallor magnopere; aut eiusmodi aliquid, de praeſenti ingenii monumento, quo viſa quaedam nocturna interpetaris, ſtatuere ac pronunciare licebit. Nam, quae alacri ac ſolerti hucusque voluiſti animo, & ex foecundo veluti agro hinc protuliſti; ea ſcripti hoc genus, ad ſuauis inſtar citharae, reddet lectoribus; poſtquam voluere

illa

illa, & proferre deſtiteris. Atque verius longe futurum, coniicio: a tui vt ſomnii lectione, ipſi etiam vigilantes, ceu doctiores, ſic emendatiores diſcedant; quam Eulogius ille, ab Auguſtino per ſomnium aliquando edoctus, inque optimis argumentis inſtructus, commemoratur. Praeter haec omnia, eum Tibi, Adfinis dulcisſime! ex hoc ſpecimine fructum promitto & auguror; quem ex inſomniis ſuis Heſiodum retuliſſe poetam, Nicephorus auctor eſt. Is enim ad Cithaeronem, Theſſaliae montem, alumnas Apollinis, Muſas, folio lauri ſe nutrientes, dicitur obſeruaſſe; qua ex re vates iſte diuinus magnum clarumque inter eruditos poſtea nomen euaſerit.

XXIII

QVi per annorum iam aliquot interualla: cum vel ſcientiarum ſacrarum incunabula, auctoresque & fata ſcrutarer; vel ornate ac dextre dicendi ſapientiam, in cathedra & ſuggeſto regnantem, & materiis ac euentibus cunctis accommodatam, publica priuataque opera explicarem: & comitatus me ſemper; & ſingulari adfectu ac ſtudio proſecutus

cutus es; facere profecto non potuiſti, quin me Tibi viciſſim conciliares, atque arctius paulo coniungeres. Familiaritatis igitur noſtrae, mutuique amoris ratio poſtulabat: vt Tibi, ad laudem adeo incorruptam ac ſolidam contendenti, fauerem: tuamque induſtriam, non in humanitatis tantum, ac rectioris philoſophiae ſtudiis; ſed in diuinioribus quoque ſcientiis, a theologorum noſtrorum anteſignano, Michaele Foerſchio, accurate & ſancte traditis; nullasque, a recentiorum quorundam haereſi, errandique licentia, ſordes trahentibus; praeclare eniteſcentem, ominibus atque acclamationibus laetis proſequerer. Cum enim infauſtum illud & atrox patriae tuae incendium, fortunas Tibi ac res haud admodum amplas reliquerit: nihil a Te interea laudabilius, aut conditione ac indole tua dignius agi poterat; quam vt praeſtantiores his longe diuitias; quae in virtute & ſapientia ſitae ſunt, nec inani fulgore aut ſpecie fallunt, neque cum amittendi timore ac periculo poſſidentur; Dei ac praeceptorum fidelium ope, Tibi acquireres. Prae quibus, vt opes incertas & fluxas, & cum proſpera fortuna ac vita, hominem deſerentes, parui facere conſueuiſti: ſic per-

peruerſa quorundam & ſtolida diteſcendi conſilia atque artificia: quae a maligno genio ſuggeruntur; multumque ideo fraudis & malitiae habent; aeternamque haud raro perniciem adferunt; reprehendere ac damnare, tuarum omnino partium arbitraris. Quam horrendum igitur ac infame flagitium, ab illius ſanctisſimae noctis, quae natalis obtigit Chriſto, violatoribus, theſauro cuidam, prope patibulum, inhiantibus; ſollemnique incantantium formulae, eam in rem adhibitae, ſiue immortuis, ſiue ad ignominiam ſuam ſuperſtitibus; nuperiori decembri apud nos patrabatur: tam glorioſa & vtilis a Te opera, ſummi Foertſchii noſtri praeſidio, in diſſertatione hac docta & egregia collocatur: qua inſanum hoc facinus atro calculo notras; pactionemque cum inferis, ſi non apertam, certe occultam & tacitam, ab his tenebrionibus factam, recte & grauiter deteſtaris. In ipſo autem hoc monimento; quo a theſauris fallacibus ac prohibitis animos lectorum abducis; collectas iam dudum eruditionis & ingenii opes explicas, ac ſine faſtu oſtentas. Quarum mox lucrum vberrimum, ſcholae pariter, coetusque diuini, me vade & augure,

faci-

facient; cum hos illasque, Dei prouidi nutu, ornabis: nec Ariſtippi tantum philoſophi, ac Simonidis poetae exemplo; ſed Tuae quoque virtutis ac ſcientiae argumento, docebis: hominem eruditum & probum, ſuas diuitias, ſuo vbique animo ac ingenio circumferre.

ELO-

ELOQVENTIAE ACADEMICAE
ARGVMENTA
SEPTIMI ORDINIS
EX ILLIS CONSTANTIA

QVAE

OCCASIONE

SACRORVM SECVLARIVM

DICTA VEL SCRIPTA

AB AVCTORE FVERVNT.

Google

VIro
Illuſtri & magno
GEORGIO VVOLFGANGO VVEDELIO
Schvvarzae praedium hereditarium
Poſſidenti
Sacri palatii Comiti
Tamque Imperatoris ac Regis Hiſpania-
rum
Auguſti
Quam sereniſſimorum Saxoniae Ducum
A conſiliis
Et horum etiam a re medica
Nec non Doctori
Et ſalutaris ſcientiae Profeſſori
Immortaliter merito
Patrono & ſanitatis ſuae conſeruatori
Egregio
Quod
Sua is Natalitia
Quarta ac ſeptuageſima
Paulo poſt ducenteſimum religionis no-
ſtrae Natalem
Fauſto omine celebrauerit
Quod
Veritatem non minus quam ſanctimoniam
Luthero vindice reſtitutam

Illam doctrinis & ſcriptis
Hanc exemplo ac vita
Adſeruerit
Quod
Diuinum hunc Virum
Sicut certis de regno Turcarum vaticiniis
Nuper aequiparauerit
Sic ſanitate & annis ſuperauerit
Atque
Vt ſpes votumque eſt omnium
Porro ſuperaturus ſit
Et
Quod ipſe Lutherus
Dum ſanctae reipublicae morbis
Remedia exquiſita parauit
Summis ac felicisſimis Medicis
Suo merito adiungatur
Hanc de Luthero
Et Sacris Lutheranorum
Orationem
Argumentique ſimilis Scriptionem
Et cum hac iuxta & illa
Gratum pro bonitate ac beneficentia
Animum
Dat dicat dedicat
AVCTOR.

II

SI aetatem hanc noſtram nulla alia bonitatis diuinae ſpecimina atque pignora illuſtraſſent; inſtar omnium certe hoc vnum haberi, viuisque ac poſteris inculcari, & ſummis in coelum laudibus tolli deberet: quod illius celebritate ac laetitia temporis iam frui queamus: quo, poſt ſeculi ſecundi decurſum, reuocatam a Deo, Martini Lutheri opera, veritatem recolimus, & commemoratione piisſima decoramus. Cuius indolem atque magnitudinem boni nemo rectius capiet ac perſpiciet; quam qui ſuperiorum annorum, in prouinciis iſtis, caliginem ac miſeriam, cum ſtatus praeſentis felicitate, cognitionisque coeleſtis lumine, comparabit. Ante enim, quam generis humani redemtor inter homines agere ac docere coepiſſet; quin primis adhuc, poſt eum naſcentem, ſeculis; quamuis legatus Numinis, Paulus, ad Illyricum vsque penetrauiſſet; atque ſocii eius, ſi Nicolao Serario habenda eſt fides, in vrbem quoque Moguntiam aduenisſent; dictorumque tot ſalutarium fama, dubio procul, ad noſtram non minus Saxoniam ac Thuringiam emanaſſet; tamen illorum, qui patriam noſtram tunc

incolebant, barbara ac indocilis turba, requiſito a ſe obſequio pertinaciam, atque tenebras luci anteferebat. Vsque eo, Dei & Chriſti ignoratio, Thuringorum animas, bonis ſublimioribus ac aeternis priuatas, in errata & crimina infinita, ac in deorum praecipue cultum horribilem, non ſine ipſorum periculo ac exitio, impellebat. Huc ſolis ac lunae, atque aſtrorum veneratio; huc lucorum & arborum, nec non fontium & equorum ſacrorum adoratio; huc diuinitas, ſicut Iſidi & Stuffoni, ſic Arminio atque Puſtero, ac innumerabilibus monſtris tributa, referebantur. Quibus & indignationem diuinam, & temporaria ac aeterna ſupplicia, paganis a Paulo denunciata, nationes has meruiſſe; nemo inficiabitur; niſi cum Mohammede ac Zvvinglio, hominibus quoque incredulis coelum aliquis aperire, & tanquam impietatis praemium, vindicare voluerit. Equidem Numen coeleſte, his aliisque peccatis & flagitiis prouocatum, miſericordia adhuc reflexit: ac regente Francorum res Chlodoueo; cui & religio chriſtianorum percara, & Thuringorum regio tributaria erat; imo ante hunc Principem, eo permouit: vt viros aliquot pios ac doctos, ad aperienda huic gen-

genti, literarum ſacrarum myſteria, inuitaret atque pelliceret. Hi, impoſitis ſibi, praeſulum antiquorum ex more, manibus; & facultate docendi a magnificis Thuringiae viris conceſſa: quum palatia ac templa deeſſent; ad fontes & quercus, atque alias arbores, ſacra fecerunt: remque eo propemodum deduxerunt; vt cum Francis Thuringi, ad Dei imaginem conditi, ſuae originis ac nobilitatis recordarentur; neque ea pro Deo amplius honorarent, quae non Deo tantum, ſed & cultoribus ſuis peiora ac inferiora exiſterent. Atque vt ſacras illorum orationes, doctrinasque propoſitas, bonam partem, Cyriacus Spangenbergius ab interitu vindicauit: ita Haislebi potisſimum ac Guthelmi, nec non Muleri atque Guntheri, & ſequacium nomina, inter temporum horum antiſtites celebrantur. Superueniebat his viris, in Anglorum Deuonia natus, & inter ſanctos relatus, Bonifacius: qui, dum Thuringiae incolas; a cultu eorum, quae diuinitatis aliquid, appellatione tantum, & vecordia inuocantium, mentirentur, abduxit; & in lauacro diuino adminiſtrando, verbisque ad populum faciendis, priorum veſtigia perſecutus eſt; ſummam exiſtimationem ac laudem

obtinuit. Poſtquam vero epiſcopi nomen & pallium a Gregorio ſecundo accepit; illud ſibi negotii datum, Bonifacius iſte putabat: vt Romani pontificis iugum auditoribus ſuis imponeret; & abolitis ac damnatis, qui ſe opponerent, ſacerdotibus, opiniones ſuperſtitioneſque ineptas, cum ciue & aſſecla, VVunivvaldo, vbique diſſeminaret. Neque adeo longe abfuit, quin ſectati hunc Bonifacium, noſtri maiores, & in Romanienſium caſtra transgreſſi, ad impietatis priſtinae, ac paulo antea eiuratae, ſtatum reciderent. Acu quippe rem tetigiſſe putandi ſunt, qui cerimonias & opiniones pleraſque, a Pontificiis approbatas, ex hominum profanorum, atque a Chriſti notitia remotorum, lacunis fluxiſſe, cum Martino Chemnitio, ringentibus licet aduerſariis, euicerunt. Quoties certe Romanienſes, pro mortuorum manibus, ſumto ob id argento & auro, ſacra facere, experimur; toties moris ac ritus ſimillimi, a Iaſone incredulo, & imitatore ipſius, Maccabaeo, ſeruati, meminimus: quo olim pagani, pecunia diis ſuis donata, hoc videlicet pacto peccata & crimina expiari, credebant. Quem deinde ad modum Aeneas apud Virgilium, ad patrem ſuum Anchiſen; alii

ve-

vero ad Iouem & Mercurium, Iunonemque & Palladem, ſupplicationes & vota ſuſcipiebant: ita qui Romanorum pontifici morem gerunt, homines ſanctos, haud ſecus ac adiutores aliquos, ſuis precibus atque ſacrificiis venerantur. Vnde inſuper ignem ſuum purgantem Pontificii, niſi ex ſcripto Platonis, quod de anima extat? vnde coniugii ciborumque contemtum, niſi ex Pythagoraeorum ac ſimilium diſciplina? vnde cereos ſuos, peregrinationesque & vota inania, niſi ex Romanorum atque Graecorum deliriis, didicerunt? Cum praeterea veneratores deorum, regionibus ſuis & vrbibus certos genios atque cuſtodes praepoſuerint; & Aegyptus Oſiridem, Africa Mopſum, Delphi Apollinem, Athenae Mineruam, Creta Dianam, eo nomine adorauerint; idem facturi ſacrificuli, Germanorum ſimiliter terris Georgium; ac Thuringiae noſtrae Martinum; aliisque prouinciis alios, tanquam numina quaedam auxiliaria, praefecerunt. Quin Ienae pariter noſtrae tutelam & cuſtodiam Michaeli angelo mandatam fuiſſe; tum ex aliis argumentis ac teſtimoniis, tum ex eo elucet: quod effigiem eius, Pontificii, in curiae noſtrae feneſtris, eum ad modum depinxerint: vt alae ipſius, vuis pluri-

bus exornatae ; templumque ſeu caſtrum, capiti eius impoſitum ; dextra porro ad coelum ſublata ; ſiniſtra vero, cum cruce pariter ac leone, coloribus albis ac rubris illito, iſtorum temporum ſuperſtitionem infelicitatemque oſtenderent. Tanta igitur nox, chriſtianorum doctrinae ac reipublicae, ſicut in reliquis terris, ſic in Thuringiae vrbibus, vicisque & pagis, ad ſeculum ſextum ac decimum vsque, offundebatur. Cuius ſeptimo atque decimo anno, finis dierum octobrium, illius proſperitatis gaudiique initium, noſtrae primum Saxoniae, multisque deinceps orbis terrarum regionibus attulit: vt excitatus a Deo, diuinisque iam olim oraculis celebratus, Martinus Lutherus, ſcripti publici, templo tunc VVittebergenſi affixi, perſpicuitate ac luce, denſam adeo infauſtamque caliginem, tam ab animis, quam oculis noſtris diſpellere, bono atque coeleſti omine, cumque ſucceſſu incredibili, ordiretur. Huius itaque religionem diei & gloriam, a qua omnium ſeculorum felicitas pendet; vt anno abhinc centeſimo, laudabiliter, & magnorum Principum iuſſu, eſt factum : ita hoc ducenteſimo anno, ex ſummorum ſimiliter Nutritorum ſancito, haud vna, ſed multis continen-

tinenter diebus; neque in templis & aris tantum, ſed & in auditoriis noſtris & cathedris; pro eo, ac par eſt, celebrabimus. Et principio quidem, academiae noſtrae orator ampliſſimus, Ioannes Caſpar Poſnerus, ventura Mercurii luce, inſtituti illius ſanctiſſimi, a Lutheranorum anteſignano, Luthero ſuſcepti, praeſtantiam ac diuinitatem, praedictionibus pariter, ac Dei vocantis atque iuuantis indiciis comprobatam, in ſacra collegii aede, vniuerſi ſenatus nomine, praedicabit. Poſt quem, theologiae profeſſor egregius, & in lyceo hoc ſenior ac primarius, iamque decurio, Michael Foertſchius, tam oratione acuta, reſtitutum a dicto Luthero ordinem, quo fideles ac pii, Dei iudicio abſoluuntur, comprehenſura; quam diſſertatione ſollemni, qua de actuum diuinorum, quibus homines ſancti redduntur, ſerie explicabit; partes pariter ſuas tuebitur. Neque reliqui huius ſalane Theologi, eruditione & fama conſpicui, Ioannes Franciſcus Buddeus, & Ioannes Andreas Danzius; & qui doctrinas diuinas extra ordinem tradit, Ieſaias Fridericus VVeiſſenbornius, ſuum deſiderari officium, patientur. Quandoquidem primus iſtorum, de Lutheri iudicio, contra coetum pontificium

lato; alter vero de codicis ſancti integritate, ad Ebraeorum recentium inſtar, a Romanienſibus oppugnata, & ex Maſoretarum circulis notisque correcta; atque tertius, tam de illorum iactantiae documentis duobus, quam de Filii Dei notitia, ab ipſis peruerſa, ſubtiliter diſceptabunt. Quibus ex Iureconſultorum ac Philoſophorum corona, celebratiſſimi Viri, Burcardus Gotthelfus Struuius, Ioannes Iacobus Syrbius, & Ioannes Reinhardus Ruſius; ille de Imperatorum vindiciis, quas ipſi, ſecundum ius ſuum, a pontificibus haud raro turbatum, poſt inſtauratae religionis tempora, decreuerunt, rite diſputaturus; iſte philoſophandi etiam rationem, de Lutheri ſententia reformandam, commonſtraturus; hic Lutherum cum Abrahamo, Chaldaeorum ex terris diuinitus euocato, comparaturus; nec non Magiſtri aliquot eruditi & clari, iuſto ordine ſeſe adiungent. Vobis conuenit, Ciues! ſacra haec & ſollemnia ſecularia, iis animis, geſtibusque ac modis obire, vnde vera Lutheranorum religio, virtusque ac innocentia, aduerſariis quoque inuitis, eluceat. P. P. ſub Acad. ſig. Domin. XXIII poſt Trinit. A. O. R. cIɔ Iɔ CCXVII.

III

III

DE quo & nobis gaudemus, & toti Lutheranorum reipublicae gratulamur! nouum, ac vere ſecundum hoc ſeculum, religioni diuinae, a Pontificiorum erroribus atque vitiis depurgatae, nudius quartus acceſſit: cuius commoda & ſolatia, non in vnum, aut duo tantum; ſed in omnia, ſi quae in poſterum erunt, ſecula transmittentur. Quis enim rem paruam, aut exiguam arbitretur? ante ducentos hos annos, diem octobris poſtremum, prima Lutheri victoria contra aduerſarios nobilem, eius temporis & conuerſionis principium extitiſſe: qua maiores mox noſtri cum veritate mendacia, ſuperſtitionem cum pietate, ſeruitutem immanem, & animorum angorem perpetuum, cum ſtatu tranquillo ac libero commutarunt? Quorum nos beneficiorum memoriam, vt nunquam deponere, aut extinguere; ſic praeſenti potisſimum tempeſtate: quae in Germanorum non modo regionibus, Chriſti potius, quam Romani pontificis partes tuentibus; ſed in toto, qua patet, Lutheranorum & Proteſtantium orbe, ſollemnis ac feſta habetur; pro eo, ac decet, recolere: maiorique ala-

alacritate & ſtudio, quam vel in ludis ſecularibus, a Publicola inſtitutis, Romani; vel in iubilorum ſuorum certaminibus, a Deo ac Moſe introductis, Ebraei; ſempiterno Nnmini, ceu ſalutis ac libertatis noſtrae auctori, & gratias agere, & ſupplicare debemus. Cum autem hoc pietatis & officii genus, in ſuggeſtis hucusque ac templis, non ſacerdotes tantum, ſed omnes cum ipſis fideles ac pii obierint; nobis equidem, rerum momenta & principia obſeruare adſuetis, illud adhuc negotium dari, quin iure aliquo vindicari videtur: quod & Iudaeis veteribus, dies feſtas agentibus, a Deo mandatum; & conatibus noſtris ac ſtudiis valde accommodatum eſt: vt celebritatis iſtius, liberationisque a iugo pontificio, cauſam & ſcaturiginem indagare, &, quantum in nobis poſitum erit, aſſerere ſtudeamus. Namque obtrectatorum aliquibus, hanc ſacrorum mutationem, qua nihil praeſtantius ac diuinius dici poteſt, Dei atque bonorum omnium hoſti tribuentibus; imo ab hoc, & genitum extra patriam ſuam Lutherum; & in rebus, regno tartareo aduerſis, edoctum; & antequam moreretur, ſepultum, perhibentibus; nulla merito, niſi extremae peruerſitatis ac im-

impudentiae, fides habetur. Aularum praeterea ac rerum publicarum magiſtri; dum ea tantum, quae a cauſarum naturalium, hominumque mortalium ope, in negotio nec humano, nec naturali, profecta ſint, tam acumine ſuo enucleant, quam oratione exornant; deſiderio noſtro ac ſtudio, quo, ad primum religionis purgatae principium cognoſcendum, ferimur ac impellimur, nulla ex parte ſatisfaciunt. Ego igitur, abductam ab omnibus cauſis, in terrarum hoc orbe, vel infra eum quaeſitis, mentis aciem, non niſi in Dei benignitate & potentia: qua, poſt errorum tot tenebras, cognitionis coeleſtis & ſanctisſimae facem, Lutheranorum coetibus, ante duo haec ſecula, allucere voluit; Vobis, Prorector magnifice, Virique ac Iuuenes honorandi! audientibus, atque, vt ſpes eſt, ſuffragantibus, defixam tenebo. Neque tamen aut omnia, quae huius ſunt argumenti, aut pleraque; quod haec iuxta & illa, infiniti atque immenſi operis forent; oratione hac breui, qua de ſacrorum reformatorum auſpice Deo, atque cum Deo locuturus ſum, perſequi & complecti aggrediar; ſed aliqua & praecipua, in hunc maxime finem, producam: vt & decretum antea ac prae-

di-

dictum, Dei hoc immortalis negotium; & diuinitus Luthero iniunctum; &, quum viribus eius ſuperius eſſet, Numinis ſummi auſpiciis geſtum fuiſſe; non ſine virorum ſanctorum teſtimonio & conſenſu, demonſtrem. Quemadmodum enim omnia, quae ad Dei cognitionem & cultum pertinent, a ſe vnice ordinari; neque aliquid ab hominibus demi, vel adiici, Numen aeternum voluit, inque literis diuinis edixit: ita quoties immutare, aut corrigere aliqua circa religionem, placeret; toties voluntatis hoc ſuae propoſitum vel ipſe denunciauit ſapientisſimus Deus; vel virorum piorum vaticiniis, aut portentis quibusdam, praeſignificari curauit. Nouam itaque rerum ſacrarum faciem, a Moſe & Chriſto inductam, multis antea annis & ſeculis, ſuo pariter & ſanctorum hominum ore, ita effatus eſt: vt Dei haec iuſſu & conſilio, inchoari ac geri; ſeris poſteris, oracula haec diuina legentibus, appareret. In damnandis proinde pontificum ſuperſtitionibus, coeleſtisque cognitionis lumine, per Martinum Lutherum, clarius ac vberius diffundendo, eandem a Deo conſuetudinem, qua multo id prius patefaceret, ac vaticinationibus certis praenun-

nunciaret ac promitteret, ſeruatam fuiſſe; vel per ſe quisque coniiciet, & ex antea dictis concludet. Si tamen cuiquam id dubium, aut confictum ab aliquibus, videatur; is Danielis & Pauli, atque Ioannis oracula, vulgo etiam nota, intueatur! & num praedictiones certisſimae ac coeleſtes: quae tam de antichriſti, ſiue pontificis, quam de Babelis recentis, vel Romae contumelia ac exitio, in illis habentur; aut verius vnquam, aut manifeſtius, quam Lutheri aetate, praeſtita atque effecta fuerint? non iocoſis aut ludicris, ſed firmis ac ſeriis verbis enunciet; vel cum Hoeo aut Hunnio aliquo, de argumento tam claro ac nobili, in arenam deſcendat! Ne vero haec atque alia ſcripturae pronunciata, nimis communia aut remota quis iudicet; ecce laudatus antea, & extra ſe raptus Ioannes, in quarto ac decimo arcanorum illorum, quae cognouit & vidit, capite, ipſam nobis Lutheri imaginem ac effigiem: tanquam nuncii cuiusdam diuini; ſicut diſtincti a ceteris, ita in ſenſus omnium incurrentis; nationesque plurimas, doctrina ſalubri & pura, quae euangelium audit, repudiatis atque exploſis erroribus, imbuentis: qui, ob celerem ac mirificum rei huius ſucceſ-

ceſſum, feſtinantis atque volantis in modum ſe gereret: ita exhibet atque depingit; vt tam vere ac certo, noſtris id animis, quam Ioannes tunc oculis, videamus. Quum vero extremis, hoc eſt caeſarum Romanorum temporibus, hanc Lutheri praeſentiam, ſacrorumque conuerſionem futuram, vir iſte diuinus, & a Deo inſtructus, denunciauerit; hoc videlicet vnum reſtabat: vt ſeculum quoque & annus, tanti, tamque illuſtris negotii, Deo id ipſo per viros aliquos claros praenunciante, innoteſceret. Nemo autem ad eam rem promtior atque aptior erat, quam Huſſus ille ſanctisſimus, & ad Bohemiae ſuae, non tam theologos & praecones, quam vates, ſuo merito referendus: qui myſteriorum coeleſtium veritatem ac fidem, ſicut iniuſto ſupplicio, ita haudquaquam fallaci vaticinio, anno ſupra milleſimum & quadringenteſimum ſexto ac decimo, multis id audientibus, teſtabatur. Cum enim ad rogum ac necem, pro ſeruatoris doctrina & gloria patiendam, a carnificibus atque ſacrificulis ducendus veniret; clara haec & fatidica verba cum omnium admiratione fundebat: Iam me, haud ſecus ac anſerem: quem Huſſi videlicet nomen apud Bohemos ſi-

ſignificat: flammae & igni tradetis. At poſt centenos hos annos: quae ipſa religionis mutandae tempora erant: cygnum aliquem audietis canentem; hoc eſt, vt ipſe poſtea explanabat Lutherus: Martini cuiusdam, propter doctrinam ſinceram & puram, cum oloribus candidis comparandi, contradictionem ac vim experiemini; quem torrere ac perdere vos haudquaquam poteritis. Suffragatus eſt Huſſo, ac velut concinuit, qui Chriſti ac Dei ſimiliter cauſa, poſt paullo damnatus, in iudicio iſthoc ferali impauidus ſtabat: mortemque non aſpernabatur tantum; ſed etiam appetebat, Hieronymus ille Pragenſis: diuinoque afflatus ſpiritu, ea tandem vaticinabatur, quae in moneta Bohemica Huſſo alias tribuuntur. Poſt centum videlicet annos futurum, vt iniqui hi iudices, coram maximo & iuſtiſſimo Deo, cuius tunc partes agere Lutherus deberet, cum ſuo dolore & opprobrio, reſponderent. Haec igitur omnia, ſicut tempore ſuo, ex ſententia Dei, confecta atque impleta ſunt: ſic priusquam contingerent, Huſſo iuxta & Hieronymo a Deo detecta, eorumque tunc mentibus obiecta fuiſſe: nemo negabit aut ambiget; niſi vim ipſam vaticinandi,

Nnn na-

naturae quorundam propriae, & atrae potisſimum bili tribuere, cum Mirandula atque Petito, voluerit. Leuiores omnino, deterioresque inter chriſtianos habendi, quam paganorum ex coetu Epheſii, & vrbis Abderae incolae extiterunt: quorum illi Pherecydem, hi Democritum; quod ſequentium rerum euentus, effatis ipſorum ac praedictionibus fidem feciſſent; non humanis amplius, ſed diuinis honoribus affecerunt. Neque poterunt iſti, quin Deo ſe ipſi, futurorum notitiam vaticinationemque, ſibi, ceu propriam ac peculium, vindicanti, nimis temere & impudenter opponant. Quoties igitur vates illos diuinos; quibus, ex noſtra Thuringia, Ioannes Hiltenus & alii addi poſſent; religionis ac fidei, a Luthero reſtituendae, nuncios & interpretes, cogitamus; toties Deus, ipſorum animos agitans, & ad oracula haec canenda impellens, cogitari a nobis ac dici meretur. Qui etiam ipſe, viuente iam, diuinique aliquid ſpirante Luthero; homines quosdam egregios, ad maius abhuc & clarius vaticinii genus: quo eum, ceu temporis ſui Eliam & Noam, laudarent, ac ſuis interdum digitis demonſtrarent; exſtimulauit atque inſtruxit. Hae nimirum Ioan-

annis Staupitii, ordini Auguſtianorum praepoſiti; hae Martini Pollichii, primi apud Vittebergenſes rectoris, qui vulgo lux mundi dictus eſt, partes fuerunt. Prior enim, dum ad doctoris theologi gradum, conſilio ſuo & iuſſu, Lutherus adſcenderet: Deum, aiebat, & multa, & magna negotia, in coelo ac terra, mox confecturum. Poſterior autem, cum verba ſapientiſſima fundentem Lutherum, attente & cupide auſcultaſſet: hic, inquiebat, eſt heros, tempore hoc noſtro futurus; qui nouum & aliud genus doctrinae tradere, atque res ſacras in meliorem mox formam redigere laborabit. Ita igitur, Deo auctore, atque vatibus piis ſponſoribus, vnus debebat exiſtere Martinus iſte Lutherus: qui magnum adeo ac difficile, viribusque humanis ſuperius factum ſuſciperet! Nec ſine coeleſti conſilio, quinti ac decimi ſeculi anno tertio atque octogeſimo, inter fodinas metallicas, quibus Islebia gaudet, hanc lucem adſpiciebat; qui veritatem deinceps a mendaciis, ceu metallum a ſcoriis, ſepararet. In hac patria, parentes eſt nactus, Ioannem Lutherum, & Margaretham: illum in vico Smalcaldienſi; hanc Iſennaci, ſtirpe haud nobili, ſed ex infima plebe, pro-

gnatos. Moris eſt enim ſapientiſſimo Deo: in negotiis maximis, ſalutemque aeternam attinentibus, hominum non magnorum, ſed vilium, miniſterio vti; ne ſucceſſus illorum ac fructus, hominibus magis, quam Deo, acceptus feratur. Annis poſtea auctus Lutherus, Magdeburgi primum; poſt Iſennaci; tum Erforciae; atque vltimo Vittebergae; partim in puerorum & literatorum iuuenum; partim in fratrum cucullatorum, & profeſſorum ſocietate; vitam ſcholaſticam & vmbraticam exigebat. Hoc tamen haud obſtitit; quo minus vir iſte obſcurus, magnates deinde ac principes, vel oppugnaret ac vinceret; vel ſibi & Chriſto conciliaret. Quem fortaſſe in finem, Martini herois ac praeſulis nomen, in fonte diuino acceperat; quo virtutem Martini, & animum martium, inter heroica illa, & plane ſtupenda facinora, poſthac exereret. Incredibile enim, & miraculi ſimile videatur: vnum academiae profeſſorem, & Auguſtinianorum conſortem, cui pera & pallium pro diuitiis erant, Romam illam opulentisſimam, & cunctas chriſtianorum pecunias abſorbentem, non inuaſiſſe tantum; ſed etiam debellaſſe, ac propemodum ſolo aequaſſe. Quis futurum putaſſet, vt e-

ius

ius auctoritatis ac potentiae pontifex: qua principes ſibi ac reges ſubiicere; qua imperatorum corpora & colla calcare; qua in omnis honoris & ordinis viros ſaeuire, ac, ceu Iupiter, fulminare conſueuerat; a viro tam debili & contemto, haud ſecus ac Goliathus aliquis a Dauide, proſterneretur? Neque mirum eſt igitur, cum primam, & valde ancipitem, inſtituti iſtius aleam heros noſter iecisſet; extitiſſe illico, inter familiares pariter & patronos Lutheri, qui rebus eiusdem diffiderent, atque animos deſponderent. In his Cranzius, teſte Chytraeo, amicum, ſeu fratrem hunc ſuum, Martinum, in Erfordienſis coenobii cellam redire; &, vt ſe Deus commiſeraretur, cupere & precari iubebat. Similiter illi, qui Auguſtinianorum ſocietati apud Vittebergenſes praeerant, noui adeo ac audacis propoſiti metu perculſi, & tanquam attoniti, Lutherum adibant: vtque ordini ſuo parceret, nec ſe iuxta & ſuos ludibrio aliorum exponeret; tanto ſolicitius, crebriusque rogabant; quanto notius eſſet, Dominicanorum iam ſocios in ſinu gaudere: &, quod in culpae ac ignominiae ſuae ſocietatem nunc Auguſtiniani veniſſent; ſibi haud tecte amplius gratulari. Quam anxia autem ac

muliebris iſtorum trepidatio; tam admiranda & fortis, Lutheri reſponſio erat: totum hoc ſtatim concidet, inquientis; ſi Numinis id auſpicio tentatum ac coeptum haud fuerit. Sin autem; veſtrarum pariter ac mearum partium eſſe, ſciatis; Deo rem moderandam perficiendamque vt committamus. Falli enim magnopere illos, & fallere oportebat: qui Lutherum tunc magis, quam Deum, in Luthero loquentem, & contra aduerſarios Dei pugnantem, intuebantur. Nam ſicut in publicis rebus, legati, non ſuo, ſed principum nomine, apud alios agunt; illorumque auctoritatem & vim ſecum afferre, communi gentium iure, creduntur: ita cum Numinis ſummi legationem ſuſciperet & obiret Lutherus; diuino ſimiliter ore locutus, Deique praeſidio & auxilio, tanquam clypeo, nixus eſt; vt ſuis iam viribus atque opibus maiora patraret. Et recogitare hoc loco, ac expendere aliquantisper iuuabit: quibus Lutherum adminiculis atque ſtimulis, ad res diuinas, Erfordiae ac Vittebergae tractandas; & emendanda deinceps religionis Romanae vitia; Dei ſapientiſſimi Numen permouerit, vel, vt noſtratium verbo vtamur, vocauerit? Initio enim ab inſtituti hoc genere tantum

tum aberat, & quodammodo abhorrebat Lutherus; vt non theologorum, ſed iuris prudentum potius ſigna ſequi; certum deliberatumque haberet. Quem vero ſcripturae coeleſtis vaticinia, a Ioanne inprimis & Paulo edita, ſanctioribus ac ſublimioribus auſis deuouerant; eius animus, repentino & igneo fulmine, contubernalem tunc eius tangente, a ſtudiis profanis ad ſacra conuertebatur. Haud ſecus ac Paulum, Chriſti poſtea teſtem & nuncium, in Antiocheno itinere, luce ex coelo, ac fulgure, ad legationis diuinae munia praeparatum atque inductum, meminimus. Equidem noſter, coenobii eius, cui ſe tradiderat, ſuperſtitionibus, annos quindecim, non ſine doloris morſu aliquo, conflictatus eſt: quin corporis Chriſti ſacrificium; quod pro maximo & grauiſſimo vitae ſuae piaculo habere ſolebat; pontificiorum ex ritu, identidem factitauit. Cum tamen in codicis ſacri exemplar, ſuis a ſociis cuſtoditum, a tineis licet blattisque eroſum, ea ſimul occaſione incideret; hinc vſu venire, quod re ipſa eſt factum, oportuit: vt a verbi diuini lumine, flammae aliquae: quales nocturno tempore nubem findere, interdum cernuntur: eius in animo emicarent;

errorumque caliginem magis & magis diſcuterent. Praeter haec omnia, Deus, tam ſalutis Lutheri, quam reformandae per ipſum, Chriſtianorum reipublicae, cupidus, virum aliquem, virtute ac ſenio venerabilem, excitabat; qui confitentem peccata, atque animo anxium, & non raro trementem, erigeret; ac de piorum anchora, Chriſto, ex legatorum Chriſti doctrinis, inſtrueret; & a pontificii ignis barathro, ad coelum deduceret. A quo homines, ſacrificulorum commentis ac dolis, abduci; ſicut alias cognitum compertumque habebat: ita cum diſſidentium inter ſe ſociorum, ab Auguſtino dictorum, nomine, vrbem Romam intraſſet; flagitiorumque ac libidinum, opinionumque & rationum peſtilentium lernam aliquam, fama & fide maiorem, inter homines ſacros deprehendiſſet: magis adhuc de Romanenſium fide & ſanctimonia haeſitare; atque crebrius, de purgando Augiae hoc ſtabulo, cogitare incepit. Ne vero hoc Dei iniuſſu facere, atque currere, antequam miſſus eſſet, exiſtimaretur; tria Numinis, partim ad ſacerdotium, partim ad profeſſoris theologi functionem, partim etiam ad Doctoris negotia eum vocantis, imperia accedebant: quibus ad

ad literas doctrinasque diuinas, a ſeculi ſui abuſibus vindicandas, obligari ſe atque impelli, haud immerito colligebat. Quis praeter haec, motus illos diuinos? quis cogitationes heroicas & ſanctiſſimas; tergiuerſanti interdum Luthero a Numine immortali inditas; dumque ſcripturam coeleſtem in conſilium adhiberet, identidem ortas, commemoret? Forte haec atque ſimilia Deus animo eius obiecit atque inſeruit: Iam Tu cognitum habes, Luthere! quibus Te rebus delectum, imo deuotum voluerim? & quomodo vatum olim ſanctorum praeconiis, atque variis inuitamentorum hucusque generibus, partim ad mala a piorum ceruicibus depellenda, partim ad procuranda tot bona, ſalutemque hominum reſtaurandam, tua me opera poſthac vſurum, ſignificauerim? Neque enim latere te poteſt: quantis calamitatibus ac fulminibus, domum meam, inde ab Hildebrandi temporibus, illi afflixerint ac perculerint; qui meam in ea perſonam gerere, ac Dei Filii vicem obire, inter Chriſtianos conati ſunt. Nullum religionis honeſtatisque eſt caput, quod ſuo hucusque veneno & contagio haud infecerint. Verba vtique Dei & ſcripta, quae veritatis atque perfectio-

nis regulam eſſe volui, haud ſecus ac imperfecta & dubia, quin ſententiis ſuis inferiora, traducunt. Similiter cultum atque honorem, Deo aeterno debitum, ipſi angelis & hominibus ſanctis decernunt. Pari impietatis genere, ſalutem illi & vitam; non argento & auro, ſed morte Chriſti vnica partam, & ſola in hunc fiducia obtinendam; bonis operibus ſuis, meritisque ac nummis acquiri, praecipiunt. Cumque tartareas ac tenebricas ſedes ſuo obitu Chriſtus vaſtauerit ac deſtruxerit; nouum pontifices Acherontem, igne ſuo fictitio, quem purgantem nominant, excitarunt. Quanto accuratius porro & ſanctius, voluntatis ſupremae tabulas, ab hominibus mox morituris confectas, pontificii ipſi obſeruant; tanto maius eſt facinus & piaculum: Dei Filii, iam in coelo regnantis, & peccatorum vindicis, teſtamento, cauillatione haud vna detrahi; & myſteria eius verenda, corpus puta & ſanguinem Dei, furtiuis ipſorum artibus atque ſuperſtitionibus, violari! Serui antehac formam induit Chriſtus; neque ad regnum, aut infulam, quoad inter mortales ageret, adſpirauit. Eius contra qui dici ſe volunt vicarii, coeli iuxta ac terrae ſe dominos ferunt: atque caeſares ſibi ac reges in ſeruitutem adiudicant: &

quod

quod ſeruator hominibus coelum aperuit; eius aditum, ſummis quoque principibus, nedum hominibus plebeiis, praecludunt. Noſti inſuper, quibus ipſi tormentis & flagris; quibus item peregrinationibus, interdictisque ac votis, chriſtianorum corpora menteſque affligant; atque homines pios & liberos, ceu maleficos ac ſeruos, diuexent; lacrimasque ac gemitus ipſis eliciant: quibus, longo tam tempore, coelum feriunt, & quaſi oppugnant! His igitur ego, haud ſecus ac Iſraelitis, Pharaonis antehac iugo oppreſſis, aurem praebui! Teque, vt Moſen aliquem, ac liberatorem praefeci: qui meum iam populum, ex Aegypto hac pontificia, ſanctiorem ad terram, hoc eſt ad religionis ſincerae ac integrae ſtatum, perduceres. Meum proinde inſtinctum ſequere, & mactus animo eſto, Luthere! atque in hoſtes irrue! quos meum pariter verbum, & precatio tua ac fides proſternent! Non Te Romani pontificis minae, aut fulmina; non imperatorum edicta & exilia; non Huſſi te, aliorumque ſupplicia atque cineres, a propoſito hoc coeleſti detereant atque auertant! Noli curare haec talia, aut metuere; quando Spiritum Deum, quem inferorum principes atque aſſeclae timent,

in pectore tuo circumfers! Haec, inquam, & alia; quae partim in libris Lutheri, ac illorum temporum monumentis expreſſa; partim Deo ſunt cognita; intellectui Viri huius diuini obuerſabantur, atque animum ei addebant: cum negotium iſtud, vires hominum fidemque excedens, ſuſcipere; & annis abhinc ducentis, Deo duce, & comitibus angelis, primum impetum in Ioannem Tecelium, Dominicanorum ſodalem, facere, iam haud amplius dubitaret. Is enim, Leonis pontificis, qui nominis huius decimus, & impietate ac luxu perditiſſimus erat, imperio; & Laurentii Puccii, atque Alberti Brandenburgici, aulae Romanae purpuratorum, auctoritate munitus; pontificias literas, de peccatis & noxis, pecunia redimendis, conſcriptas, in Saxonia noſtra tam impudenter vendebat; tamque inſanis ac improbis laudibus efferebat: vt, ſimul ac nummus, in arcam propoſitam coniectus, tinniret; fore, diceret ac promitteret, vt ex flammis purgantibus animae, recta ad Deum ac coelum, velocitate ingenti ac incredibili, ſubuolarent; quia pluribus, nundinationis hoc genere, quam oraculis Petri & Chriſti, conſuleretur. Contra ea Lutherus, hac leuitate & indulgentia,

Dei,

Digitized by Google

Dei, gratis propitii, decus minui; peccandique licentiam ex aduerſo augeri; quinque ac nonaginta pronunciatis; quae die octobris vltimo, ad templum caſtri Vittebergenſis affixit; cum bonorum omnium gaudio & applauſu, aſſeruit: ardelionemque hunc ſacrum, defendere ſe conantem, ſic debellauit ac vicit, atque proſtituit; vt, veluti Baſſus aliquis, pro diuitiis a ſe promiſſis, nil praeter carbones oſtendere & apponere valens, a multis exploderetur. Nam a Luthero tum Deus, tum ſacra volumina ſtabant; quum Tecelius, ſola Romani praeſulis poteſtate, ſuis cum ſociis, niteretur, ac prorſus confideret. Hac vero in dubium a Luthero vocata; ſuperſtitionisque & prauitatis pontificiae fundamentis a Samſone iſto concuſſis; ea rerum conuerſio, derepente, & ad miraculum vsque, ſubſecuta eſt: vt ipſi Europae domini, verbo Lutheri ac Dei, vel ad ſententiam eius perducerentur; vel in eas redigerentur anguſtias; vt veritatis clariſſimae lucem, ſuis tenebris obſcurare ac tollere haud valerent. Enimuero, quod Deo auctore coeperat, ac proceſſerat opus; id a nullis mortalium deſtrui ac diſſolui debebat. Hunc igitur vnum religionis noſtrae ſtatorem, feſto religioſoque

hoc

hoc tempore, pii & ſupplices veneramur: vt nobis iuxta, &, ſi qui futuri ſunt, poſteris, veritatem deinceps ac fidem ſine fraudibus; pietatisque ardorem ſine vitiis; atque animi libertatem & pacem, ſine dubiis ac tumultibus; vitam denique & ſalutem ſine periculis, ac ignis fictitii flammis, concedat & tueatur! Vtque, in hoc religionis praeſertim hoſpitio, verum faciat; quod Lutherus non minus, quam propugnatores Lutheri, principes, in ore ſaepius habuerunt, & habent: VERBVM DOMINI MANET IN AETENVM!

DIXI.

IV

SIngulari Numinis, bene ſuis cultoribus non volentis tantum, ſed etiam facientis, munere contigit: vt, qui mox finiendus eſt, annus, haud vno chriſtianorum gaudio ac triumpho nobilitaretur. Et nuperius quidem, victrices Caroli ſexti, imperatoris, copias; hinc diſſipatis ac caeſis, illinc ſubiectis Saracenorum populis, Albam Bulgaricam, permunitam Seruiae vrbem, introeuntes; gratulatione & plauſu excepimus. Nunc prae-

praedicti iam olim, celebratique a Deo herois, Lutheri fortitudinem admiramur & colimus: qua annis abhinc ducentis, altera calendarum nouembrium, belli ſacri, ac prae ceteris glorioſi, initium fecit: & Ioannis primum Tecelii temeritatem reprimere; mox pontificum Romanorum tirannidem ac libidinem a Lutheranorum vita arcere; & ſicut a templis ſacrilegia, ſic a ſcholis barbariem, errandique neceſſitatem depellere, ope Dei & Chriſti, contendit. Quantis in tenebris antea, non Germani tantum, ſed populi vniuerſi iacuerint; quantisque malorum tempeſtatibus, & aulae Romanae fulminibus, cum ſuis principibus ciues, iactati atque percuſſi fuerint; id diuini hucusque praecones, in aedibus atque cathedris ſanctis, nos docuerunt. Sed & in diſciplinarum domiciliis, virorum cucullatorum ac pontificum culpa, ſtatum peſſimum ac deploratisſimum, ante ſecula haud multa, fuiſſe; ſicut a pluribus, rerum harum intelligentibus, dictum eſt: ita propter atrocitatem malorum & copiam, a mortalium nemine ſatis dicetur. Ipſae profecto literae; quas doctrinarum omnium, non tam decora quaedam, quam fulcra & principia eſſe conſtat; a docentibus pariter

ter ac diſcentibus ignoratae, ac prorſus neglectae, ſordebant. Nemo quippe reperiebatur, qui ebraicum; nemo, qui graecum; & vix vnus aut alter, qui Italicum potius, quam latinum ſermonem intelligeret. Nec niſi Lombardi ac Thomae vocabula, & ea locutionum vitia, in coenobiis ac ſcholis regnabant: vnde Francorum equiti, Vlrico Hutteno, facetiſſimas illas, & ad perſtringendos hos homines factas, obſcurorum virorum epiſtolas congerendi atq; edendi occaſio naſcebatur. Sed & reliquas diſciplinas & artes adeo illi infeliciter & abſurde tractabant; vt ſatius certe fuiſſet, ſi eruditorum haec ſtudia ac delicia, viri iſti indocti atque inſulſi haud attigiſſent. Ex qua temporum horum calamitate ac pernicie, hoc tamen in Papas & ſacrificulos commodum redundabat: vt peccata ipſorum ac ſcelera, barbariei iſtius & inſcitiae tenebris, diu admodum tegerentur. Nec praeter rem a coenobii Neuhuſani abbate in Vangonibus iudicatum ac dictum, accepimus: niſi ſuperueniſſet, ſeque his malis oppoſuiſſet Lutherus; perſuaderi hominibus, nullo fere negotio, potuiſſe: vt equos ac boues ſe crederent eſſe, foenumque vorarent. De tot igitur vitiis atque ſuperſtitionibus, ſtu-

ſtuporisque & ignorantiae malis, triumphum aliquem egit Lutherus; ac de conatibus & ſucceſſibus ſuis ouandi materiam, nobis omnibus, in hunc diem vsque, ſuppeditauit. Equidem Romam & Galli ceperunt, & Vandali; Herulique & Gothi, ac Teutones, ſemel iterumque expugnauerunt. Sed paruas has tamen & exiguas clades quis dixerit; ſi cum illo Lutheri facinore comparentur: quo vir iſte diuinus, antichriſti hanc vrbem, velut mendaciorum ac fraudum magiſtram, abſurditatisque & ignorantiae propugnaculum, debellauit, ac ferme deleuit. Cuius victoriae pignora ac tropaea, ſicut toties recolenda putamus; quoties probi doctique iuuenes, ſuperatae, ad Gamalielis iſtius exemplum, malitiae ac inſcitiae, praemia, in diſciplinarum emporiis, conſequuntur: ita hac etiam vice oſtendimus; cum duos, diuinae & humanae ſapientiae, in hoc athenaeo, cultores clarisſimos, Andream videlicet Langenſee, atque Iacobum Fridericum Thyſium; illum Lindauiae apud Acronianos; hunc Hildeſiae, in inferiori Saxonia natum; Doctorum philoſophorum decora, die octobris tertio ac viceſimo, datis antea ſuae virtutis ac induſtriae ſpeciminibus, in conſeſſu noſtro obtinu-

iſſe; ſcriptione hac publica, atque ordinis noſtri ſigillo, ob interiectas ferias, nunc demum teſtamur. Dab. Ienae, die V. Nouembris, CIↃ IↃ CC XVII.

V

VOluptatis illius ac gaudii, quod nos etiam, in pompa nouiſſime ſeculari, concepimus, magnitudo ac vis, vel ea de cauſſa, non intra conuentus diuinos ac templa ſeſe continuit; ſed ad auditoria quoque & cathedras huius academiae penetrauit; quoniam noua ac emendata, noſtri quoque collegii facies, ſuam originem, ex mutatae atque correctae a Luthero religionis auſpicio, magnam partem deducit. Antea enim ſalanae noſtrae haec aedes, non pietatis & ſapientiae officina; ſed ſuperſtitionis & ignorantiae pontificiae ſeptum ac domicilium erat: quod tam Thuringiae marchionis, Alberti, quam ab hoc geniti, Friderici admorſi ſuffragio, anno CIↃ CC LXXXVI, a Leuchtenburgi dynaſtis conditum; ac ſicut Mariae & Paulo, ſic diuo inprimis Dominico conſecratum eſt. Namque illius Ordinis hoc latibulum, ſiue, vt apud theologos audit, monaſterium,

um, ab his temporibus eſſe coepit: quem Dominicus iſte, circa ſeculi dicti initium, Calagorae in Hiſpania, ex Guſmanorum familia ortus, & ſacri dein palatii magiſter creatus, ſub Innocentio tertio inchoauit; & poſt obitum huius, Honorio III ſuum calculum ei addente, ſic ſtabiliuit & auxit; vt quinto iam atque decimo ſeculo, ſoli theologiae magiſtri, in Dominicanorum hac ſecta, mille atque quingenti, per terras non adeo disſitas, numerari, atque audiri potuerint. Quamuis autem Dominici huius aſſectatores, haud vulgarem doctrinae ac ſcientiae ſpeciem, qualis in hanc aetatem cadebat, praebuerint; &, quod coetuum pontificiorum praecepta ac placita, contra obiectationes quascunque, ſe aſſerturos, gratisque praedicaturos, promitterent; Praedicatorum titulo, ſe & ordinem ſuum inſigniuerint; a veritatis ſtudio tamen, ceu genuinae ſapientiae ſumma & ſcopo, inde a primis familiae ſuae natalibus, longe adeo abfuerunt; vt ſplendorem illius ac lucem, ineptiſſimis ſtatim commentis & ſomniis, atque ſuperſtitionibus, nimis temere obſcurarent. Quemadmodum enim Innocentium papam, nocturna Dominici, templum, quod dicitur, Lateranum ſuis

humeris fulcientis, imagine, ad ſectam ſuam probandam adiuuandamque, permotum, certatim perhibuerunt: ita plurima, de auctoris ſui ac ducis inſomniis & miraculis, fingere, atque in vulgus ſpargere, haudquaquam erubuerunt. Quorſum celebris illa & ſanguinolenta tragoedia referenda eſt; dum inter Dominici & Franciſci ſodales, de incorrupto Mariae virginis partu, crebris magnisque contentionibus certaretur; ſub aeui decimi ſexti initium, Bernae, apud Heluetios excitata: vbi Dominicanorum ſocii virum abſurdum ac ſimplicem ſubornabant; illique & Chriſti atque Mariae praeſentiam, & cicatrices, illius ſtigmatibus ſimiles, ei impreſſas, aſtute adeo perſuadebant: vt ipſe mox aliis, doli eum expertem credentibus, huius portenti & fabulae fidem facere, ſuo licet atque auctorum exitio, ſuſtineret. Fuſae praeterea per hunc ordinem ſuperſtitionis, opinionisque de myſteriis ſacris ridiculae argumenta, tum a veſtitu & victu Dominicanorum; tum ab eorum praeſertim roſario, duci poſſunt. Cuius nomine ipſi ſalutem, Mariae a Gabriele angelo dictam, centumque & quinquaginta vicibus, cantionum Dauidicarum exemplo, a precantibus repetendam, appel-

pellant: atque hac ratione effici, comminiſcuntur & iactant: vt & homines ſancti, praeſentes ſe ſiſtant; & impiorum, ac ſecus ſentientium turmae, vno impetu profligentur. A quibus & aliis mentium veſanarum ludibriis, primos illos collegii noſtri habitatores nequaquam abhorruiſſe; vel ex ieiuniis illis ac peruigiliis, cantibusque & ſacrificiis patet: quorum ſolatia ac emolumenta, tum aliis, bene videlicet ſibi facientibus; tum fabris praeſertim Ienenſibus, ſcripto eam ob rem diplomate; quod anno cIↃ CCCC LXXV, die auguſti octaua, Andreas Comitis, Dominicanorum tunc praeſes, qui, de ipſorum conſuetudine, Prior ſalutabatur, in vicina Erfordiae academia, manu ſua firmauerat; confidenter ac certo pollicebantur. Talem tantamque igitur ſuperſtitionem, vanitatemque ac inſcitiam, ſicut a Lutheranorum coetibus Martinus noſter Lutherus; ſic a Ienenſis collegii aede, Ioannes Fridericus magnanimus, virtute & conſtantia, pio adeo electore ac principe digna, auertit. Huius enim ſancito ac iuſſu, ſereniſſimi Filii; pulſis Dominicanorum fratribus; falſae iſtud religionis, prauitatisque & ignauiae turpis aſylum, anno cIↃ IↃ XLVIII, die nono ac decimo

martii, in ſanctimoniae ac induſtriae, & praeſtantioris doctrinae ſeminarium, mox collegii academici voce notandum, applaudentibus omnibus, transformarunt. Nec vulgare aut paruum, coeleſtis prouidentiae munus eſt: quod illarum nos diſciplinarum & artium; quas Ioannes primum Stigelius, ac Victorinus Strigelius, hic Erfordia, ille ex Vittembergenſi lyceo huc deuocatus, tradere & interpretari coeperunt; praemia ac honores viris atque iuuenibus doctis tribuere, in hunc diem vsque poſſimus. Prout merito ſuo, & noſtro proinde; qui laudis paternae aemulum, promtumque & acre ingenium, cum apparatu doctrinae vtiliſſimo, perſcrutati nouisſime ſumus; ſuffragio, candidatus eximius, & ante complures alios dignus, Fridericus Alexander Kunholdus, Gothae inter Thuringos genitus, iuriſque iam ſtudio & peritia clarus, Doctoris philoſophi dignitatem & iura, in heſterno philoſophorum conſeſſu, adeptus eſt. Quod ne alios, plauſum forte daturos, & conata ipſius egregia probaturos, lateret; publicum iſtud, cui mea Decanus manu ſubſcripſi, teſtimonium poſthac extare voluimus. Ienae, ſub Facult. Sig. D. XIV Decembris, cIↄ Iↄ CCXVII.

VI

PRima hodie, a ſacris Lutheranorum ſecularibus, magiſtratus auſpicia, in athenaeo hoc celebranda: quibus oratoriae artis profeſſor amplisſimus, ac de regenda hac academia, iam ante octennium iſtud, bene meritus, Ioannes Caſpar Poſnerus, ſummae rerum, per veris atque aeſtatis proximae interualla, praeficietur: ex loco hoc publico indicturi; eius illico beneficii, quo aeternum ac benigniſſimum Numen, imperantium ordinem, a Romanorum pontificum iugo, Martini Lutheri opera & periculo, liberauit; gratis religioſisque mentibus recordamur. Quis enim ignorat? praenunciatum a Paulo & aliis, antichriſtum, quem Chriſti vicarium vocant; partim auctoritate & fama; partim licentia, & vrbis Romanae gloria fretum; non ſupra ſacrorum duntaxat antiſtites, inferioresque reipublicae praeſides; ſed ſupra caeſares, regesque ac principes ipſos, ſe antehac extuliſſe? Huius vero ambitionis ac inſolentiae ſigna magis extantia, poſt ſextum praecipue aeuum, ſe protulerunt. Cuius ſecundo videlicet anno, Bonifacius tertius, ab imperatore iſtius temporis, Phoca; digno maxime, pro-

pter infandum ac horribile, deceſſoris ſui, Mauritii parricidium, rei huius auctore; aliquam coetus Romani gratiam, quam in orientis iam terris perdiderat, collecturo; id conſecutus eſt: vt & Romana chriſtianorum ſocietas, quae quatuor adhuc aequales habuerat, ceterarum omnium mater & caput exiſtimaretur; & pontifices ipſi, praeſulum reliquorum ſe duces ac principes venditarent. Primusque hic gradus extitit: quo ſucceſſores deinceps Bonifacii, non ad ſacras duntaxat respublicas; ſed ad imperia quoque ciuilia; cunctosque mortalium ſtatus ac ordines, pari temeritate ac impudentia, ſibi ſubiiciendos; contra Chriſti, mundana ſacerdotibus regna ſemel ac iterum denegantis, ſententiam, proceſſerunt. Cumulum vero & faſtigium, antichriſti huic principatui ac tirannidi, Hildebrandus, Georgii ſeptimi nomen ſortitus, ſeculo demum vndecimo addidit: primumque iſtius ſpecimen in Henrico mox quarto exhibuit: quem ille, ſuperba ac deteſtabili formula, in Platinae ſcriptis extante, & imperatoris ac regis inſignibus exuit; & miniſtros ipſius ac ciues, iurisiurandi, caeſari dati, & obſequii religione exſoluit. Quin plura adhuc ambitionis ac tirannidis monſtra a

Gre-

Gregorio illo conflata ſunt: quibus tam Galliae & Hungariae, quam Hiſpaniae atque Ruſſiae, & cuius non regni chriſtianorum? libertas ac dignitas laborabat. Soli enim pontifici ius atque fas eſſe, profitebatur: vt cuiusuis imperii ſignis & iuribus vteretur; caeſaresque ac reges deponeret; quin ſuos principibus pedes & ſoccos deoſculandos praeberet; inque omnium, Deo & Chriſto initiatorum, coetibus, ac orbis totius regionibus, nomen ſuum prae aliis celebrandum, venerandumque proponeret. Quae atque ſimilia, Hildebrandinae perfidiae ac ſuperbiae inſtrumenta, vallorum ac moenium inſtar fuerunt: quibus ſecuti poſtea papae, ſuam tirannidem dominationemque cinxerunt; codicisque diuini ſententiis: quae vel ad Chriſtum aut Petrum attinent; vel aliam longe a Romanenſi interpretationem poſtulant: ad partes vocatis; tot ſeculorum decurſu, inuictam ac inexpugnabilem reddiderunt. Equidem non doctores ſolum innumeri; ſed & Graecorum ac Leodienſium coetus; nec non VValdenſium, VVicleſique ac Huſſi aſſeclae; imo caeſares quoque nonnulli & principes, vehementer ac fortiter ſacrificulorum huic arrogantiae & proteruiae obſtiterunt. Ac

memoratu potiſſimum dignae, Philippi pulchri, regis Francorum, literae excitarunt: quibus Bonifacio ipſe octauo; ſcire ipſum volenti, quod pontifici, in rebus profanis & ſacris, ſubeſſet; ſalutem modicam, ſiue nullam dicebat: imo fatuum ac dementem Bonifacium ab ſe tam diu haberi & credi, aſſeuerabat; quoad cuiusquam ſe poteſtati ac imperio ſubiici, ſomniaret. Sed quaecunque tandem impedimenta, his fucis & crabronibus, ante Lutheri aetatem, obiicerentur; tamen perrupta ab ipſis atque eluſa ſunt. Quin ex triplici illa corona: qua dominatum in Aſia, Europaque & Africa indicari atque portendi, pontifices volunt: mox ipſi quadruplicem effecturi, atque amplius forte aucturi fuisſent; niſi eam Martini Lutheri calamus, a Friderico tunc ſapiente per ſomnium viſus, magno impetu, & quodam velut miraculo, concusſiſſet. De cuius propoſiti ac victoriae fructu, vt Lutheranorum regibus ac principibus vniuerſis: ita & Nutritoribus noſtris ſerenisſimis; renouata ſubinde ſacrorum emendatorum memoria; haud immerito gratulamur: felicitatisque iſtius & gloriae incrementa permagna & perpetua, ſub ſollemnia rurſus ac feſta academiae huius tempora,

ap-

apprecamur. Porro omnium magiſtratuum functionem ac ſortem: quam laudatus antea, Patrumque ſuffragiis deſignatus, academiae huius Prorector, ventura proxime iouis die, in ſacro collegii domicilio, inter ſenatus ac ciuium preces, ſubibit: vel ea de re, magis, quam antea, proſperam beatamque putamus; quod nullius pontificis fulmine afflari aut tangi, nedum feriri vel tolli ſe amplius poſſe, gaudeant ac triumphent. Multo quoque, vt meliores, ſic faciliores ſunt leges, noſtris ciuibus latae, & in celebritate hac academica repetendae; quam ſanctiones ac regulae infinitae: quibus antichriſtus, ſeu papa, ſuos adhuc cultores adſtringere, & quodammodo cruciare conſueuit. P. P. ſub Acad. Sig. Domin. V poſt Epiphan. A. O. R. cIↄ Iↄ ccxviii.

VII

SOlenni feſtoque hoc die; qui magiſtratui academico, praeter opinionem & ordinem a me accipiendo, auctoritate publica dedicatus eſt; ſacra non minus, quam commoda, moris iam olim recepti recordatio accidit: vt, qui ad ca-

capeſſendam primum, moderandamque rempublicam, ſe conferrent; illi habendam ad homines ſibi creditos concionem cum ſignificatione eorum coniungerent: quibus vitam actionesque ſuorum praecipue obligari, ac certis quaſi terminis definiri, optarent. Sic Ebraeorum ex populo, Moſen ac Ioſuam; & inter Athenienſes ac Lacedaemonios, Solonem atque Lycurgum, primam operam ac induſtriam, in ſuorum mentibus, ex deſiderio ſuo, ac reipublicae vſu formandis, non ſine ſucceſſu memorabili, collocasſe; hiſtoriarum veterum fide accepimus. Ego vero, in ſpem imperii academici, auſpicato & iterum capiendi, a Principibus atque patribus huius prytanei adductus; cum generum poſthac duorum hominibus rem & negotium mihi futurum, proſpicio. Alii enim, ſicut aetate, ita exiſtimatione & fama praeſtantes; quum ſua ipſorum natura & conſuetudine, ad decora omnia impellantur; neque moneri a me, neque liberius emendari, requirunt. Alii contra, quorum incerta & lubrica aetas mores aliquando honeſtos detrectat, & in errorum vitiorumque voraginem ſe immergit; ne ego a moris atque officii priſci religione diſcedam; non ſuadere ſolum, ſed &

po-

poſcere ac efflagitare videntur. Licet vero & his leges publicae atque ſaluberrimae in hoc athenaeo ſint latae: quarum ſplendore ac vi, ſicut improbitas & cupiditates tolluntur: ita virtus ac innocentia, laboresque honeſti & vtiles prouehuntur: pretium tamen operae me facturum, exiſtimo; ſi vnam ex omnibus in praeſenti virtutem laudauero; ac, veluti magis neceſſariam, ceterarumque radicem & normam, iuuenibus doctis imperauero: quae a philoſophis atque oratoribus priſcis modeſtia; a theologis autem humilitas, non tam latino, quam ſancto vocabulo, ſalutatur. Haec enim bonorum omnium in iuuenibus mater, malorumque expultrix exiſtere; non modo a ſummis atque ſapientisſimis viris exiſtimata eſt; ſed & in legum academiae huius octaua, ceu cunctis victoriis ac triumphis ſuperior, noſtris ciuibus inculcatur atque iniungitur. Quod dum in templo hoc academico explicare, cunctisque ad animum reuocare aggredior; illud ſimul ex annalibus noſtris repetere ac recogitare iuuabit: Dominicanorum olim diſcipulos; qui inde ab aeui decimi tertii anno ſexto & octogeſimo, in Ienenſis collegii aede verſati ſunt; vt idem demiſſi atque tranquilli

ani-

animi decus acquirerent, operam ſummam dediſſe; atque hunc veluti ſcopum ac regulam ſui ſodalitii habuiſſe. Vt enim ex fundatoris, qui dicti iam ſeculi anno ſeptimo ac viceſimo, Italorum Bononiae obiit, monumento elucet; inter ordinis huius decreta & placita hoc etiam occurrebat: vt probitati ac modeſtiae locus relinqueretur. Quoniam tamen ſub hac Dominicanorum virtute improbitas, & ſub demiſſione ſuperbia ſe occuluit; idcirco Vos, ſpei optimae Iuuenes! ad modeſtiam non fucatam, ſed Lutheranorum gloria dignam, ſic exhortari ac incendere laborabo: vt pontificiorum ex vitiis atque ſordibus haud quicquam trahatis. Summa igitur mei nunc inſtituti ac voti haec erit: vt, quemadmodum ſubmiſſorum hominum, ſiue, vt ipſi hoc exprimebant, HVMILIATORVM ſodalitium aliquod, a collegii noſtri hoſpitibus olim iactatum eſt: ita in tota hac academia, iuuenum frugi & modeſtorum ſocietas eſfloreſcat; vicinosque ac exteros, ad amorem pariter ſui, & cultum alliciat. Quem nos ordinem, non a Dominico aliquo, ſed a coeli terraeque domino inſtitutum; nec ab Honorio papa, ſed a ſummo chriſtianorum pontifice, Chriſto, firmatum approbatumque accepi-

pimus. Plenae enim ſunt literae ſacrae mandatorum atque oraculorum coeleſtium: quibus Numinis ſempiterni voluntas, de modeſtiae inſtituto. ſicut a chriſtianorum ſingulis conſtanter ſeruando; ita in iuniorum praeſertim officiis, Deo ac reipublicae debitis, haudquaquam intermittendo; palam proponitur & vulgatur. Quod ne indignum, aut graue hominibus cenſeretur; ipſe redemtor hominum, Chriſtus, ex gloriae ſuae ac diuinitatis faſtigio, ſe in terras demiſit: vtque in ſe, tanquam moderationis egregiae exemplum ac ducem, intuerentur; iterum iterumque edixit. Ac niſi ſcripturae hoc dictis & ſuffragiis, extra dubium poneretur; res etiam ipſa, ac indita nobis ratio dictitaret: modeſtorum, ceu loqui coepimus, ordinem, non a nudis hominibus; quorum animi, ſua natura ſuperbi & ignei, ſurſum tendere ac euolare conantur; ſed a domitore cupiditatum & affectuum, Deo, &, qui a nobis agnoſcitur atque colitur, Dei filio, ortum habere. Quamobrem pagani etiam ac increduli, teſte rei iſtius Euripide, moderatorum hominum indolem, ceu munus Deorum maximum ac pulcherrimum, praedicarunt. Quorſum & Vologeſis, regis Parthorum, dictio, apud Tacitum, ſpectat: qua

qua modeſtiae decus & famam a Deorum numinibus aeſtimari, nullisque mortalium aſpernanda venire, pronunciat. Neque obſcurum adeo, aut indagatu difficile eſſe poteſt: quare optimum atque maximum Numen, haud inſolenter, ſed humiliter, a ſuis cultoribus agi, voluerit? Cuius vel ideo refert, & perturbare ſuperbos, & abiectos erigere; vt ſuam ſolius naturam, in loco auguſto & alto, prae rebus creatis, poſitam eſſe, demonſtret. Ille igitur Deus, qui hominum modeſtorum coetibus primum ſeſe auctorem ac ducem probauit; decretis eosdem ac legibus longe ſalubrioribus obligauit, & a mortalium vulgo diſtinxit; quam ea ſunt inſtituta ac deliria, in quae Dominicani, ordinumque ſimilium fratres ingrediuntur. Duasque potisſimum ſanctiones, huic chriſtianorum conſortio, Deo iudice, congruentes, ſanctis literis traditas publicatasque habemus. Quarum priorem inter alios Paulus, non tantum Corinthiis, ſed nobis etiam vniuerſis inculcat: vt nihil bonorum, nos ornantium, nobis; Deo autem, illorum datori, omnia tribuamus. Quomodo enim eorum poſſeſſionem ac originem, quae dare, aut reddere nobis haud poſſumus, nobis potius, quam a quo eadem

ob-

obtinuimus, Deo accepta feramus. Has tamen modeſtiae partes negligere ac deſerere Dominicani videntur: tantum viribus ſuis & conatibus adſcribentes; vt, ſine peculiari Dei beneficio & auxilio, vel coelum ſe illis acquiſituros, praeſumant & iactent. Certe Dominicus, bis eo inſaniae vanitatisque progreſſus eſt: vt redimere alios, atque a damnatorum cruciatibus liberare, ſuis ſe meritis posſe, ſtatueret. A quo tumore & faſtu, vtinam inter literatos homines procul abeſſent: qui in natalibus ſuis & opibus, animique & corporis dotibus, ſpem atque fiduciam tantam collocant; vt largientis haec omnia, Dei, obliuiſcantur; neque precum officio, inter labores & annos academicos, defungantur. Melius autem ac modeſtius, quam chriſtianorum complures, ſuis de viribus, in profanarum gentium coetu, Timoleon ille Corinthius iudicabat. Qui cum virtutum ſuarum ſpecimina ſuis a ciuibus aeſtimari, & in coelum efferri, intelligeret; diis ſe immortalibus grates ac laudes debere, aiebat; quod recreaturi Siciliam, ſua inprimis fortitudine atque opera vti, in hoc negotio, voluiſſent. Hoc igitur ipſo, quod omnia, ob quae vel nobis, vel aliis gratulamur, a Numi-

ne ſummo ac ſolo proficiſcuntur; id prouidendum atque cauendum, putabimus: ne impertitis a Deo viribus atque beneficiis abutamur. Qua in parte, vt fratrum raſorum alii, ſic Dominicanorum ſodales, tanto plus ſibi indulgent: quanto ipſi licentius, ſanitati, corporisque vigori; quae non bona tantum, ſed bonorum etiam fundamenta exiſtunt; per vigilias ac ieiunia, per ſudores & flagra, detrahere conſueuerunt. Ipſum profecto Dominicum, aqua plerumque & pane, ſtomachum maceraſſe; aſſeribusque & ſaxis, puluinarium loco, cum quieti & ſomno ſe traderet, vſum fuiſſe; quin catena ſe ferrea per noctem mulctaſſe, ac identidem verberaſſe; roburque membrorum ac viſcerum, modis variis exhauſiſſe, cognouimus. Verum haec atque ſimilia bonitatis diuinae munera conſeruare nos potius & augere, quam perdere aut minuere, ex conditoris optimi voluntate, debemus. Dolendum eſt ergo, quod magis adhuc & grauius, quam fratres Dominicani, inter iuuenes doctos, peccare haud dubitent: qui ſanitate & vita, a Deo conceſſa, male adeo ac peruerſe vtuntur: vt tam diu, neque a crapulis impurisque amoribus, neque a litibus pugnisque infauſtis ſibi temperent;

do-

donec vel trucidentur ab hoſtibus, vel ab ingluuie ac libidine perimantur: iuſtas grauesque propterea Deo, tanquam abuſus & malitiae huius vindici, poenas daturi. Quorſum & clamatores nocturnos referas: dum ſermonem & linguam, quibus iuuare atque ornare rempublicam, ex Dei ſapientiſſimi inſtituto, decebat; in proteruiae, tumultusque impii inſtrumenta conuertunt. Quos ſi Latona, Iouis marita, plectere ac vlciſci deberet; procul dubio eos, vt immodeſtos atque ingratos ſui temporis ciues, omni orationis beneficio vſuque priuaret; vel ad ranarum abiiceret greges; vt inſanis atque inconditis ſonis, has imitarentur. Sed iuſto fortaſſe longius, primae hominum moderatorum regulae, ad Deum auctorem omnia referenti, abuſumque illorum, quae is tribuit, prohibenti, immoratus ſum. Quam dum ab omnibus Vobis probari, conſenſuque tacito recipi, deprehendo; tanto nunc promtior atque animoſior, legem modeſtiae alteram, a Paulo eodem, viris atque iuuenibus Philippenſibus latam, ingredior: ne nos aliis, in eandem nobiscum ſocietatem coeuntibus, anteponere, ſed poſtponere, ſtudeamus. Siue enim naturae nos noſtrae infirmitatem ac miſe-

riam; ſiue inſitam nobis corruptionem & culpam; ſiue corporis atque animi dotes, quae in aliis ſaepe clarius atque notabilius, quam in nobis, effulgent, intuebimur; ſatis vtique manifeſtum euadet: non ſuperbiam, ceterorumque deſpectionem; ſed continentiam & modeſtiam, nobis congruere. Totum idcirco hominem, Solon, apud Herodotum, nihil aliud, quam calamitatem ac infortunium eſſe, pronunciabat. Quare vt animum ſuum Philippus, Macedoniae rex, tanto certius ad modeſtiam ab ambitione traduceret; ad mortalitatis & obitus ſui memoriam ſe quotidie incitari atque impelli, curabat. Similiter peccatorum ſuorum & criminum, quae ad damnatorum ſe ſortem abiicerent, cum Patricius, rerum ſacrarum in Hibernia praeſul, recordaretur; vtplurimum ipſe, in ſuis edictis ac epiſtolis, ſe patricium peccatorem, imo indoctum inſipientemque, ſcribebat. Ne proinde quis aliorum hominum dotes & artes, ſuis artibus dotibusque poſtponeret; eam praeceptionem ac ſententiam, doctores Ebraei, quae a Buxtorfio annotata eſt, auditorum ſuorum auribus atque animis inclamabant: vt nullos non homines, ſe ipſis ſuperiores, melioresque ſtatuerent. Ab his igitur,

tur, portentoſae ambitionis & arrogantiae, tam ſaepe a nobis vituperati, Dominicanorum aſſeclae, rei poſcentur: vsque eo miſeriae ſuae obliti; vt ad perfectionis ſe ſummae faſtigium, ſui ordinis beneficio, perueniſſe; & tantum non coelum digitis attigiſſe; cum patrum cucullatorum aliis, ſibi imaginentur. Quae perſuaſio, eo ipſos ſtoliditatis ac inſolentiae iam olim adegit: vt ordinem ſuum ignobilem, regum ac principum dignitati & ordini anteferrent: atque hos, artibus ſuis & blanditiis, eo inducerent; vt, maioris praeſtantiae cauſa, coronas interdum ac ſceptra, cum virorum coelibum ornamentis ac veſtibus, commutarent; & his etiam, mortui ac ſepulti, induerentur. Mirumque eſt ſane: ipſum Achillem Statium, Luſitanum, atque Ioannem Franciſcum Picum, Mirandulae comitem, a doctrina & ſapientia ſua in tantum degeneraſſe: vt Dominicanorum veſtitu & pallio, non illuſtriores ſe modo; ſed poſt obitum quoque beatiores, ſtatuerent. Magis vero mirandum, ac, niſi res ipſa id loqueretur, incredibile videatur: eandem hanc arrogantiam, qua Dominicanorum ſimioli ſe ſolos adorant, viam ipſis, ſicut ad aliorum contemtionem, ſic ad iniurias; &, quod

 etiam

etiam vitam hominum parui pendant; ad homicidia ipſa aperuiſſe. Quis enim ignorat? ducem ordinis huius, Dominicum, hoc inaudito & ſacro truculentiae genere, tum in VValdenſium caedes & vulnera exarſiſſe; tum inquiſitionis cruentae, quae Hiſpanica dicitur, auctorem fuiſſe? Pari modo id ſacrilegii atque parricidii ſpecimen: quo ille Dominicanorum furcifer, imperatorem Henricum ſeptimum, panis diuini particula venenata, inter coenae pontificiae vſum, peremit; vel vindicta illius & poena, fratribus cunctis inflicta: qua ipſi, non dextram amplius, ſed ſiniſtram, corporis Chriſti ſacrificio admouere coguntur; hominum horum impietatem ac ſaeuitiam, a temeritate & faſtu incredibili ortam, hodieque demonſtrat. Haec atque ſimilia facta, quae a Lutheranorum modeſtia longe abhorrent, vtinam omnes, in hac academia, ciues, indigna ſtudiis ſuis ac virtutibus arbitrentur! Quod ſi fecerint; magnis ipſi atque praeclaris conatibus, humilem ac ſubmiſſam de ſe opinionem miſcebunt. Graecorumque philoſophos ſeptem imitabuntur: qui tripodem aureum viro ſapientiſſimo tradere ac donare, ab oraculo iuſſi; a Biante hoc munus ad Pythago-

ram;

ram; & ab iſtis ad alios; tandemque ad ipſum Apollinem, tranſtulerunt. Ne quis titulum ſummae ſapientiae, eiusdemque praemium, ſibi magis, quam Deo, adſcribere cenſeretur. Abſit etiam, vt noſtrorum aliquis ceteros, cum Dominicanis & Pontificiis, fungos ducere, aut iniuriis atq; caedibus, tanquam in homines ſe deteriores, graſſari ſuſtineat! Minime vero omnium, tantos ſpiritus, hoc atque futuris ſemeſtribus, ciues ſibi academici ſument: vt magiſtratus iudicium & auctoritatem reiicere; &, tanquam cyclopes aliqui, coelum denuo oppugnare conentur! His, inquam, & aliis modis efficietur: vt frugi ac modeſtorum iuuenum, in ſalana hac, ordo, Dominicanorum ſodalitia, ſicut nobilitate originis, legumque praeſtantia, ſic praemiorum ac iurium magnitudine, longo poſt ſe interuallo relinquat. Equidem fratres hi palliati, de eo dignationis atque priuilegii genere, ſibi ſuisque haud leuiter blandiuntur: quod inter pontificis Romani praecones, locum ipſi gradumque praecipuum occupent; & vbique gentium, a papae aſſentatoribus honorentur. Verum iuuenes moderatos ac probos maior adhuc immunitas atque gloria manet: quae diuinis promiſſio-

nibus tuta, & ſuae magnitudinis mole firmata eſt: vt prae ceteris, Dei ac hominum gratiam ſibi concilient: & quo ſubmiſſiores ſe gerunt ac probant; eo ad maius & altius dignitatis faſtigium euehantur. Nam haec ipſa eſt virtus, quae fulcrum virtutum omnium praedicatur: & quae impedit, ne diffluere dotes reliquas, labique contingat. Haec eſt, quae tranquillorum atque piorum hominum patientiam, multis magnisque fructibus, conſolatur: & cuius ſubſidiis atque gradibus, probi literatique iuuenes in coelum adſcendunt. Atque merito Auguſtinus, in epiſtola ſexta & quinquageſima, illud Demoſthenis, ad virtutis laudisque hoc genus, accommodat: quod, quemadmodum ille, rogatus, quid in dicendi ſapientia, ſummum atque praecipuum eſſet? ſemel iterumque reſponderit: elocutio! ſic in religionis honeſtatisque praeceptis, demiſſionis ac modeſtiae inſtitutum, virtutem palmariam, ceterarumque principem eſſe; primo pariter, ſecundoque ac tertio loco, ſapienter ac recte reſpondeamus. Ipſae profecto academicae leges: quarum centrum & cardinem in modeſtia verti, res ipſa teſtatur: Auguſtino iuxta & mihi hic ſuffragantur. Quas hoc promtius atque

at-

attentius, illi, ad quos attinent, in praeſenti excipient; quo diſtinctius atque clarius ipſae, a te, Effiere clarisſime! prout non conſuetudo tantum, ſed & necesſitas poſcit; recitabuntur. ***

IAM RECITATIO LEGVM FIEBAT.

***

NIhil eſt reliquum, niſi vt, pro deſcripta a nobis, celebrataq; Iuuenum modeſtorum ſocietate, totaque hac literatorum republica, vota communia & ſanctisſima nuncupemus. Ea ingreſſi nunc ſumus tempora, clementisſime Deus! quorum malitia ac peruerſitas, quoddam velut modeſtiae bellum indicit. Veruntamen tuae nos bonitatis & gratiae, qua, pro ficta Dominicanorum humilitate, verum moderatarum atque piarum mentium decus, Lutheri nobis auſpicio, commendare atque aſſerere voluiſti, fiducia freti; manus iuxta & animos ſupplices ad te attollimus: teque per Filium tuum, demisſionis ſanctisſimae exemplum, precamur: vt noſtrorum deinceps ſtudia, a munerum diuinorum abuſu, aliorumque deſpicientia, & iniuriis, ad modeſtiam tranquillitatemque conuertas! virtutisque iſtius vinculo, nos iuxta & noſtros, tibi, ac vices tuas gerentibus, lycei iſtius Nutriciis, obliges atque obſtringas! Horumque tutela &

prouidentia, vrbem iſtam; quae Dominicanorum humilium ſedes antehac fuit; modeſtorum atque piorum poſtea templum exiſtere; & cum Principibus ſuis glorioſiſſimis, in maius ſubinde & maius faſtigium ſurgere, ac aeternum florere, iubeas ac efficias!

DIXI.

VIII

VEnerunt ad nos diſertisſimae literae: quibus ad ſacra academiae Veſtrae ſecularia, benigne nos adeo atque humaniter inuitandos, duxiſtis: quae non minori igitur nobis omnibus voluptati, quam honori fuerunt. Quanto enim praeſtantiora reipublicae ornamenta a literis ac diſciplinis petuntur; tanto quoque praeclarius, coeleſtis prouidentiae munus eſt: illis artium honeſtarum hoſpitiis, quae academias appellamus, decus ſuum ac perpetuitatem conſtare. Ita certe habemus: inter omnes victorias, nullum illuſtrius pulchriusque, magni illius Germaniae Neſtoris, Ioachimi I, tropaeum extare: quam, quod aduerſus barbariem, & cuiuscuis generis vitia, in vrbe Veſtra erexit. Quodſi antehac

tehac, in honorem deorum: ſub quorum auſpicio, aeterna illa vrbs ſtare atque florere, eſt credita: anno centeſimo quoque, ludorum ſacrificiorumque ſolennia inſtituta fuerunt; longe Vos laudabilius rectiusque, ducenteſimum athenaei Veſtri natalem, ita nunc ſacrum habetis: vt non diis fallacibus; ſed veriori chriſtianorum Numini, habendas atque agendas gratias, decernatis. Si proinde in laetitiae huius celebritatisque ſocietatem, non aliqui noſtrum tantum, ſed omnes venire; ac tum aliorum ſpectaculo, tum praecipue tot doctiſſimorum Virorum adſpectu nos oblectare, per longinquitatem itineris, perque cetera, quae nos circumſtant, impedimenta, poſſemus; felices nos oppido ac beatos exiſtimaremus. Iſtud vero cum in praeſenti non liceat; eodem nos interim pietatis officio, quod coram poſitis nobis incumberet, abſentes fungemur: & vt ſtudia literarum, atque virtutum omnium inſtrumenta, integra ſemper in academia Veſtra perdurent ac vigeant, aeternum ſapientiae arbitrum, Deum precabimur. Si quid denique erit, quod velle Vos poſtea, & quo deditum Vobis animum prodi poſſe, intelligemus; id omne nos ſtudioſe ac promte curabimus. Ita valete, Viri celeberrimi!

mi! illudque, cui Vos accingitis, ſacrum, ſoſpites ac felices peragite!

IX

ILlud virtutibus atque meritis Veſtris praemium debebatur: vt hac inprimis aetate; qua rei Vos literariae curam geritis; illius diei renouaretur memoria: quo annis abhinc trecentis, academiae Lipſienſis incunabula, Dei & Friderici bellicoſi auſpicio coepta, ac ſollemniter dedicata fuerunt. Quae felicitas tanto habenda eſt maior atque illuſtrior; quanto paucioribus ea obtingit: & quanto plus ornamenti atque praeſidii, in Lipſienſi lyceo, bonis literis, pietatisque artibus, ſitum eſſe; omnes nobiscum diſciplinarum liberalium, & haud fucatae religionis cultores fatentur. Ac videtur profecto ſapientiſſimus Deus, inſigne hoc atque ſaluberrimum inſtitutum, ſingulari quodam conſilio, eum in modum ordinauiſſe: vt electorum Saxoniae primus, prytaneum hoc Veſtrum, in ſplendidiſſima, totius, qua patet, Miſniae vrbe, erigeret: quod nulli deinceps ſecundum, atque ipſis Athenis celebrius eſſet futurum. Quod ſempiterni Numi-

minis, in totum literatorum orbem, beneficium, ingrati profecto eſſemus, niſi agnoſceremus; atque impii plane, niſi ſacra haec Veſtra ſecularia, noſtris etiam votis & precibus, pro ſalute ac perpetuitate academiae Veſtrae conceptis, vna Vobiſcum, mira adeo comitate nos inuitantibus, coleremus. Hoc itaque pietatis officio, quo praeſentibus, per impedimenta non licet, per vnum vel duos, ex venerabili Veſtro ordine, pro lubitu deligendos, ac ſenatus noſtri perſonam, in hoc gloriae theatro, acturos, pace ac venia Veſtra, fungemur: nihil magis in votis habentes, quam vt Veſtro in nos affectui ac fauori, quibuscunque humanitatis atque obſeruantiae partibus, reſpondere queamus.

SOLI DEO GLORIA.

EMENDANDA.

Pag. 6, lin. 20. *auguria*. Pag. 14, lin. 3. pro exercitamentis, lege: *exercitationibus*. Pag. 31, lin. 4. ſeq. lege: *Electoris ſui ac Regis veneratio*. 48, 14. *nouum*. lin. 27. *Principe*. 66, 27. *atque*. 49. 6. CHRISTOPHORVS. 118, 28. *cum Comitibus*. 122, 21. ſeq. pro aequauit, *aequiparauit*. Pag. 136, lin. vlt. lege: *Nonis Maiis*

Quo-

Quoniam. 140, 18. *Laetioremque.* 149, 9. *taceamus.* 151, 16. *culpa.* 185, 13. ſupple : *ex nobiliſſimi.* 196, 27. *conferunt.* lin. 28. ſ. *ſequuntur.* 213, 19. *pontificis.* 216, 22. ſ. *audientes.* 228, 11. pro deſcendat, *adſcendat.* 267, 11. pro ſabelli, *flabelli.* 297, 1. *praerogatiuam.* 342, 1. pro obſtacula, *pericula.* 353, 1. ſ. *ingenioſiſſimum.* 356, 5. ſubſtitue : *notitiam peregrinatores Graecorum non habuerint.* 367, 1. *praecipuus.* 381, 16. *quosdam.* 407, 3. *audebit.* 417, 21. *longaeuus.* Pag. 402. ſ. lin. 8. & alib, pro metaphyſ. pone : *metaphyſ.* 437, 1. *ebrietatem.* 449, 23. *huic.* 454, 22. *implent.* 468, 16. *induiſtis.* 470, 16. deleatur vox : *ſibi.* 472, lin. penult. *frutices.* 479, 1. ſupple : *tamen ne.* 496, 22. *proteruia.* 497, 6. *praefracti.* 507, 6.7. factioſorum. 540, 20. *ſeptuageſimum.* 611, 24. *euectum.* 615, 5. pro ordiendi, *paciſcendi.* 624, 5. *leuantibus.* 635, 4. *ipſo.* lin. 18. pro Samuelis, pone: *Andreae.* 644, 3. decembri. 645, 18. *vnguentum.* 649. lin. vlt. *exteros.* 668, 29. ſ. *maximopere.* 731, 20. *placide.* 748, 2. *patriae.* 751, 9. *memoria.* 757. lin. penult. *coenobio.* 761, 17. *Mileſiis.* 787, 15. ſ. *vultus.* 799, 5. pro ingrediar, *aggrediar.* 808, 8. *Efflert.* 815, 10. *attinet.* 829, 3. *Efflere.* 834, 2. *iuxta.* 837, 22. *ſeculorum.* p. 861. lin. 20, 21. *ſummum.* 868, 3. *Germanis.* 883, 5. *excellentiſſimo.* 885, 16. *atque.* 906, 11. *promiſcue.* 924, 5. *Numini.* 939, 27. *deterreant.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

image
not
available